GJ 3.32

R40444

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/b21964063_0004

ANTONII DE HAEN,

QUONDAM

S. C. R. APOSTOL. MAJESTATI A CONSILIIS ET ARCHIATRI, MEDICINÆ IN ALMA ET ANTIQUISSIMA UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSORIS PRIMARII &c.

PRAELECTIONES

IN

HERMANNI BOERHAAVE

INSTITUTIONES PATHOLOGICAS.

COLLEGIT, RECENSUIT, ADDITAMENTIS AUXIT, EDIDIT

FR. AUGUST. DE WASSERBERG.

TOMUS IV.

VIENNÆ,

APUD RUDOLPHUM GRÆFFER. 1782.

Les Sciences ſont un champ immenſe & malheureuſement pour nous nos eſprits ſont bornés : de là vient, que, ne pouvant parcourir qu'un petit coin d'un vaſte terrein, & aïant la folie de le vouloir meſurer tout entier, nous devenons la dupe de nôtre amour-propre. Heureux l'homme, qui eſt aſſés ſage, pour ſe contenir dans les bornes, que lui préſcrivent ſon génie, ſes talens & ſa condition. — — — Combien d'Icares trouverait-on aujord'hui, ſi leur chûte était ſenſible !

M. Dupré de l'Isle,
Traité ſur le vice cancereux,
Diſc. prélim.



LECTORI EDITOR S.

Sequitur doctrinæ medicæ pars omnino graviſſima, SIGNA exponens, quibus *præternaturalem*, *morboſum*, *machinæ animatæ ſtatum* a *naturali*, *ſano*, *diſtinguere læſionumque* non ſolum *præſentiam*, ſed & *typum*, *characteres actionesque*, æſtimare queas: pars, ubi aut ſolam naturam ducem comitemque eligas, ſequaris; aut, ægri qui ſe Tuæ commiſit fidei, in perniciem, per avia deviaque præceps erres: nam ſi ullibi, ſane hic, totius rei cardo caſtiſſimorum obſervatorum, omni theoria hypothetica longe ſuperiorum, nititur fide.

Hac via inceſſit, cujus doctrina per tot ſæcula inlibata viget, venerandus Cous; hanc, ut ſolam erroris expertem, trivit magnus BOERHAAVIUS & qui ab Ejus ore pependerunt SWIETENIUS, HAENIUS omnesque, quos MAGNORUM celebramus encomio; quum, inconcuſſæ illi baſi ſuperſtruentes medendi methodum, curatione felices omni ævo ſublimi feriant ſidera vertice.

In parte hac maximam partem textum retinui *Haenianum*; hinc inde laconico nonnihil dicendi genere uſus fui, ubi abs detrimento rei ipſius fieri poterat: ex meis in SEMEIOTICA pauca addidi: HYGIEINEN autem, tantò pluribus acceſſionibus auxi; utut hic quoque limites *editionis*, cur varia tamen ſubprimenda fuerint, contineant rationem.



ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ.

SEMEIOTICES GENERALIA.

§. 871.

Quum MORBUS *ſit effectus &c.* PHYSIOLOGIA cognoſcendum dat *corpus humanum ſanum* ſuis omnibus in functionibus: PATHOLOGIA conſiderat hoc ipſum *corpus* olim ſanum, in una pluribusve functionibus *læſum*, *labefactatum*. Hinc PATHOLOGIA ſubponebat bonam PHYSIOLOGIAM; inpoſſibile quum ſit functiones ſanas ignoranti,

explicare morbos. Bona igitur PHYSIOLOGIA aptabat & formabat PATHOLOGIAM, ut ex *functionibus læsis* intelligerentur MORBORUM DIFFERENTIÆ; patebat enim, esse vitia, quæ *solis solidis* corporis partibus deberentur; esse quæ *solis fluidis*; esse denique, quæ *organis, ex utrisque conbinatis.*

Ubi Pathologia hoc pensum absolverat ad CAUSAS harum functionis læsionum se adplicabat (in ÆTIOLOGIA) easdemque vel *prædisponentes* intelligebat esse, vel *excitantes.*

Jam multa sciebamus; verum, quibusnam ex SIGNIS (PHÆNOMENIS) patebat, tales vel tales causas has vel illas aut inminuisse, aut deleviſſe, aut depravasse, functiones? Hæc tum demonstrabat SYMPTOMATOLOGIA, examinans primo signa læsæ functionis cujusque naturalis, dein vitalis, tandem animalis.

Verum nondum cognoscimus hinc morbos. Vidimus læsas functiones ventriculi, intestinorum, pulmonis, cordis, cerebri, & si citra ullum alium morbum solus v. g. ventriculus laboraret, poteramus sedare hoc symptoma; quo sedato, homo iterum sanus erat: at vero hoc non est, *cognoscere morbos.* Vomitum sanabitis, dum esset ipse solus totus morbus; sed ideo non sanabitis vomitum, si contingat ille v. g. in febri putrida, variolis, percusso capite. Est longe alius agendi modus: immo, quo pacto vomitum, dum ipse per se totus morbus esset, curastis, eodem forte nunc pessumdabitis hominem,

Videtis igitur, supereſſe pertractationem, quæ doceat, ex symptomatibus cognoscere morbos omnes, eorumque alium ab alio tam adcurate internoscere, ut alterum pro altero nunquam, aut errore capiamus, aut præposterа cura, sive pejorem, sive lethalem efficiamus.

Porro, ut exploratam habeamus morborum doctrinam, SIGNA probe sunt cognoscenda, quibus omnes

morbi

morbi rite interſtinguantur: hinc hoc totum caput vocatur SEMEIOTICE, doctrina ſignorum.

Σημεῖον, *ſignum* & *nomen rei.* In Medicina σημεῖον „omne illud dicitur, in ſano, aut ægroto, corpore adparens, unde aliquid innoteſcit, quod citra hoc adparens ſignum nobis non innotuiſſet.“ Itaque, ut aliis verbis idem dicam, *ſignum* vocatur „adparitio ſenſibus percepta, ex qua Medicus dignoſcit aliquid a ſigno hoc diverſum, quod citra hoc ſignum ignoraſſet.“ Igitur, *quum* MORBUS *ſit effectus a ſua cauſa pendens, Ens eſt ſingulare, ab omni alio diſtinctum, ideoque in ſua propria ſingulari natura adcurate cognoſcendum, ut curari queat;* quod *idem de ſanitate, ejusque ſtatu vario, ſentiendum erit. Sanitas* ergo habet phyſicam conditionem, unde pendet id, quod *ſanitas* vocatur. *Morbus* habet phyſicam conditionem, ex qua pendet id, quod *morbum* adpellamus. Debeo has noviſſe, ut ſartam tectam tuear ſanitatem, ut morbum curem. Omnis morbus eſt ens ſubſiſtens, diſtinctum, phyſicum; ſuas proinde habens proprietates, quibus ab omni alio morbo diſtinguatur: perinde, atque omnis planta ens eſt ſingulare, ſuas habens proprietates, quibus ab omni alia planta internoſcatur. Unde, ſi me lateant illæ proprietates, aut qualitates, plantam neſcire me oportet. Ut de morbo hoc verum, ita & de ſanitate.

Verumtamen, inde in intimam rerum cognitionem haud penetramus: quidquid enim Phyſici de rebus, tanquam ſibi cognitis, dicant, nihil ferme de iis norunt, niſi per experimenta docentia, tale quid exiſtere. (—) Pono, aliquod corpus poſſidere ſex proprietates, quibus exacte cognoſci & ab omni alia re dignoſci queat. Pono, me has ipſas proprietates ad amuſſim noſſe: dico, quod tunc noſcam omne, quod in illa re cognoſcibile eſt: (aſt jam lapſus forem, adſerendo, me, cognitis illis ſex proprietatibus, noſſe *omne*, quod

in illa re *cognoſcibile* eſt; aut ignorare deberem indolem terminosque ingenii humani, ſcalam aciei ejus, ſemitam, qua in rerum cognitionem tendimus, pervenimus &c.) ſed, an ideo rem in intima ſua natura novi? Minime. Sed ſufficit, me rem cognoſcere ita, ut non errem, eam confundendo cum re alia. Sic v. c. auri proprietates ponderoſitatis, ductilitatis, dant mihi aurum diſtinguendum ab omni alio corpore (ſaltem hactenus cognito: nam notum ſane, quoties notas *characteriſticas* corporis cujusdam, diutiſſime pro talibus adſumtas, mutare, augere, diducere oportuerit, poſt ſæculorum lapſum detecto, aut melius cognito, alio corpore, ab illo omnino diverſo; ſi vero notas illas unice ſpectare vellemus, non diſtinguendo); ſed ideo non novi, unde aurum eſſet.

§. 872. *Natura autem præſens vel ſanitatis* &c.

§. 873. *Sed ex præſentia utriusque* &c. Mutationes quippe tales ſi fiant in corpore humano, quæ nequeant ſenſibus obſervari, *ſigna* dici non poſſunt: ſi ſenſibus obſerventur, *ſigna* ſunt. Dico tunc, tales adparitiones in ſenſus meos incurrunt, ergo adeſt illa cauſa, unde fit id, quod per tales adparitiones mihi innoteſcit. In quartana adparitiones ſunt 1) pandiculationis; 2) oſcitationis; 3) tremoris; 4) frigoris; 5) caloris; 6) ſudoris; 7) remiſſionis; 8) reſtitutæ ſanitatis. Ex omnibus his id, quod hic adeſt, eſſe quartanam, novi: ſed inde non novi penitiſſimam quartanæ naturam & genium. Natura quartanæ forte æque nobis abstruſa ſemper manebit, quamvis ex adparitionibus id, quod quartanam vocamus, cognoverimus, curaverimus.

§. 874.

§. 874. *Præterea vero notitia adplicationis cauſæ noſtræ &c.* : unde Medicus non tantum novit illas præſentes morbi conditiones, ſed, ut ita dicam, etiam harum conditionum potentiam, ſive earum in futurum vires. Novi v. g. hominem eſſe ſumme plethoricum, hucusque tamen adhuc ſanum : novi ex meteorologicis obſervationibus, hoc mane in thermometro captis, hanc diem mediam fore calidiſſimam : novi ex politicis hominem hunc plethoricum hac calidiſſima meridie publicæ ſolemnitatis cauſa debere epulis generoſis, ubi ſtrenue potandum, intereſſe ; poſſum ego audacter prædicere, hominem hac veſpera in præſentiſſimo periculo, vel apoplexiæ, vel alius acuti morbi, verſaturum.

Hæc demum illa ſcientia, quæ Hippocrati meruit *divini ſenis* nomen. Præcipua pars omnium ejus operum verſatur circa hæc ſigna. Collectionem autem omnium obſervationum per opera ejus disperſarum dant *Prænotiones* dictæ *coacæ*, liber *de prognoſticis*, liber *de prorrheticis*, liber *de criſibus*, liber *de diebus criticis*, exemplis autem veritatem horum omnium demonſtrant *libri* aurei *Epidemicorum*. Adparitiones illæ obſervatæ ægritudinis die primo, aliud longe deſignabant, quam die 3., aut 4., aut 6., aut 7. Adparitiones illæ obſervatæ longe aliud deſignabant, ſi ſolæ, quam comitatæ aliis ; ſi ordine primæ in morbo adparerent, quam ſi ordine ſecundo aut tertio, poſt alia ſymptomata ; ſi in una parte corporis, quam ſi in alia.

Hæc doctrina Hippocratica, quam poſthæc Galenus, ubi pure Hippocratem commentatur, quam Aretæus Cappadox, quam cæteri boni iisdem nixi fundamentis coluere, non fuit mutationibus obnoxia, ut multæ aliæ. Hic enim nihil ratiocinii erroribus obnoxii conmiſcetur, meræ tantum ſunt obſervationes. Hinc, quamdiu natura humana manet, quo ordine ſe-

mel a CREATORE posita est, tamdiu tales observationes bonæ erunt æternæ. Docent hoc mutationes & catastrophæ, quas sententiæ omnes lapsu imperii Romani, dein Græci subierunt. Quotiescunque respirarere artes liberales & scientiæ demta barbarie, toties revocata doctrina *Hippocratica* sibi similis, ubique, & æque vera est deprehensa. Observabat enim vir magnus, ut & ARETÆUS & qui hoc tramite eum sequuti sunt, quænam signa præsentia essent? Tum, quid talia præsentia signa, adcurate & caste observata, docuerant adesse in corpore ægro? Quid præterea observata centies iterata docuerant, inde concludi in futurum posse deberique? Considerabat HIPPOCRATES morbum veluti ens incognitum sibi, sed simul hominem ita creatum, ut ex considerata organica ejus fabrica sana sanum intelligeret hominem; ut in eadem fabrica organica a sanitate abludente posset indagare quasdam adparitiones, quæ, quantum & qualiter illa sana olim fabrica ab illa sanitate desciverat, indicarent: adparitiones has, alias atque alias in aliis atque aliis esse; has adparitiones recessuum a sana conditione simul collectas dare ideam ejus, quod vocamus *morbum*; sed morbum iterum diversum, pro diversitate differentium symptomatum, seu adparitionum.

Etenim unumquodque morbi symptoma est pars morbi: omnia symptomata, omnes adparitiones simul sumtæ, sunt ipse morbus, sive constituunt simul collectæ ipsum morbum.

Suas itaque partes explevit Medicus omnes, quando observatis omnibus adparitionibus & observatis omnibus effectibus, qui ex his adparitionibus unquam sequuti visi sunt, una collectis, definit morbi statum, tam præsentem, quam futurum.

Hinc

Hinc videtis, cur ita laudandus ubique & ſemper Hippocrates. Non enim citamus Hippocratem ad aliquid probandum, quia ipſe hoc dixit, ſed quia tam vera dixit, ut verius nemo. Dixi, tam vera, ut 23, ſæculorum ſeries nihil in iisdem inmutare, nihil renovare, aut reprobare potuerit.

Hinc, ſi centies hucusque citaverim Vobis Hippocratem in præcedentibus, ne gravemini laudantem eum millies in ſequentibus. Quem enim ec, ut citem, præſtantiorem invenirem! Virum, e quo, quotquot in arte exſtitere boni, vel hauſere ſua, vel ſua ſaltem propria inventa Hippocraticis confirmata & conprobata viderunt: virum, cujus ſimplicitatis pertæſi arrogantes Philoſophi præ aberrantis ingenii ſublimitate in craſſos incidere errores; in verum tramitem reducti nunquam, niſi Hippocratis amplexi ſimplicitatem. Excipio hic, quæ falſo Hippocratis nomine fucata, ejus inrepſere operibus: excipio, quæ non ſatis ex praxi confirmata, vel non ſatis diſcuſſa hinc inde in ejus operibus reperiuntur. Sed his exceptis, ubi in tota Medicina opus *Hippocratico* par? Ubinam opus medicum per ſeriem 20 & plurium Medicorum ſibi invicem ſuccedentium in una linea, in una familia, adornatum? Tale tamen Hippocraticum eſt. Ubinam opus, cui condendo nulla ratiocinia, nulla Philoſophia, ſed mera, eaque vere maſcula, Naturæ enarratio operam navavit? Tale eſt opus Hippocraticum. Quod pater ejus, quod avus, quod proavus, quod abavus, quod abavi abavus centies viderat, quod Hippocrates in adnotationibus templorum *Coæ*, *Cnidi*, *Epidauri*, millies confirmatum legerat, quod ſua praxi toties repetitis obſervatis veriſſimum deprehenderat, id notavit, expoſuit, poſteritati ſacrum fecit.

Et

Et ſane, ubinam exemplar Medicorum tale ac tantum, ut, qui ad illud ſe conformarint, tum demum in arte principatum obtinuerunt ? HOLLERIOS volo, DURETOS, FORESTOS, ALPINOS, JACOTIOS, BAGLIVIOS, BOERHAAVIOS, & id genus principum in arte virorum alios. Unum forte, qui citra HIPPOCRATEM artis faſtigia conſcendit, mihi excipietis SYDENHAMUM. Ego profecto illum non excipio. Si vir candidus & ſimplex pro eo quo triginta anni Medicum per ſolas obſervationes ducere poſſint, eo pervenerit, ut ingenue fateatur, ſe quidquid boni invenerit, id cum *Hippocraticis* quum maxime convenire ; nonne id HIPPOCRATEM in cœlum effert ? Nonne id nos omnes ad perenne ſtudium incitet, animet, adhortetur, Hippocraticum ? Id ſaltem ex SYDENHAMO diſcamus oportet, breviores annos eſſe noſtros, quam ut Medicinam ab incunabulis renaſcentem velimus. Si ſæculorum 23 obſervatis SYDENHAM ſua egregia 33 annorum modo addenda habuiſſet, longe præſtantiorem adhuc doctrinam poſteritati tradidiſſet. Habemus porro nos *Hippocratica*, *Holleriana*, *Duretiana*, *Sydenhamiana*, *Bagliviana* & *Boerhaaviana*, quibus innixi medicam praxin demum tuto adgreſſuri erimus, gaudeoque potiſſimum ex eo, quod Vobis praxin tradere duce BOERHAAVIO debeam ; non, quod virum inconparabilem per tot annos viderim, audiverim, habuerim Præceptorem; ſed quia praxin ſuam primo ſecundum effata magni HIPPOCRATIS dirigens fuerint Practicorum feliciſſimus ; deinde, quod regulas agendorum propria praxi formatas vel ipſis HIPPOCRATIS tradiderit verbis. Ita ſane, ut, dum Vobis ſigna morborum traditurus ſim verbaque *Boerhaaviana* explicaturus, ſimul gaviſuri ſitis, me *Boerhaaviana* explanando jam explicuiſſe, enucleaſſe, demonſtraſſe, *Hippocratica*. Ita enim

enim junctim amborum tradam doctrinam, ut sine altero alterum nunquam conmittam. Ita demum fiet, ut Hippocratica in schola nutriti Vos, educatique, etiam in futura Vestra praxi fortunarum ejus in curando fiatis consortes. Immo id præ HIPPOCRATE nacti felicitatis estis, ut, quæ observationibus modo ille debebat, ultraque explicandi viribus carebat, ea Vos excultiore Anatome, & Physiologia non observare modo, sed & rationem, cur fiant ita talia, veram certamque in plu ribus calleatis.

§. 875. *Porro hæc memorata effecta &c.* Nomen *φαίνομενον* a PYRRHONE, Philosopho græco Scepticorum Duce, primum pictore, discipulo ANAXARCHI *Abderitani*, quem etiam in Indias ad addiscendam Gymnosophistarum doctrinam comitatus est: factus dein Dux Scepticorum, docentium, nos non judicare nisi relative ad aliquid aliud; dumque hos Scepticos quis rogaret, an fateri non deberent id, quod ante se viderent tangerentque, revera existere, *φαίνεται* respondebant. Floruit PYRRHO tertio sæculo circiter ante æram christianam. Apud Medicos vero *φαίνομενον* est id, quod adparet observaturque a Medico, in homine, vel circa hominem, docens illum latentes causas sanitatis, morbi, morbi metaptoseos, mortis.

§. 876. *Quæ vocantur διαγνώστικα, vel δηλώτικα. Διαγίνωμαι, διαγινώσκω, internosco, inter duo diversa probe distinguo*, ita ut alterius ab altero differentia clare pateſcat.

Si vero pronuntiant ea, quæ in his futura sunt, tum προγνώστικα adpellantur, quasi ex rebus præsentibus concludentia & prædicentia futuras, sive eæ ad

mor-

mortem tendant, ſive ad alium morbum, ſive ad ſanitatem.

Ubi tandem prægreſſa in cognitionem revocant, ἀναμνήϛικα dicuntur. Ἀναμνήσκω, *in memoriam revoco.* Vocor ad hominem pus tuſſiendo copioſum exſpuentem. Statim novi, morbum hunc ipſi ab heri, aut nudius tertius, haud adveniſſe, ſed forte prægreſſam eſſe aut hæmoptoën, vel inflammationem laterum aut pulmonum, vel lentam diuturnamque obſtructionem in corpore cachectico, vel denique ſanguinem dudum illi fuiſſe naturaliter aut præternaturaliter ſpiſſum & ut BENNETUS advertit toties, puris forma nunc pulmone ejectum: ſic ἀναμήσκω hæc præcedentia. Uno verbo, illa ἀναμνήϛικα ſigna in omni ægritudine in opem vocamus, ut quando, & undenam, morbus occeperit, percipiamus. Eſtis in matutinis teſtes, quod quandoque ab ægris noſtris confeſſionem generalem totius vitæ excipiamus, ut per ſigna anamneſtica veram diagnoſin formemus.

§. 877. *In morbis autem deſignandis &c.*

§. 878. *Cujus proinde cognitio eſt neceſſaria quam maxime &c.* Πάθος, γνώμη, *morbus, cognitio*: pathognomicum ergo ſignum eſt id, quod certum, quod unum, quod ſolum datum morbum adeo deſignet, adeo ab aliis interſtinguat, ut ultra nequeat cum ullo alio morbo confundi; quodque nunquam ab illo morbo, quamdiu talis eſt, abeſt; quod ubi non adeſt amplius, nec ultra morbus ille, qua talis, adeſt.

Utinam quisque morbus tale ſignum pathognomicum haberet! Quam foret firmior praxis! Sed hic paſſim hæremus aqua. Requiruntur enim multa, ut non niſi dato morbo adplicari queant, deſuntque nobis hæc-

ce

ce in pluribus. Hinc tale ſignum circumſpecte definiamus. Nam ſi deficiat vel minimum, jam ultra non eſt pathognomicum.

Quod eſt ſignum pathognomicum in pleuritide? An dolor lateris? Minime. Dolores laterum diſerte ab Hippocrate diſtinguuntur a pleuritide *Aph.* 3—23. Stulta idea Medicorum, omnem laterum dolorem pleuritidem ſalutantium, ſæpe in cauſa eſt, ut hyſtericis figatur quandoque dolor inmobilis in lateribus, dum v. ſ. & antiphlogiſticis eum cenſeant debellandum. Immo etiam ſunt dolores laterum non pleuritici in ipſis morbis acutis, ut omnes vidiſtis in noſocomio, quando puella, febri acuta laborans & dolentia latera habens, clare Vobis patebat pleuritica non eſſe, quia ſigna ex pulſu & reſpiratione deerant: rheumatica materies, obſtructio vetus, id facere poteſt.

An ergo læſa reſpiratio eſt ſignum pathognomicum pleuritidis? Non eſt; nam & aſthmaticus citra febrim & peripneumonicus cum febri, habet maxime læſam reſpirationem. An febris? Sed ea omnes acutos concomitatur. An pulſus durus? Phrenitidi, ardenti febri &c. quoque ſæpius talis pulſus adeſt. Ergo videtis, nullum horum dat verum pathognomicum ſignum.

Verum, ſi jungamus febrim acutam & dolorem lateris inſpirando auctum cum tuſſicula, & pulſum durum, tria hæc pleuritidis, qua pleuritidis, ſignum faciunt pathognomicum. Unum ſi tollas, erit morbus forte longe alius, quam pleuritis.

Quodnam pathognomicum ſignum phrenitidis? Non ſola febris continua putrida acuta, nam poteſt eſſe illa ſine delirio. Non ſævus capitis dolor, nam ſine delirio ſæpe in febribus adeſt. Non delirium ferox, nam poteſt tale eſſe a metaptoſi materiæ morbificæ alius morbi, & tunc tantum erit παραφροσυνη. Sed febris acu-

ta

ta cum primaria inflammatione meningum cerebri & delirio perpetuo feroci dant ſignum pathognomicum phrenitidis.

Quodnam ſignum pathognomicum peripneumoniæ? Hic adtentione opus eſt, nam lapſus eſt facilis. An eſt dolor in pectore? Non, nam dantur peripneumoniæ indolentes. An eſt in reſpirando anxietas? Neutiquam, nam in febri ardente, præ ſanguine tum phlogiſtice denſo, tum violenter moto, anxietudo magna pectoris oritur. An tuſſis? Sed ea & in pleuritide adeſt, & in febri ardente. An pulſus mollis? Non, nam is tantum adeſt, quando peripneumonia jam fit gradu pejor, & periculoſior: pulſus mollis non adeſt in ipſis peripneumoniæ primordiis, maxime ſi inflammatio modo arterias occupet bronchiales. Signum igitur pathognomicum peripneumoniæ difficile datur. Pulſus hic fallit. HIPPOCRATES mollem vocat & BOERHAAVIUS, GALENUS vero magnum, ſed ſubinde undoſi ac mollis quid habentem, *de cauſ. & ſign. acut. l. 2. c. 1.* Revera peripneumonicorum pulſus ipſis morbi principiis celer, magnus, ob denegatum plus minus ſanguinis per pulmones transitum, variationibus eſt obnoxius; unde nunc magnus, nunc debilis & mollis obſervatur; maxime debilis mollisque pulmone jam ita obſeſſo, ut parum ſanguinis modo veniat ad ſpiritus generandos, quibus arteriæ vigeant; & ut parcior cruoris copia per aortam moveatur. Sed tamen febris initio magna, reſpiratio multum læſa, tuſſis, anxietas, faciei rubor, urina cruda, peripneumoniam adeſſe, concludere faciunt.

Quodnam pathognomicum ſignum anginæ inflammatoriæ? Non dolor in gutture; nam is quandoque adeſt in angina ſeroſa, adeſt & ſæpe poſt vomitum. Non febris continua; nam ea omnes inflammatorios occupat.

pat. Non inpotentia deglutiendi ; nam illa etiam adeſt in angina ſcirrhoſa, in angina aquoſa, in paralyſi gulæ. Sed febris acuta putrida, vehemens in collo dolor, inpedita deglutitio, ideam dant anginæ. Cogitabitis forte in kynanche minus inpediri deglutitionem, quia caput aſperæ arteriæ, & non caput œſophagi, adficitur : verum mox & læſam deglutitionem hoc in caſu videbitis, conſiderando, quod in ultimo deglutitionis actu caput aſperæ arteriæ cum epiglottide elevetur, abſcondaturque linguæ radice : ergo inflammata pharynx non permittit hanc elevationem.

Quod eſt ſignum pathognomicum paraphrenitidis ? Iterum inveniendi tale difficultas. An dolor in diaphragmate ? Sed quis ita definiet ? Si ad latera, mentitur pleuritidem. Si vero in gibbo medio eſt, poteſt eſſe, ut credamus, mediaſtini infima inflammari, aut hepatis partem gibbam membranaceam, aut ligamentum latum hepatis. An læſa reſpiratio ? Homo eam plane ſuffocat in pleuritide ſæva, æque ac hic. Ergo dolor ſummus intolerabilis circa regionem diaphragmatis, auctus & in reſpiratione & deglutitione [hoc non ita in pleuritide] cum vomitu, ſaltem nauſea ut plurimum, quia ventriculum per ſympathiam hic facile lædi advertitis, una cum febri acuta putrida videtur ſignum pathognomicum conſtituere in primo ſtadio. Si vero poſthac acceſſerint deliria, riſus ſardonici &c. eo magis patet. Juvat, paraphrenitidem, ſi ob ſimilitudinem pro pleuritide tractetur, requirere methodum eamdem, ut proin error damnoſus non ſit.

Quod ſignum pathognomicum hepatitidis ? Hic iterum hæremus aqua. Non deſumitur a febri, inflammationes comitante cunctas. Non a dolore minore, quam in pleuritide ; nam levis poteſt eſſe pleuritis. Non ab ictero ; nam non omnis inflammatio hepatis icterum

producit, & ſi faciat, non ſemper ab initio. Non tumor abdominis ab inpedito trajectu omnis ſanguinis venæ portarum ; nam id in principio nondum advertitur, & poteſt abdomen aliunde tumere. Quomodo ergo cognoſcitur ? Fateor difficilius, & ſignum pathognomicum vix illico hic percipitur. Eſt febris acuta putrida continua, cum dolore minus intenſo, quam in pleuritide & paraphrenitide; cum reſpiratione paullo minus læſa, quam in his binis morbis; cum abſentia plerumque tuſſis, quæ in his binis morbis ſemper adeſt. Si deinde tunc icterus jungatur, vel ſtatim ab initio adſit, confirmamur in noſtra idea.

Quodnam ſignum pathognomicum gaſtritidis ? Non acuta febris, non dolor acutus ad præcordia, quia poteſt in hepate eſſe, quod ventriculo ſupertenditur; poteſt eſſe in diaphragmate ; ſed febris acuta continua, cum dolore ardente, fixo, pungente, in ipſo ſtomachi loco, exacerbato ipſo momento, quo aliquid ei ingeritur, cum vomitu dolentiſſimo, ſubito, omnis ingeſti, anxietate & ſingultu.

Videtis gaſtritidis & paraphrenitidis differentiam magnam non eſſe ; nam 1) in utraque adeſt febris acuta ; 2) in utraque adeſt dolor ſummus ad præcordia; 3) in utraque adeſt dolor ad ingeſta ; 4) in utraque nauſea, vomitus.

Tamen poteſt diaphragma ampliſſimum inflammari in loco ab orificio ventriculi ſuperiore remoto ; adeoque tunc dolorem illum acutiſſimum homo non ita ad orificium ventriculi ſentiet, quam alibi. In gaſtritide vero ſemper eſt loco determinato ventriculi. Deinde in inflammatione ventriculi, dolor ab ingeſtis eorumque ſubita rejectio, citior contingere debet, quam adhuc in paraphrenitide.

Eſt

Eſt interim verum, ſimilitudinem magnam adeſſe inter hos ambos morbos eosdemque ſæpe pro pleuritide ſalutari; [ventriculo enim dolente homo cohibet diaphragmatis actionem, ne dolor ventriculi augeatur: hinc reſpiratio læditur, ut in pleuritide;] non magno utique ægrorum malo, quum cura inflammatoria ſumma omnibus ex æquo proſit. Attamen, ſi in morbo, qui ob dolorem acutum in latere ſiniſtro prope ſternon pleuritis creditur, vomitus perpetuus adſit, isque ingeſtis mox auctus; potius gaſtritidem credamus.

Quodnam ſignum pathognomicum enteritidis? Febris continua putrida acuta cum vehementi dolore in abdomine ejusque mox duritie, tumore, alvo clauſa; hæc initio; ſi pergat, nauſea, vomitu; poſthac, ſi non ſolvatur, ileus jungitur aliaque. Locus igitur hic maxime determinat ipſo morbo inchoante; ſed res obſcurior eſt, quum dolor poſſit in peritonæo eſſe, aut in meſenterio, aut in meſocolo. Ubi vero morbus paullo ultra principium eſt, non manet dubius ob reliqua accidentia ſymptomata. Juvat ad hæc adtendere, ne inprudenter ſymptomata flatibus, ſpaſmis adſcripta calidisque & carminantibus tractata, deſperatum ileum aut gangrænam, efficiant.

Quodnam ſignum pathognomicum nephritidis? Dolor ardens, pungens, inflammatorius in regione renum cum febre continua acuta, urina pauca, crebra, rubra, flammea, ſæpe in ſummo malo aquoſa, ſtupore cruris vicini, dolore inguinis teſtisque vicini, dolore ventris, vomitu, ructibus adſiduis.

Quodnam ſignum pathognomicum hyſteritidis? Febris continua putrida, cum dolore totius quidem hypogaſtrii, ſed præcipue uteri loco, percipiendo, cum lochiorum, aut menſium, ſi fluant, ſubpreſſione inte-

gra, abdomine tumido, ac brevi deliria aliaque mala creante.

Quæ vero alia viſcera abdominis laborant inflammatione, ea ſigna habent obſcuriora. Si v. c. pancreas inflammaretur, id ob proximitatem ad ventriculum & diaphragma daret forte horum viſcerum inflammationis ſigna; quibus ex æquo prodeſſet cura antiphlogiſtica. Cæterum lien, meſenterium, omentum, peritonæum, ovaria &c. ſignis quidem generalis inflammationis dignoſcuntur & conjecturis ex loco præcipue dolente locum darent; at vero veris pathognomicis ſignis minus cognoſcerentur.

Lien v. g. inflammatus dolet & reſpiratio utcunque læditur, quia æger, ne agens diaphragma dolorem tenſi lienis augeret, cohibet reſpirationem. Hinc pro leviori pleuritide lateris ſiniſtri habetur, quumque dolor ingeſtu copioſioris potus augeatur, ob ventriculi contra lienem tumentem ſitum, vomitus hinc oriri poſſit; ſuſpicionem gaſtritidis, aut paraphrenitidis poteſt facere. Talem hominem aperui, cui adfuiſſe credebatur pleuritis mitior: inveni aliquot menſibus elapſis ab illa credita pleuritide lienem totum ſubpuratum.

Quodnam ſignum pathognomicum apoplexiæ ſanguineæ? Febris continua acuta, cum deletis omnibus functionibus animalibus & plerisque naturalibus; hinc inde quibusdam naturalibus ſuperſtitibus & auctis vitalibus.

Quodnam ſignum pathognomicum apoplexiæ mucoſæ? Eadem fere, uti ſanguineæ; ſed febris, calor, rubor, minores, ob defectum rubri ſanguinis, ob copiam phlegmatis.

Sic, opinor, habetis ideam veram *ſigni* hujus, ſpeciem morbi exacte determinantis, *pathognomici* dicti, ſimulque veram tenetis plerorumque acutorum morborum

rum definitionem, saltem descriptionem. Ergo habetis *signa anamnestica*, *diagnostica*, *prognostica*, *pathognomica*; supersunt *epigenomena*.

§. 879. *Illa autem signa, quæ docent mutationem variatasque conditiones morbi, nomine dicuntur ἐπιγενόμενα.* Si vim vocis græcæ spectes, *superventientia*, aut *superaccedentia*, hæcce signa sunt. EPIGENOMENA sunt signa, quæ adparent, non pertinentia ulla ratione ad morbum datum: v. c. petechiæ non pertinent ad pleuritidem; nunquam enim in historia pleuritidis auctores petechias habent. Differunt immo causâ; nam sanguis inflammatorius, densus, est in principio pleuritidis; sanguis dissolutus in petechiis. Quodsi tamen pleuritis non adfuisset, non habuisset petechias nunc ægrotans pleuritide. Pleuritidi superveniens peripneumonia est aliena. — Hernia nullo modo ad vomitum pertinet; nemo enim, dum describit hunc morbum, herniam ut symptoma necessarium adjungit.

Verum epigenomenon signat alio & frequenti sensu id, quod ex vi morbi solet sæpe contingere; uti ex hydrope tussis, a magna hæmorrhagia convulsio & singultus; ab ileo vomitus & singultus & stercorum ejectio per os.

Cur illa signa necesse adeo est scire? Respondet textus.

§. 880. *Quorum tanta est vis ad bene cognoscendum &c.* En rem exemplo. Inveni signum pathognomicum pleuritidis in meo ægro ante 4, 5, 6 dies: hodie reduci morbus adparet mihi longe alius & fere carens tribus illis signis, ex quibus pathognomicum meum formaveram. Neque enim amplius percipio illum du-

rum pulſum, aut acutiſſimam febrim, aut intolerabilem dolorem; aſt eorum loco pulſum mollem, undoſum; febrim minorem, ad veſperas inſurgentem; ſudorem maxime ad faciem & pectus & brachia: ergo ſigna omnino alia ab illis, ex quibus pathognomicum meum formaveram pleuritidis, ante aliquot dies. Hæc ſunt ἐπιγενόμενα. Defero itaque meum pathognomicum pleuritidis inflammatoriæ & ex enarratis mox ſignis nunc animadverſis formo aliud pathognomicum, æque certum, ac tutum quam prius, & dico: Hæc febris mitior, aſt veſperi recrudeſcens; hic pulſus mollis atque undoſus; hic ſudor partium ſuperiorum, hæc ſicca, inanis, & crebra tuſſis, dant mihi ſignum pathognomicum inflammationis verſæ in abſceſſum, latentis proinde vomicæ. — Redeo poſt aliquot dies & video iterum ſigna alia: febrim longe minorem, pulſum non undoſum, ſudoris ad ſuperiora ceſſationem, ſputum aſſiduum, copioſum, materiæ veræ purulentæ, & pro ratione evocati puris vires recreſcentes. Defero nunc meum ſignum pathognomicum latentis vomicæ, & ex his novis epigenomenis aliud ſignum pathognomicum conficio; nempe vomicæ perruptæ, materiæ incluſæ per ἀναγωγὴν evacuationis. Prognoſin rogatus, dico: Si ita pergat evacuare copioſe & viribus adcreſcere, curabitur integre; ſin minus, phthiſicus fiet.

Verum, loco enarratorum ſymptomatum video meum ipſum olim pleuriticum, dein vomica clauſa in thorace laborantem, nunc tribus ſeptimanis jam exactis a primo morbi inſultu; nunc, inquam, video illum minus quidem angi, quam antea; pulſum pro molli & undoſo, nunc habere celerem, inæqualem, parvum; habere in infimo thorace gravitatem; poſſe modo decumbere in unum latus; percipientem, dum ſe movet, ſtrepitum aliquem; habentem genas rubentes, oculos cavos, digitos in extremitate calidos, recurvos ungues, tumi-

dum

dum abdomen, dyspnoeam ; dico : hic alia ſigna ſupervenerunt. Ex collectis aliud pathognomicum, æque certum atque prius, formo ; nempe empyematis, effuſi puris ex vomica pulmonis, aut pleuræ, aut diaphragmatis, in cavum alterutrum thoracis. Hinc æger preſſionem ſentit ad diaphragma, & ubi in latus ſanum decumbit, pus effuſum incumbit mediaſtino, pulmonique ſano, vel ſanæ illi cameræ thoracis, in qua reſpiratio bona utcunque exercebatur ; hinc angitur, premitur & hinc cogitur vertere ſe, ut in latus adfectum incumbat. Hinc, dum ſe movet, audit ſtrepitum, quia conmovet illud pus ; hinc dyſpnoeicus eſt, quia pectus eſt anguſtius, & quia diaphragma a pondere puris incumbentis ægrius movetur ; hinc illi abdomen tumet, quia diaphragma eo tenditur ab hoc pondere ; hinc febricula a reſorpto pure, &c. Prognoſin rogatus, dico : Homo ille hecticus peribit, niſi fiat paracenteſis ; ſi pus tunc exeat bonum, ſervandi ſpes eſt magna ; ſi fœtidum, lividum, ichoroſum, mors timenda : quamvis hinc inde adhuc aliquis diſcrimen elabatur.

Nonne omnia hæc, ſic ordine viſa, epigenomena non modo totam ideam morbi mutant, ſed etiam medelam ? Ergo cognoſcendi ſumma eſt neceſſitas.

§. 881. *Quum vero omnia illa ſint effectus producti a cauſa morbi &c.* Videtis, nos ſenſim ſic duci in medullam praxeos : uno exemplo rem inluſtrabo. Pleuritidem, quæſo, conſiderate mecum, A. A. varia qua ludat facie, & mox intentionem PRÆCEPTORIS capietis. Pleuritica materies initio morbi nondum eſt coriacea ; ſed vaſa arctiora reddita ſunt, vel cruor eſt a quacumque cauſa velocior impulſus in vaſa minima laterum : fit ergo ſtaſis humorum : hinc

cruore a tergo urgente, nec per fines ultimos urgere ibi hærens valente, dolor ſuboriatur neceſſe eſt. Verum, necdum in hoc ſanguine eſt vitium peculiare: homo momento ante erat ſaniſſimus; aſt, nunc ſudans frigidam bibit, vel ira excanduit, vel motum ingentem exercens ſubito refriguit. Hinc in initio ſanguis denſus quidem eſt, nec tamen coriaceus: ſi initio v. ſ. fiat, ſæpe ſanguis cruſta inflammatoria caret. Eſt ergo denſior quidem, quia a tergo conpingitur, ſed nondum, ut ita dicam, inflammatorie ſpiſſus, nondum acer, ſed blandus.

Verum, pergat adtritus omni momento major reddi; diſſipantur ſenſim tenuiora, phlogiſtice inſpiſſantur craſſiora, ac, ut ita dicam, fit tunc cruſta inflammatoria quaſi epigenomena pleuritidi. Erat enim jam pleuritis formata, antequam hæc cruſta naſceretur. Immo dantur epidemicæ pleuritides, quæ cruſtam nunquam, ſed tantum ſanguinem primo denſiſſimum rubrum, dein diſſolutum, in vaſculo demonſtrent & nihilominus curentur. Ergo cruſta illa, plerumque adparens, non eſt de eſſentia pleuritidis, eſt epigenomena. Erravi ergo, credendo, in meo ægro hunc ſanguinem eſſe morbi cauſam; eſt ejus effectus.

Itidem video jam ab initio pleuriticum meum tuſſiendo ejicere ſputa; flava primo, ſtriisque permiſta ſanguineis, ſenſim ante diem quartam alba: erro maxime, ſi cogitem, hic prodire morbi cauſam. Sputa non aderant, quo primo tempore morbus formabatur: ſed læſa reſpiratione tuſſis fit & modo quocumque materies denſata in vaſis laterum per pulmones exſpuitur. Illa vero materies non fecit pleuritidem: nam formata ibi tantum eſt poſt primam inflammationem, dum ſanguis denſus quidem, ſed non coriaceus, erat. Ergo ſputum hoc effectus morbi, ſignum epigenomenon. Sic

&,

&, ut ante jam dixi, ſigna abſceſſus ſunt epigenomena, non ultra pleuritidis. Fiat, v. c. ut homo rupta vomica nimis ſubito & copioſe in cavum aëreum pulmonis evacuet materiem, ita, ut tota trachæa repleta, ſuffocetur; ille homo non eſt pleuritide mortuus, ſed a pleuritidis ſymptomate epigenomeno.

Notate, quæſo, hanc doctrinam in legendis Obſervatoribus: toties invenietis, dum exhibent cauſas mortis ex cadaveribus, aut ex hiſtoria ægritudinis, eos ſæpe peccare, quod epigenomena non distinguant a ſignis morbi veris pathognomicis. In hiſtoria vulnerum turpis ille error quandoque mortis reum fecit inſontem.

Ut nunc feci exemplo pleuritidis, poteſtis facere in muſæis Veſtris cum omnibus morbis aliis.

Hæc ergo epigenomena, pleuritidis v. c., ſpectant

1) Ad *cruditatem*: cruditas in pleuritide eſt ſanguis inflammatorie plerumque denſus, repetitis, iisque violentioribus, circuitibus factus. Eſt tuſſis ſicca, vel aquoſa, vel ſpumoſa; quia inpactior eſt materies obſtruens, quam ut mobilis fiat & exſpuatur: rubra urina teſtatur validum adtritum omniaque cruda; id eſt, a ſtatu ſanorum humorum penitus aliena.

2) *Coctionem*. Coctio dicitur, quando illa eadem cruda materies redditur minus aliena a ſtatu ſanorum humorum. Remiſſio incipiens doloris, anxietatis in reſpiratione, docet, materiem ex vaſis laterum moveri verſus cavum bronchiorum & excerni: urina tunc prodiens minus flammea, magis flava, idem demonſtrat.

3) *Exitum* 1) in *ſanitatem*: triplex enim morbi eſt exitus: 1) in *ſanitatem*, ubi *morbi* fit *integra reſolutio*, vel *naturæ morboſæ integra evacuatio*.

Reſolutio fit, ſi morbi vis magna non fuit, ſi humores haud multum a ſtatu ſano degeneraverunt: tunc blanda quiete, aëre temperato, alimento levi, potu

diluente, ſolvente, ipſa illa peccans materies reſolvitur ita, ut ſanæ ſimilis fiat.

Verum caſus hi ſunt rariores : plerumque *evacuatur* materies, ita a ſana mutata, ut in corpore manens, nunquam poſſit ſanis adſimilari humoribus Igitur, ſi pleuriticus poſt ſigna coctionis animadverſa, i. e. inminutæ cruditatis, exſpuat materiem, primo flavam ſtriis ſanguineis miſtam, dein flavam, tum albam; ſi alvum deponat flavam, nec ſpiſſam, nec penitus liquidam, nec nimis copioſam ; ſi urinam mittat brevi ſaturatam bona hypoſtaſi ; ſi pro ratione evacuationum dolor mitigetur, reſpiratio emendetur, febris minuatur, ſomnus tranquillior reddatur, vires increſcant ; auſim *ſanitatem* promittere.

Verum 2) morbum in *alium morbum* transire ſæpe me epigenomena docent ; ut vidimus jam antea, dum pleuritis abibat in abſceſſum, tum in vomicam ruptam, vomicâ ruptâ in lentam mortem a phthiſi : itidem, ubi pleuritis abit in abſceſſus ad crura, vel poſt aures; quos nos minus obſervamus, quam in Aſia olim HIPPOCRATES : etiam, ubi pleuritis abit in peripneumoniam.

Hinc 3) in *mortem ;* ut plerumque, quando pleuritis abit in gangrænam ; etiam quando transit in peripneumoniam. Nimium vires vitæ delapſæ ſunt a priori inflammatione, nimis acres jam facti humores, quam ut hanc ſupervenientem phlogoſin adhuc ſuſtineat homo. In mortem abit abſceſſus ruptus vel ſubita ſuffocatione, vel lenta phthiſi.

Epigenomena 4) ſpectant *ſecretionem, & excretionem materiæ coctæ ; quæ ideo vocantur* DECRETORIA, *vel* CRITICA. De hac materia ſuo loco agam fuſius. Paucis nunc dicam : quo tempore in plerisque acutis morboſa materies cocta ſecernitur ex maſſa humorum, miræ turbæ obſervantur, non a morbo,

bo, sed a motu hujus materiæ & ab adplicatione ac transitu materiæ coctæ ad varia loca excretoria corporis: illæ turbæ vocantur *perturbationes criticæ;* sunt ergo epigenomena: hæc sunt *decretoria*, sive *critica.* Si debito loco, copia, tempore, fiant critica symptomata, sunt *bona;* sin minus, aut *mala* sunt, aut *minus bona.*

SIGNA GENERALIA SANITATIS OPTIMÆ.

§. 882.

Hæc quidem peti debent ex actionibus corporis, &c. Incœperat Semiotica nobis generalem ideam dare, morbos cognoscendi, distinguendi, per varios mutationis gradus aliis oculis considerandi ac a priori conditione discriminandi: sed, sic pergentes, difficultates nonnullas in explicando offenderemus, nisi primo ex physiologicis, ex historia naturali, & ex idiosyncrasia, quædam consideraremus, quæ posthac, tanquam cognita subposita, in ipsis diagnosticis & prognosticis non modo has difficultates prævisas levabunt, verum etiam multa difficilia & obscura inlustrabunt.

Caput hoc agens *de signis generalibus sanitatis optimæ*, & caput sequens *de signis sanitatis singularis*, dabunt Vobis adcuratam ideam ejus, quod in Medicina vocatur sanitas perfectissima, tum & ejus, quod vocatur sanitas secundum temperamentum. —

Vo-

Vocabulum *temperamentum* adeo in Medicina ſolemne eſt ac uſitatum, ut nunquam detur caſus morbi explicandus, quin primo ægri notetur *temperamentum*. Eſt vero doctrina illa temperamentorum adeo confuſa, ut mereatur elucidationem, qua diſcamus, rite ea voce uti. Medici enim, utut famoſi, ſcribunt ad caput caſuum ſæpe hominem eſſe temperamenti ſanguinei, quæ tamen res ex reliqua relatione haud ita patet. Ratio eſt, quod non ſatis cognoſcant, quid *ſanguineum* ſit. Si homo faciem rubram habens dicendus ſit *ſanguineus*, poterit ſic eſſe a natione, a familia, ubi vaſa minima in facie pellucidiora, rubrumve ſanguinem facile admittentia, dum cæteroqui non eſt magna ſanguinis copia in toto ſyſtemate vaſorum. Vel facie alius rubebit, quia dyſpnoeicus eſt, inpedito cruoris jugularium introitu in cor dextrum. Si homo habeat faciem albidam, ut nullibi transluceat vas ſanguineum, dicitur aliquando *phlegmaticus*, quum tamen pinguedo panniculi adipoſi & membranæ celluloſæ vaſa nimium ſæpe tegat. Immo non deſunt, qui in relatione ſcribant, vel dicant, temperamenti *phlegmatico-ſanguinei* hominem eſſe; quo nomine quid intelligant, explicent ipſi: ſaltem ego fateor, me non intelligere.

Quum igitur de hac re toties ſermo fiat in adornanda hiſtoria morbi, ex qua diagnoſis & prognoſis erit formanda; ſponte eſtis convicti neceſſitatis, hæc nomina primum explicandi: unde ab ipſis rei primordiis incipiamus.

Hæc quidem peti debent &c., nempe ex *paragrapho prima* PATHOLOGIÆ; ubi omnes corporis ſani expoſitæ actiones.

§. 883. *Quarum 4 conditionum tres priores facile cernuntur, quarta difficilius &c.*: videmus enim homi-

nes

nes debiles ſæpe actiones vitæ omnes edere facile, commode, læte; ſed, ſi exercitium protrahere debeant, fatigati ſuccumbunt: ad ſanitatem autem perfectam demonſtrandam requirebatur in agendo conſtantia. Deciperent ergo nos ægri, qui aliquando, ut v. c. phthiſici, brevi ante fatalem horam movent apte brachia, ſcribunt, garriunt, loquuntur, ſed pergere coacti, ſuccumbunt.

Longævitatem; nam maxima longævitas eſt maxima conſtantia actionum vitalium, adeoque ſanitatis maxime firmæ.

§. 884. *Signa autem illa longævitatis &c.:* multis hic careremus adminiculis, niſi magnus BACO VERULAMIUS nobile ſuum edidiſſet opus *Hiſtoriæ vitæ & mortis;* quo conatus eſt ex omnibus auctoribus, ex omnium nationum obſervationibus, quosdam formare canones, ſecundum quos longævitas & vita conſtantiſſime ſana deſcriberetur.

Verum deinde, quum PRÆCEPTOR hoc caput adornaret, primo in ordinem redegit pulcerrima obſervata, quæ vel ipſe obſervaverat, vel quæ cum eo communicaverant triplicis generis homines.

Primum genus erat eorum, qui mancipia, ſive ſervos, emere conſueverant ad Batavas colonias in Aſia & Africa & America excolendas, ut etiam ad triremes in liburnicis. Quippe magnam vim pecuniæ dant pro ſervis, quia in coloniis Mauritanorum mancipiorum egent agmine toto: hinc eorum, qui emunt, intereſt plurimi, ut norint emere ſervos & ſanos robuſtosque, & vitæ conſtantis atque longævæ: continuo alioquin ſumtus inanes forent faciendi.

Secundum genus hominum, quos conſuluerat BOERHAAVIUS, erant viri angariandi militem periti; immo

&

& ipſi Belliduces, multis ab annis edocti, legiones fortiſſimo ac longævo milite refertas ſibi conparare; ita, ut cæteros militum duces in admirationem ſuarum legionum ſummam raperent.

Tertium demum hominum genus erant Equiſones [Piqueurs], Hippiatri [Paardedocters] & Veterinarii [Paardeſmits (*)], qui equos maxime fortes & longævos magno crumenæ ſuæ emolumento didicerant ſibi conparare, ſciebantque fortes fortibus procreari: etiam qui armenta, qui canes venaticos, emendi artem poſſident.

Si quarto his jungebat, quæ adtentus obſervaverat ipſe, quæ in hiſtoria naturali, helluo librorum, detexerat, quæ *magnus* inprimis VERULAMIUS in hanc rem ſcripſerat; utique poterat canones condere haud contemnendos, qui nunc ſequuntur.

Oportet vero præſcire, regulas omnes, ſive canones ſequentes, ita adſumendos eſſe, ut magnam partem ſic veri eſſe deprehendantur; haud vero ita, acſi aliter nunquam contingerent. Non datur ulla regula, quin exceptionem inventuri ſimus: verum ſimul deprehendemus, utplurimum rem ſic eſſe & contingere, ut hic obſervatur. Agite ergo, videamus.

§. 885.

(*) *Veterinariorum* nomine autem venire ſolent non tantum, uti HABNIUS vocem hanc adhibuit, fabri ferrarii, ſoleas equorum conficientes, qui ne quidem proprie termino hoc erunt ornandi; ſed omnes illi, qui medicinæ animalium cujuscunque demum generis, inprimis autem domeſticorum, & armentorum, incumbunt; unde & *medicina veterinaria* conplexum deſignat præceptorum, medicinam hanc ipſam concernentium. *de* W.

§. 885. *Operoſæ obſervationis beneficio ſigna hæc poſſunt referri in Europa ad has claſſes:* hinc erunt obſervationes plurimæ Europææ; ſed. nihilominus ad rem firmandam in opem vocabuntur exempla plura petita ab Aſiaticis & Africanis.

1) *A* GENERATIONE. *Conceptus ex parentibus ſanis, vegetis, plenæ ætatis.* Loquimur de vita humana & longævitate ſana noſtri temporis: ſi enim velimus conſiderare Patriarchas primos, certe noſtri centenarii modo pueri tunc fuiſſent. *Geneſeos cap. quinto* legimus: „ADAM natus annos 130 genuit SETH; SETH annorum 105 genuit ENOS; ENOS annorum 90 genuit CAINAN; CAINAN natus annos 70 genuit MALALEEL; MALALEEL annorum 65 genuit JARED; JARED natus annos 162 genuit HENOCH; HENOCH annorum 65 genuit MATHUSALEM; MATHUSALEM annorum 187 genuit LAMECH; LAMECH natus annos 182 genuit NOE; NOE, quum quingentorum annorum eſſet, genuit SEM, CHAM & JAPHET.

Hi omnes multos annos nati, immo nonnulli duo ſæcula, unus quinque ſæcula, genuere infantes, qui quoque per multa ſæcula vixere. Sed hi homines ex priſca illa longævitate erant ad quintum ſæculum expletum, ut nos ad quadrageſimum annum; nam plurimi ſæcula novem conpleverunt.

Ita poſt NOACHUM facto diluvio brevior eſt redita vita humana; ſed & juniores tunc genuerunt. SEM filius NOACHI erat 100 annorum, quando genuit ARPHAXAD, & vixit poſtea 500 annis; ARPHAXAD natus 35 annos genuit SALE, & vixit deinde 403 annis &c.

Tandem poſt aliquot generationes, conditamque turrim Babylonicam, iterum dies hominum abbreviati, ita, ut & juniores genuerint, & citius interierint: ad

annum

annum 30. leguntur genuiſſe, & ad 200., aut circiter, mortui fuiſſe.

Denique tempore MOYSIS tertia eſt facta vitæ humanæ abbreviatio; nam tunc vita ad 80, 90, 100 annos protracta videtur, fere ut nunc eſt; immo ætas annorum 70, 80 videtur tunc jam decrepita ſenectus fuiſſe.

Ter igitur vita humana abbreviata eſt, ſecundum hunc verſiculum:

„ Abbreviant noſtros undæ, Phaleg, exodus, annos.“

His ita viſis, intelligitis, neminem poſſe argumentari contra has regulas ex ſera ætate, qua priſci genuerant: ſera illa ætas erat apud nos noſtræ ætatis vigor.

Conceptus igitur a ſanis vegetisque parentibus, ut in omni animalium genere, ita & in humano, ſemper vitæ ſanæ durabilique profuiſſe viſus eſt. Notare hoc homines norunt in pecoribus & equis, neglexere in ſui ſimilis propagatione. Cecinit VIRGILIUS *Georgic. l. 3. v. 60.* &c. de equis:

„ Ætas Lucinam juſtosque pati Hymenæos
Deſinit ante decem, poſt quatuor incipit annos.
Cætera nec fœturæ habilis, nec fortis aratris.“

Dat dein ſigna equi generoſi fortisque, quo tales queant progigni.

Exprobrabat Athenienſibus ſuis SOCRATES ajebatque, ſe nihil magis in illis deteſtari debere, quam, quum tantam ſollicitudinem adhiberent, ut ex bonis fortibusque ac maturæ ætatis equis & equabus generoſos ſemper equos haberent; interea curam fortium libero-

berorum, unde ſalus reipublicæ penderet, penitus abjicerent.

Rara, ſed fervida, Venere utentibus; ut conceptio plenis viribus fieret. Sed hæc intelliguntur ſatis, etſiamſi haud explicem. Lycurgi, legislatoris Lacedemonum, coitum infamia notantis, illumque furtim modo concedentis, reſponſio erat, dum legem hanc crudelem vocarent alii, „Spartanos furtim genitos, adeoque fortes, volo.“

Matutino tempore, poſt perfectam a ſomno coctionem: quia homo tunc a diurnis defatigationibus reſtitutus, animo corporeque agilis & robuſtus eſt.

Tempeſtate verna & ſalubri: quia homo ſeſe eo tempore quoque maxime agilem & generoſum viribus ſentit. Vernum tempus omnia facit reviviſcere, immo integram quaſi reſuſcitat naturam. Qui longævorum necrologia examinarunt, teſtantur, eorum plurium, qui maxime longævi fuerunt, dies natales in mediam incidiſſe hyemem, ergo verno tempore conceptum præceſſiſſe. Ipſe Pater Hippocrates, *lib. de ſuperfœtatione*, ait: „Vernum tempus ad conceptum maxime adcommodatum.“ — Audite, quid ultra dicat: „Vir autem minime ebrius ſit, neque vinum album bibat, ſed valentiſſimum & meraciſſimum, cibisque utatur valentiſſimis; calido balneo non utatur; robuſtus ſit & ſanus & cibis abstineat, qui ad rem minime conferunt.“

2) A gestatione in utero. *Mater prægnans bene ſana, corpus ſatis exercens fortiter.* Conceptus quippe fœtus jam non alitur aut grandeſcit, quam a matris humoribus, ſuaque placentula utero connexus, uno, cum illa, ſanguine, iisdemque, cum illa, ſpiritibus, vivit vegetatque. Si morboſa illa deſidioſaque, atque adeo coacervans ſibi, defectu motus, cruditates,

tes, particeps harum fit fœtus; in longam diem inde forte pœnas daturus.

Mentem tranquillam habens. Utinam gravidæ mulieres agnoſcerent, quantopere interſit infantum, animus matrum in graviditate! Utinam cogitarent, iracundias, furores, intemperantias, inobedientias, ſuſpiciones, aliaque infantum vitia, quæ poſthac tam crebro experiuntur & lamentantur, magnam partem ex matrum gravidarum malo animo duxiſſe natales! Inmoderatæ paſſiones infantum dies eorum abbreviant. Vitia matrum & inportuna deſideria, quandoque vim tantam habent in fœtum difformem, miſerum, fatuum, monſtroſum faciendum, ut olim, dum de adfectibus animi ac de enormounte Vobiſcum egi, una obſtupeſceremus. Melancholia, hyſtericæ paſſiones, quid in fœtum queant, ibi vidimus.

Unum modo fœtum ſimul utero alens, ex alimento ſalubri. Gemini, trigemini, viſi ſunt vixiſſe ſani & longævi; ſed plurima tamen exempla demonſtrarunt, rarum eſſe eorum numerum; quum matri nimium alimenti detrahentes, ſucco minus alibili (alimentoſo) nutriti ſint.

3) A NATIVITATE. *Partus poſt novem integros menſes omnino abſolutos a primo conceptu:* maxime, ſi partus *facilis;* quia in *difficili* patitur infans, ut difformis, thorace, aut capite, conpreſſus &c. fiat (uti & haud raro fatuitatis, epilepſiæ, dyspnoeæ, aliorumque connatorum, ſæpeque adeo nulla arte curandorum, morborum ratio prima & unica a modo, quo in lucem editus infans, vel & a ratione vitæ normæ, quam prægnans mater obſervavit, eſt repetenda.) Quo enim citius in lucem infans prodiit, eo brevius illo nutrimento nutritur, eo calore fovetur, eo humore circumlambitur, quo unice parari poterat,

ut

ut aëris injuriis ferendis, lucique ac ſanis percipiendis aptus exiſteret. Unde & cura majori educare oportet inmature natos, quod teneri nimis in lucem prodierint.

Maxime ſi ille incidat in menſem Decembrem, Januarium, Februarium: quia tunc conceptus factus eſt vere, quod paullo ante, ut præ cæteris generationi aptum tempus, laudavimus. Forte &, quia aër frigidior magis roborat fœtum jam in lucem editum: (qui vero primis maxime a partu menſibus, & parentibus paullo commodiori vitæ genere utentibus ortum debens, raro præſidium illud frigidioris roborantisque aëris experiri ſolet.)

4) A modo, quo corpus crescit. *Lentum & maxime æquabile incrementum molis & virium, usque ad vigeſimum quintum, & ultra, ætatis annum.* Obſervaverunt hiſtoriæ naturalis Auctores, hominem ad annos 25 creſcentem, per 25 annos ſic perſtare, tum iterum per alios 25 annos decreſcere; hominem vero inæqualiter citoque in magnam ſtaturam excreſcentem, v. g. ante 20. annum, eum quoque perſtare per alios 18 aut 20 annos, & ad 40. annum jam decrementi ſigna oſtendere.

Quod textus dicat *ad 25., & ultra, annum*, eſt veriſſimum. Opinio communis eſt, quod homo ultra 25. annum haud creſcat longitudine; ſed ſcimus, incrementum hominis tamdiu fieri, quamdiu vaſa ſinunt ſe inpetu humorum elongari: quæ vaſorum flexilitas ſi necdum ad juſtam rigiditatem ducta ſit anno 25., cur non aliquamdiu elongatio poſſet produci?

5) Ab habitu corporis. *Thorax latus, amplus;* ut pulmones liberrimum atque ampliſſimum ſpatium ſeſe movendi nanciſcantur. Qui illud anguſtius habent, ad minimos motus anhelant. In partu difficili

vitiatur quandoque hæc forma thoracis, coſtis deorſum ductis, ſterno intropreſſo. Obſtetricis bonæ eſt, examinare thoracem & molli manu debitam figuram reſtituere. Cuſtodes vitiant ſæpe ſuis faſciis hanc formam. Intentus ſit Medicus in hæc omnia, dum curam familiarum gerit. Novimus ſane in Equis emendis eos reprobare, quibus depreſſior eſt thorax.

Abdomen gracile ac conpreſſum. Abdomine multa pinguedine onerato, vaſa ſanguifera conprimuntur, muſculi abdominales in actione ſua inpediuntur; maxime ſi homo vel currens, vel ſcalas altas conſcendens reſpiratione citatiori opus habeat. Uno verbo, expeditus antagoniſinus diaphragmatis & abdominalium muſculorum hinc ſummopere infirmatur. Unde gracilius abdomen cernitis fortibus ſenibus. Diſtinguendum tamen inter morboſam & naturalem abdominis gracilitatem; damnanda hypochondria introtracta. — Etiam ideo bonum gracilius abdomen, quod denotet, inteſtina fortia eſſe, contracta, a flatibus non expandenda: hæc melius operantur in alimenta.

Humeri, brachia, femora, crura; firma, toroſa, carnoſa: quibus patet, 1) omnia bene nutriri; 2) omnia nutriri æqualiter; ſunt enim, qui inæqualiter carnoſi ſunt; vitio aliquo ſive muſculi, ſive vaſis, ſive nervi, vel adjacentis alicubi tumoris. Vitium poteſt natum ex ipſa educatione eſſe, in qua infans ſemper uno modo in cunis jacens, uno modo ſemper in brachiis geſtatus, partes conpreſſas minus, liberas magis, nutritas habet. Iterum alia ratio invigilandi nutricibus, cuſtodibus, dum quis medicinam in familia facit: ex æquali nutritione facile conſtanterque ardua ferunt.

Humeri lati; ad facile perferendos labores, ad onera ferenda ſine incommodo. Maſculinas ſtatuas ſic diſtin-

ſtinguimus a femininis, licet facies & partes genitales ac mammæ tegantur. Sed feminæ anguſtiores ad humeros, planiores pectore & latiores ad ilia, pro generatione, geſtatione, ac lactatione.

Hirſuta; denſis, ſetoſisque, pilis hirta; ut validiſſimi homines conſueſcunt habere. Pilorum uſus, firmare poros, ut perſpiratio expedita ſit; tum & inpedire, ne epidermis, reticulum, cutis, a validis actionibus tam cito lædantur. Eo aptiores huic ſcopo pili, quo numeroſiores denſioresque. — Videmus ſub axillis, & ad inguina, tam denſam ſylvam pilorum, ne motu ac flexu harum partium excoriationes & exulcerationes naſcerentur.

Cranium magnum & capax, maxime ad occiput: non a parte faciei adparente, ſed fallaci ſpecie, magno capite. Falſo judicamus quandoque, hominibus magnum cranium eſſe, quod facies lata ſit, quod frons lata, quod mentum pendulum, quod propendeant utrinque buccæ. His autem ideo non eſt cranium magnum. Ergo requiritur magnum cranium maxime verſus occiput, in quo locetur magnum cerebellum, qui vitæ fons eſt. In partu vitiatur maxime figura naturalis capitis, fit enim oblongum. Si naturaliter ſe reſtituat, bene; ſin minus, vitium eſt, quod poteſt parvum locum pro cerebello conſervare, aliaque vitia, ad fatuitatem usque perpetuam, efficere. Hinc cura Medicorum & Obſtetricantium ſumma ſit, caput formare poſt nativitatem debito modo. Regula ſit ex mechanicis: quo vas magis ad perfectum globum accedit, eo eſt capacius; in oblongis itaque & conplanatis capitibus ſpatium pro cerebro & cerebello arctius eſt.

Apud Antiquarios volupe eſt videre, quam artificioſe (Statuarii veteres) rem expreſſerint. Statua HERCULIS tale cranium habet. Sed debemus judica-

re de his prudenter: in quibusdam videretur esse cranium parvum; cujus rei causa est quædam repræsentata actio, in qua caput intra latos humeros inmersum est. Latos enim humeros ipsis fortibus semper fingunt, idque veriſſime secundum naturam, ut gestandis magnis aptos oneribus. In statua APOLLINIS, MINERVÆ, videbitis, minus apta esse crania ad longævitatem, cultui utpote sapientiæ sacra. MERCURII tenuem cernitis agilemque conpagem, non vero formatam ad longævitatem; uti nec BACCHI.

Cutis dura; ad ferendos inculpate labores;

Caro multa; quia tunc fortitudo musculis adest.

Adeps parcior; ita, ut pulcra corporis torositas a carne musculi & non fallaci spe a multa adipe oriatur. Adeps enim nimius, ut jam in abdomine vidimus, magis inpedit, quam juvat, musculorum actiones; conprimit simul nimis vasa sanguinea.

6) AB HUMORIBUS. *Sanguis floridus quidem & crassior, qui extravasatus concrescit cito & satis valide, in molem tenacem.* Ad §§. 721, 722, 726, 727, 784, 785. demonstratum, sanos humores oportere esse neque adeo tenaces, ut ad arteriosos fines subeundos inepti fierent; neque adeo fluidos, ut nimium facile per illos transfluentes, nimia evacuatione debilitent hominem, aut errore loci morbos creent. Fluidissimus quidem sanguis est agilissimus facitque sanitatem optimam; sed non durabilem, non constantem. Sudando enim ac transspirando debilitantur tales homines, & vertitur in consuetudinem necessariam, damnosam tamen, ejusmodi abundans sudor & transspiratio; quam a minima causa lædi, repelli, inpediri, in proclivi est. Qui vero densiori, licet minus agiliori, sanguine gaudent, moderate perspirant, vix unquam sudant, vix ne a magnis quidem laboribus.

Reli-

Reliqui humores copioſi, tenaces, modice calidi, minus oleoſi, blandi: vidimus enim antea, pingues homines, lardo multo onuſtos, a motu, licet modico, debilitari; ac, ſi laboribus nimiam obeſitatem velint vincere, ſe ipſos perdere; niſi hoc prudenter faciant. — Tum & a febri acuta, facile alioqui ſolvenda, detenti calamitoſe habent; a fuſa pinguedine, facile putreſcente, cum humoribus miſta & adtrita.

7) AB ACTIONIBUS. *Reſpiratio lenta, magna, plena, facilis, æquabilis; cum minima adparente mutatione organorum pneumaticorum.* Equos emturi illos eligimus, qui primo in lenem, deinde in velociorem, curſum adacti, non redeunt anheli. Juvat ſæpe in templum, in hominum conventum aliquem, intrantes homines videre; qui pectore minus valet, ſua ſeſe prodit reſpiratione. Bellidux, quocum BOERHAAVIUS ſuper hac materie egit, militem lecturus, jubebat primo, parum ambularent, citatius dein, poſteà leniter currerent, denique velociter: quodſi vix anheli conſtanterque reſpirarent, hos lectu dignos judicabat, aptosque milites fore. Concludebat quippe, tales pulmones aëris plurimum, plurimum ſanguinis, commode capere conſtanterque poſſe; adeo eſſe facile explicabiles, permeabiles, contractiles.

Pulſus arteriarum lentus, magnus, plenus, æquabilis, fortis, conſtans; nec per cauſas leviores facile mutabilis. Eidem Belliduci hoc in arcanis erat. Poſt motum & curſum clamoresque pulſus fere inmutatus vitæ conſtantiam, mutatus multum inconſtantiam laborum deſignat. Eſt etiam pulſus celer his mutationibus magis obnoxius: lentus, magnus, plenus, æquabilis, pulſus ſummam denotat ſanitatem. Qui in Indiis mercaturam ſervorum callent, etiam hac arte mancipia emenda explorant. Neque lentus, magnus, pulſus

ſufficit, ſi in celerem a motu aliquo facto notabiliter mutetur; ſed, ſi parum mutatus, aut vix, deprehendatur.

Alvus tardior, & ſine incommodo ſicca: quod naturæ beneficium multi adcuſant ingrati: ſed, quæſo, me bene intelligatis. Sermo non eſt de his, qui vitio ſecretoriorum aut excretoriorum organorum ſegnes patiuntur alvos; ſed de illis, quibus *alvus tarda ſine incommodo ſicca eſt.* Inter *Epiſtolas* BOERRHAAVII habetis epiſtolam Medici Angli, conquerentis, auxilia omnia incaſſum adhibita eſſe, ut ſegnem matronæ ventrem obedientiorem redderent; unde medela rogabatur in tam pertinaci alvo a BOERHAAVIO. Erat cæteroqui ſana matrona; niſi quod hæreditaria kephalalgia nonnunquam torqueretur; quæ nec pejor, nec melior, nec tardior, nec maturior redibat, etſi alvus quandoque ad decimum tertium diem tardabat.

Reſpondebat BOERHAAVIUS *Epiſt.* 35., „ Re perpenſa, opinor, nihil mali in eo, quod rarius deponatur alvus, nihilque inde metuendum. Robur inteſtinorum, expedita venarum lactearum ora, perſpiratio liberalior, hanc corpori conditionem, laudabilem ſane, nec turbandam temere per medicamenta, effecerunt. Id omnino liquet vel inde, quod a copioſo alimento rara alvi excretione, non gravis ventri tumor, durities, moles, adſit. Cæterum provectior ætas certe id, de quo jam Domina conqueritur, mutabit. " — Nota anglici Editoris harum epiſtolarum ad marginem ſic habet: „ Hocce ſymptoma explicuit BOERHAAVIUS exemplo ab illis hominibus deſumto, qui loca ſub æquatore jacentia petunt: hi enim triplo plus ſolito comedunt, alvum autem rariſſime ſolvunt. Idem Britannis in Italiam peregrinantibus ſæpius accidit."

Sane

Sane plures tales homines in praxi habui, nec ob hanc causam unquam consulentibus medicinam dedi. Opus vero est labore, ut efficias, quo intelligant, hoc esse naturæ beneficium. Modo constet, ut dixi, non a vitio naturæ id oriri, sed a bona constitutione; ut erat in matrona, cujus illico data historia. — Mercatorem novi, hominem, si quem unquam, saniſſimum, qui per 30 annos, quibus ipsum novi, quavis octava, decima, duodecima die, non citius unquam, deponebat alvum, idque inculpate. Nunquam ipsi hanc ob causam medelam dedi. — Homo centenario major, lepidus, saniſſimus, Delphis habitans & Leydam profectus, ut Boerhaavio suum saniſſimum centenarium corpus exhiberet coram, rogatus quoties in septimana alvum ponere consueverat; „ more, inquit Boerhaavio, batavarum feminarum omni die Saturni suas ædes expurgantium; ita quovis octiduo expurgo meum tabernaculum.“

Est tamen hic aliquid animadvertendum (*): raro per omnem vitam alvus talis est, a prima juventute in senium usque: hinc & Boerhaavius in ante adducta epistola scripsit: „ Provectior ætas certo id, de quo jam Domina conqueritur, mutabit.“ Deinde magnus Hippocrates *Aph.* 20—20. ait: „ Quibus, dum sunt juvenes, alvi sunt humidæ, iis senescentibus siccantur: quibus vero, dum sunt juvenes alvi sunt sic-

(*) Dum etiam tales homines acute laborant, certe paullo aliter de alvo est judicandum: si enim juxta naturam semper regula sit desumenda, utique natura in hisce est consulenda, nec exspectemus alvum in his tam frequentem, quam in illis, quibus alias illa quotidiana. *de* H.

cæ, his ſeneſcentibus humectantur." Ergo HIPPOCRATES obſervavit homines conſeneſcere, quibus diu alvus humida fuiſſet: obſervavit etiam, homines conſeneſcere, quibus, dum juvenes erant, ſicca alvus fuerat, jam ſenibus humidior eſſet. *Aph.* 2—53. explicavit etiam, quænam tam commoda, quam incommoda exſurgerent ex hac alvi varietate: „Quicunque, inquit, habent alvos humidas, dum quidem juvenes ſunt, melius liberantur, [vel, melius degunt] his, qui ſiccas habent: ad ſenectam vero pejus liberantur, [aut, pejus degunt]; ſiccantur enim ut plurimum ſeneſcentibus." Ergo, ut dixi, in utraque hac varietate HIPPOCRATES ſenes ſanos ſalutavit; ſed ex tali alvo alios præ aliis commodius, incommodiusve, habere notavit.

Mens igitur explicanda ſic eſt HIPPOCRATIS in his *Aphoriſmis*, ut videamus, qua ratione verba PRÆCEPTORIS hic intelligenda ſint.

Videtur HIPPOCRATES primo reſpexiſſe ad illos, qui, fortes robuſtique exiſtentes, fortia quoque robuſtaque gererent inteſtina, quæ alimenta quæcunque rite exſucca redderent, & reliquam inertem molem diu, absque incommodo, adſervatam, omnino tandem duram redderent. Qui iidem, dum per ætatem vis fibrarum infirmari incipit, haud amplius ita valide omnem vim alimenti lacteis abſorbent, adeoque plus chyli & liquorum, alioqui abſorbendorum, commiſtum habent cum excrementis; hinc ipſis tunc fit alvus humidior.

Sed, dicetis mihi, fibræ per ætatem ſicciores & duriores fiunt; ergo videretur alvus per ætatem adhuc futura rarior duriorque.

Reſpond. fibræ per ætatem duriores fieri poſſunt, ſed non valentiores. Sanguis fit ſenibus parcior, minus nu-

nutriens, minores copia ſpiritus generans: inde rigidiores quidem, ſed ſimul hebetiores, inertiores, torpidiores, fibræ efficiuntur; agentes proinde tardius debiliusque in alimenta. Perit ſenſim illa mollities apta lacteorum ad abſorbendum & ſuſcipiendum chylum copioſum, vigorque ætatis ea quoque reddit inertiora.

Sed ſunt alii juvenes, etiam ſani valentesque, quibus ecquidem bona pro ætate inteſtina, ſed horum fibræ mobiliores. Illa irritabilitas eorum vincit firmitatem ac robur excitatque inteſtina ad celeriorem, ac proin humidiorem, materiæ fœculentæ expulſionem. Ubi hi conſenuerint, fit, ut jam pereat facilis mobilitas illa rigeſcentium fibrarum, occaleſcere jam incipientium. Quia ergo hi non conſueverant, alvum frequentem humidamque reddere, niſi propter hanc irritabilitatem, & cauſa illius irritabilitatis per ſenium jam ademta ſit, neceſſe eſt, alvum ipſis ſegniorem fieri ſiccioremque.

Ex obpoſito, illi, qui alvum ſicciorem tardioremque juvenes non reddebant, niſi quia inteſtina robuſtiora ipſis, nimia irritabilitate carentia, erant, adeoque molem omnino exſuccam reddebant; hi, inquam, languefcentibus nunc viribus rigidorum inteſtinorum, alvum edunt minus exſuccam, adeoque humidiorem.

Quod ad majorem minoremve illam inteſtinorum irritabilitatem adtinet, ea oriri poteſt vel a parciori copia muci inteſtinalis in uno præ alio; vel a bile, in uno atque alio temperamento ſeu copioſiori, ſeu paullo acriori: ipſa nervorum diatheſis in uno quam alio irritabilior per totum nervoſum ſyſtema, licet inlibata ſanitas utrisque adſit. Irritabilitates illæ ad ſenium labaſcunt.

Atque

Atque ita, ni fallor, intelligitis ſenſum ejus, quod hic PRÆCEPTOR dicit: alvus tardior & ſine incommodo ſicca non eſt conditio per omnem vitam perennis, ſed per ætatem obpoſito modo mutabilis: in utraque conditione apte ſeneſcunt.

Urina parcior & cocta. Vulgo credunt malum eſſe, quod plus bibant, quam mingant. Certe, qui multum mingunt, cæteris paribus minus perſpirant: ex *Sanctorianis* obſervatis id demonſtratum eſt. Homines debiles plus mingunt, quam fortes: omnia ipſis organa ſecretoria ſunt laxiora: unde, cum debiles feminæ hyſtericæ, aut hypochondriaci viri, a paſſionibus animi turbantur, profluvium urinæ exonerant. Putant tunc ſibi bene eſſe, nec animi adfectus nocituros, quia tam probe minxerint: falluntur; Medicus brevi poſt obpugnandas habet peſſimas obſtructiones, natas a ſanguine, quem nimium illud urinæ profluvium penitus exſiccaverat. Falluntur ergo & illi, qui ſanos ſe non putant, niſi tantum minxerint, quantum biberint, & qui ideo hydropem formidantes coëmunt ſibi vina oligophora, quibus magnas quotidie matulas expleant. Nimia urina excreta exſiccatus cruor obſtructionibus generandis aptatur, quæ originem præbere hydropi queant.

Sudor rarus. In ſanitate nil magis labilem vitam docet, quam nimia in ſudores propenſio. Conparate modo duros aratores & meſſores cum homine, vel femina, molli, debili: priores, tota die ſub ardente ſyrio laborantes, vix guttulam ſudant; dum molles hi vix ſe moveant, quin ſudent. Nonne equos hac ratione bonos ac valentes ex difficili ſudore diſtinguimus a debilioribus? Eſt in his ſanguis nimis tenuis, laxa nimis vaſorum oſcula. Porro ante vidimus, in ſanitate conſtante

ſtante firmum vaſorum robur requiri debitamque cruoris ac humorum denſitatem.

Somnus profundus, æqualis, reficiens. Homo bene ſanus, valens, peracto ſomno pacato, haud interrupto, mortis fere quamdam referente imaginem, reſurgit alacerrimus, vigore ac robore plenus. Signat talis ſomnus perfectam ſenſorii communis quietem; æquabilem, nunquam turbatum, humorum circuitum: ſignat, adeſſe nullam, quæ nervoſa ſtamina pungat, titilletve, acrimoniam; nullam, quæ ſanguinem in ſuo curſu retardet, inpediatve, obſtructionem; optimam ergo fieri ejus, quod diurno labore perditum erat, refectionem. Talis ergo ſomnus ſpondet conſtantiam in laboribus. — Somnus vero interturbatus per ſomnia, clamores, agitationes corporis, nunquam diu eumdem ſitum patientis, turbat perſpirationem, eo tempore maximam; unde cruda adcumulat, nec reficit diurnis laboribus perditos ſpiritus, nec cerebri tenella ſtamina per horas aliquot ſervat perfecta tranquillitate.

Voracitas cum digeſtione facili: hoc minus intellexit Verulamius: putabat ad longævitatem maxime conferre ſobrietatem, idque Cornarii aliorumque exemplis adniſus eſt probare. Sed magnus vir erravit in eo, quod ſobrietatem omnibus ex æquo convenire autumabat, nocere voracitatem. — Cornarus v. g. viſcera debilitata peccatis juventutis habebat; hinc ſobrietas ipſi longævitatem conciliavit, ubi voracitas viſceribus debilibus brevi conciliaſſet perniciem. At vero ſobrietas integris & valide in contenta laborantibus præſcripta viſceribus, iterato demonſtravit, nihil eſſe pernicioſius; quum ſani robuſtique homines, amore longævitatis Cornari ſobrietatem ſequuti, cito ſuccubuerint, viſceribus ſuis fortibus neceſſarium pabulum denegantes. Homines ſiquidem robuſti multum come-

den-

dentes, ſi alacres, minime gravati, a menſa reſurgant, nec caleant multum, nec tumeant valde; fortia viſcera demonſtrant, quæ distendi ſe haud multum ab ingeſtis patiantur: χαλκέντερα, ſive *ænea viſcera*, hos dixit vetuſtas.

Tolerantia laborum; ita, ut vix videatis a magnis laboribus defatigatum hominem. Tales

„ Inter ſeſe magna vi brachia tollunt.“

ut ait VIRGILIUS; nec videntur labore fracti, quamvis vitam totam tranſigant laboribus. Debiliores contra, laboribus protractis, ſudoribus diffluunt, atque a ſomno inæquali, interrupto, minus refecti, languent, conqueſti laſſitudinem. Hi certe, ſi ita pergant, vitam longævam haud promittunt.

Tarditas tam ingenii, quam motuum animi & corporis; ita, ut quotidie videatis illos, qui ſanguinem floridum tenuemque habent, qui mediocri tantum ſanitate gaudent, qui manu & auxilio Medicorum ſæpe indigent, ad ſolvenda propoſita problemata paratiſſimos. Si alicubi motus celer, agilis, requiratur, momento minimo temporis eum edere ſunt paratiſſimi, expeditiſſimi; in animi facultatibus exercendis ejusque ferendis motibus, fulmine citiores: quæ profecto fortunatæ conditiones in corporibus robuſtis longe tardiores ſunt.

Scilicet, A. A. O. O., nihil eſt ab omni parte beatum! Paſſim enim vita longæva aptiſſima non eſt ad ſtrictiorem Minervam colendam. Annos MATHUSALEMI rarius comitatur ſapientia SALOMONIS. In Auctorum virorumque doctrina ingeniique acumine celebrium vitis perlegendis, animadvertitis, vitam longævam apud illos fuiſſe rariorem. Ex obpoſito vidiſtis maximam partem eorum, quos annoſior ætas celebrio-

res

res reddidit, minus celebrari a parte ingenii. (*) De illo annuoso Magistratu britanno, utpote centenario majori, nihil, quod ejus memoriam perennet, habet VERULAMIUS, nisi quod 1) caseum adamaverat; 2) quod

---

(*) Merito tamen in margine codicis se ipsum hic correxit HAENIUS sequentibus: „ Difficile, ait, esset hoc probare. Si quis in *Diction.* MORERI hominum eruditorum vitæ annos quærat, innumeros horum invenit longævos; licet epitaphia plura inveniat, præmaturam lugentia mortem. — *S.* ARSENIUS, ARCADII præceptor, vir magni ingenii & virtutis, ærumnas multas passus in deserto Troadis, moritur 95. anno. — Familia *Arnaldina* habet cum longævitate juncta summa ingenia. Parisios venit *Antonius* ARNALDUS 1547., summus vir, Regis Procurator; vixit 101 annis. Filius ejus, oraculum Galliæ, summus Advocatus, vixit 72 annis. Hujus filius *Robertus* ARNAUD D'ANDILLY, multis libris clarus, mortuus 86. anno ætatis; hujus filius *Simon* ARNAUD, *Marquis* DE POMPONE, in politicis famosissimus heros, 81. anno. *Antonius* ARNAUD, Doctor Sorbonnæ, vigesimus filius *Antonii* illius ARNALDI Advocati; volumina 135 æque eruditissima scripsit; vixit annis 82. *S.* AUGUSTINUS vixit annis 76.; ASCONIUS PÆDIANUS, vir doctissimus, annis 84.; POMPONIUS ATTICUS, litteris tota vita occupatus, annis 77.; HERODES ATTICUS annis 76.; ARIAS MONTANUS annis 71.; *S.* PAULUS *Eremita*, vir litteratus, ultra annos 100.; *S.* ATHANASIUS

quod ſummus & edax fuerit & bibax; 3) quod centenarius jam turpi deprehenderetur adulterio. O vilem, quæ memoriam viri perennet, famam!

Verum, ut a principio dixi, inter multos tales ſemper exſtitêre pauci optimæ (quoad eruditionem) famæ. Ideo velim cogitetis, quamvis egregios ſapientiæ cultores v. g. NEWTONUM, aliosque, longævos noverimus, id tamen verum eſſe, quod longævitas longe crebrior apud tarda, quam alacria, ingenia reperiatur. Nullo ratiocinio, aut auctore hic opus habemus; qui ſemiſæculum vixit, multasque vidit & regiones & homines, de hac re convictus eſt.

Conſtantia ad mutationes accidentes; ita, ut etiamſi mutentur anni tempeſtates, ſi homo aëre diverſiſſimo mu-

---

SIUS ultra annos 80.; *S.* HIERONYMUS annis 90.; HIPPOCRATES ultra annos 100.: GALENI ætas dubia (fertur ab anno 70. adusque 140.) ſed tamen magna & longæva fuit. ARISTARCHUS, poëta, ultra 100. annos vixit; ARISTARCHUS, ſummus criticus, annis 72.: NEWTON unicum modo dentem ante 80. annum perdiderat; 80. annos natus urinæ incontinentia laborare cœpit; anno 84. mortuus. GASSENDI vixit annis 65.; ARISTOTELES annis 63.; RUYSCHIUS annis 93.; BOERHAAVIUS annis 70.; WINSLOWUS annis 91.; &c. &c. — *Paulus de* SORBAIT *Orat. II. p.* 771. ait: „Adſum oculatus teſtis, quod interroganti mihi Arnemienſis in Batavia Medicus, quacum vitæ methodo annum ætatis 129. ageret incolumem? reſpondit: Hac unica medicinæ regula: iraſci crede profanum.“

mutetur, ſi mutet vitæ genus totum; ille videatur prorſus idem, prorſus inmutabilis. Eo adducere homines Celsus in animo habebat *l.* I. *c.* I. „ Sanus homo, inquit, qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, ac neque Medico, neque Iatroalipta egere. Hunc oportet habere varium vitæ genus: modo ruri eſſe; modo in urbe; ſæpenumero in agro; navigari, venari; quieſcere interdum, ſed frequentius ſe exercere. Siquidem ignavia corpus he betat, labor firmat; illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit.“

Hæc quoad conſtantiam fabricæ corporis; ſed quædam etiam requiritur conſtantia animæ, ad objectorum mutationem. Ecquidem Stoicum haud oportet eſſe, nec datur verus Stoicus; id qui dicunt, mentiuntur ſplendide. Etenim ad mutationes fortunæ, ad jacturam amicorum aliaque mundi infortunia, hebetem & indolentem plane eſſe, haud convenit: moderatæ animi paſſiones conducunt ad ſanitatem. At vero ad ſingula incommoda & infortunia omnino ita moveri, ut mœſtitia & lacrymis vitæ robur atque integritas conſumatur, vix poſthac reparanda, non eſt hominis ad longævitatem diſpoſiti. Talem plerumque videmus moderate ita moveri gaudiis & mœſtitia; ut vita ſana inde vix quidquam patiatur.

§. 886. *Quod vero corporis fabrica &c.* Initio hujus capitis Præceptor dixerat, requiri ad longævitatem quatuor: 1) ut homo exerceat ſuas functiones facile, 2) commode, 3) læte, 4) conſtanter: eſſe tria quidem ejus generis, ut ſemper oculis pateſcant, quartum vero non poſſe niſi longo & operoſo examine detegi. Operoſum hoc examen tunc inſtituit. Jam adgreditur ſigna, quæ tria priora indicent.

1) *Ipso sensuum experimento;* unde quisque hoc in se ipso queat examinare. Si quis a cibo copiosiori cum adpetitu desiderato, cum gustu sumto, non gravetur multum, non multum caleat, non respiret anxius, non sit defatigatus; ille utique bona in se signa videt viscerum chylopoëticorum, diaphragmatis, musculorum abdominalium, thoracis, pulmonum, bonorum.

2) *Si signa adsint modo exposita* §. 885.; id est, signa constantiæ vitæ *præcedenti Spho* explicata.

3) *Si partes solidæ &c.* Si mensurando pulsum deprehendamus arterias multum efferri, multum se submittere, earum inde elasticitatem concludimus. Si vero pulsus quasi undosus reperiatur, elasticitatem agnoscimus parvam adesse.

Si sint prædita ea mole &c.; ut corpus sit omni ratione perfectum & aptissimum ad motus illos, ad quos vitæ vocatione obeundos destinatus homo est. Si ad labores validos, aut ad itinera, aut ad mentis exercitia destinatus, oportet corpus his obeundis quasi natum esse.

4) *Si ea sit natura humorum &c.* Bene animadvertit HIPPOCRATES, ubi pulsatio, ubi dolor, ibi morbum esse; nempe circulatorium motum & secretorium non esse bonum, non esse æquabilem. Nullam autem pulsationem, tumorem, dolorem in agendo percipere, demonstrat, liquida omnia citra renixum, citra impedimentum, per suos transvehi canales; demonstrat, canales debita lege excipere suos propellereque humores.

5) *Si ea est ratio unionis &c.:* de hac re egi in fine *paragraphi præcedentis.* Multis sane sapientissimis hominibus celerrima adeo actio reperitur corpus inter mentemque, ut hæc illud fulminis instar sequatur. Unde efficitur id, ut animi passiones, ira, amor, gaudium, tristitia, odium, tam velociter agant, tamque vio-

violenter, ut haud modo lædant ſanam vitam, ſed peſſumdent. Quantône auro vellet ſæpe ſapiens redimere ſuam celerem iracundiam, cujus ipſum toties pœnitet? Eſt vitium, quod integre auferre ſibi nemo poteſt, & quod, quoad vixerimus, debellandum habemus. Apud VALERIUM MAXIMUM quum SOCRATIS phyſiognomia a quopiam in ejus dedecus expoſita eſſet, reſpondiſſe fertur SOCRATES: ita re vera eſſe; ſed vitia adeo ſe corripuiſſe, ut meliori animæ melius conciliarit domicilium.

6) *Si color eſt roſeus &c.*; nempe apud pleroſque Europæos. Macilentiores homines obeſis plerumque ſaniores; qui moderate tantum obeſi, paſſim videntur eo colore gaudere. Sed de his CAP. SEQ. fuſius, ubi locus aptus erit, agendi de *corporis coloribus* variis.

Color moderatus; quippe antea vidimus, calorem majorem notare adtritum nimium; calorem minorem, adtritum haud ſufficientem: quorum ecquidem neutrum vitam ſanam & firmam indicat.

Ad ſenſum levitas; ita, ut quamvis libras 150, 160, 170 ponderet homo, tamen ſe ipſum non ſentiat; ut non modo ſpontaneas laſſitudines non percipiat, quas HIPPOCRATES *Aph.* 2—5. ait, morbos denuntiare, verum etiam, ut paſtus bene, nec ne; operatus, nec ne; æque ſe levem, æque ſe agilem percipiat. Notant hæc, illum facile, læte, commode, conſtanterque edere ſuas actiones.

7) *Maxima vis reſiſtendi omnibus morborum cauſis.* Si qua febris, aut gravedo, aut dyſenteria, aut aliquid aliud, epidemice graſſetur, tales homines parum, aut ne vix quidem, inde videntur adtingi: dum interea ſapientiæ cultores (aliique debilioris indole, aut vitio ſuo, conpagis) ſtatim vehementerque adficiantur

tur: nisi antea, Phrygum instar, plagis didicerint tempora sua melius & sanitati conducibilius dividere.

§. 887. *Sed maxima potentia &c.* Hic monet nos PRÆCEPTOR, ne crassissimum erremus errorem ex prædictis. Suntne illa corpora omnium fortissima, quæ plerisque maximorum & contagiosorum morborum causis omnium maxime valent resistere? Minime. Fortissima corpora videntur pessime omnium adfici lue venerea, peste, (*) variolis &c.; corpora autem debiliora minus. Sæpius jam ex SYDENHAMO & DIEMERBROECKIO retuli Vobis, tempore pestis, quæ florem juventutis robustæ tanquam falce demetebat, hydropicos, cachecticos, melancholicos debilesque senes, vix unquam pulcrius valuisse. Quæ causa? Corpora illa sanissima plus ignis ferre haud poterant, quin conburerentur; inepta proin, ut τῷ πύρι resisterent: qui vero calore majori indigebant, hi aucto calore convaluere; ubi Medicina antea frustra adlaboraverat, ut talem ipsis calorem conciliaret.

Ita

(*) In omni tamen peste non ita fit. Medicorum, qui ultimæ pesti Transylvanienſi interfuere, testimonio, lues hæc æque inbecilles & phlegmaticos, atque cachecticos invasit, quam sanguineos. Tamen ex utraque observatione constat, optima temperamenta non esse a contagiosis magis inmunia iis, quæ minus bona. In peste Londinensi erant fortissima corpora pesti magis obnoxia, quam debiliora: in peste Transylvanienſi æqualiter. *De* H.

Ita abſolvi SANITATIS OPTIMÆ SIGNA GENERALIA; nunc SIGNA tradenda SANITATIS SINGULARIS.

SANITATIS SINGULARIS SIGNA.

§. 888.

Viſceris cujusque. PRÆCEPTOR toties monuerat cujusdam *idioſyncraſiæ*: hic locum nunc proprium adſignat, eam explicandi. Ut enim antea vidimus, ſigna morborum conſideranda erant; ſed, quum in recenſendis iis ſæpenumero dicatur ejus, qui hoc morbo dato laborat, temperamentum tale aut tale eſſe, ut Medicus ad morbum datum, in dato tali temperamento peccantem ſimul advortat animum, hinc temperamenta illa erant conſideranda, antequam morbus in illa caderet.

Ergo TEMPERAMENTUM eſt conditio hominis illa, in qua eſt, dum ſanus eſt. Conditiones autem illæ ſunt in variis hominibus diverſæ: ergo ſunt diverſa temperamenta, ſuntque talia, ut certis quibusdam morbis faveant, certis obpoſita ſint: ſunt talia, ut ſingula quid habeant, quo aliis præſtent habeantque etiam aliquid, quo cæteris poſtponantur. Hinc, priusquam illa poſſent explicari, erat *temperatura* quædam *perfectiſſima generalis* deſcribunda, ad quam quo cæteræ propius accederent, eo perfectiores, quo remotius diſcederent, eo inperfectiores haberentur.

Priori capite generale tale temperamentum datum eſt; tradentur *hoc capite ſingularia.*

Incipit PRÆCEPTOR a viſceris peculiaris cujusque optima conditione; quam quia PHYSIOLOGIA perfecte dat, eo nos judicavit ablegandos. Hinc unum alterumve paucis modo adtingam. Rogor v. g., num cujusquam ſit pulmo bonus? Reſponſurus examino primo ſecundum phyſiologicas leges arteriæ pulſum, & inito intra definitum tempus pulſuum numero, jubeo, homo velit haurire aëris quamplurimum ac retinere quam diutiſſime poſſit. Quod ſi absque moleſtia, dolore, tuſſi multa, pulſuumque vix notabili mutatione, perfecerit, valentem huic adfirmo eſſe pulmonem. — Rogatus, num quis habeat cor perfecte ſanum, video primum, quantum caloris cor illud generet, idque ſive calida tempeſtate, ſive frigida; ſive poſt quietem, ſive poſt motum. Examino, qua ratione ſe habeat robur & æqualitas temporum, & pulſuum numerus; an non auctus multum, inminutusve. Quibus omnibus examinatis ſignoque cuique requiſito reſpondentibus, dico, cor illud rite valere — Rogato denuo, an alicui cerebrum bonum, indaganti, quo pacto exerceat omnes animales functiones, in promtu eſt reſponſio. — Rogat me quis, num ſit phthiſi obnoxius? Examino, an phthiſicis ſatus genitoribus? Non. An plurimum aërem captum queat diu retinere? Maxime. An plurimum aërem captum fortiter, ſed commode, effiet? Ita. Si interea dum hoc facit, nullum ſtrepitum audiam, nullos videam anhelitus, nullam percipiam tuſſim, audax adfirmabo, phthiſi obnoxium haud eſſe. — Hoc pacto, interrogatus, an ventriculus bonus? examino omnes functiones ventriculi excipiendi alimenta, retinendi, dividendi, conmiſcendi, conmolien-

liendi, (*) expellendi, & parata erit reſponſio. — Interrogat quis, an diaphragma bonum; an veſica urinaria; an renes; an organa genitalia? Phyſiologus recenſet omnes functiones a dato viſcere, aut organo,

(*) Non ingratam rem Lectoribus me facturum reor, ſi hac occaſione inſeram hic ſequentia, Phyſiologo æque ac Pathologo notatu digniſſima, ac utilia, excerpta tentamina circa vires ſolventes ſucci gaſtrici ex *Cl.* Stevens *Diſſert. de alimentorum concoctione*, *Edinburgi* 1777. edita.

Curavit ſibi confici *Cl.* Stevens ſphærulas; unam ex argento, plures ex ebore; conpoſitas ex duobus hemiſphæriis, interventu cochleæ jungendis ac ſeparandis, atque diſſepimento in duas cavitates diviſas; ubivis in ambitu foraminibus pertuſas. — Uſus eſt opportunitate hæc experimenta inſtituendi, quam præbebat *Hungarus* quidam, ſilices devorare ſolitus, ut hoc ſpectaculo lucrum faceret.

In primo tentamine *carnem bubulam* ſphæræ argenteæ incluſit & hanc *Hungaro* dicto devorandam tradidit. Elapſis horis 38 globulus alvo excretus eſt vacuus; caro bubula plane ſoluta.

Cum fruſtro *carnis ſuillæ* & *caſei* ſimile experimentum inſtituit; quæ, expulſa 48 horis poſt deglutitionem ſphærula, perfecte etiam ſoluta vidit.

Tertio inſtituit experimentum cum *pomis* & *rapis*; tam *crudis* quam *coctis*: eodem denuo eventu.

Glo-

exercendas: his recenſitis, examinat, an illud viſcus integre eas omnes expleat? Ita ergo bonum viſcus. Si minus, notati defectus dabunt gradum, vel magnitudinem, morbi, (ſemper ſecundum quantitatem *receſſus*

Globulum *granis tritici*, *hordei*, *ſecalis* & *piſis* inplevit; qui, dum per longum tempus in tubo alimentario retentus, dein excretus fuiſſet, nullam in contentis mutationem factam demum oſtendit; niſi, quod *piſa* paullulum ab humiditate, quam inbiberant, turgidiora eſſent.

Oſſa, tali, ut in præcedentibus tentaminibus dictum, ratione globulo incluſa & deglutita, ne quidquam in ventriculo de pondere ſuo amiſerunt: *articulorum* vero *ligamenta* perfecte deſtructa ſunt.

Hirudo & *lumbricus terreſtris* in viſcidam materiem mutabantur.

Quatuor ſphærulas eburneas, quarum prima continebat *carnis ovillæ* xvj grana, ſecunda eamdem quantitatem *piſcis cocti*, tertia *tuberum ſolani*, quarta *ſiſerum coctorum* æquale pondus, CANI devorandas objecit. Inciſo dein animali vidit in ſtomacho ipſas ſphæras inſigniter mutatas; utpote plus quam $\frac{2}{3}$ partes ponderis amiſerunt. *Caro* etiam incluſa & *piſcis* erant digeſti; portio *tuberum* aliquid amiſerat; ſed ſiſeres nullam mutationem paſſi ſunt.

Dehinc OVI quatuor tubulos cylindricos pari modo, ac ſphærulæ fabrefactos, intruſit, quorum duo *bubulæ crudæ* & fruſtillum *ſalmonis*, ana x grana, duo reliqui par pondus *raparum* & *tuberum eſculentorum* continebant.

Quum

ſus a ſanitate, ceu norma actionum omnium integritatis, æſtimandi; uti lineæ curvæ ratio æſtimatur ſecundum gradum receſſus a recta). Neceſſarium autem maxime (vario ſub reſpectu) eſt, ſic ſingularum partium noſſe integritatem. Judices v. c. ſæpe Medicorum ſententiam poſtulant, dum conjuges ſeſe invicem adcuſant inpotentiæ ad matrimonii uſum. Medicorum tunc eſt, examinare partem adcuſatam. Si ex bona

---

Quum ſex horis elapſis ſtomachus aperiretur, *piſcis* & *bubula* integerrima inventa ſunt, rapis & tuberibus interea plane diſſolutis.

Coctæ animales ſubſtantiæ in novo cum OVE facto experimento, inmutatæ remanſerunt.

Toſtæ bubulæ fruſtillum, gr. xij., cum *liquoris gaſtrici* unc. ſem. ex ventriculo CANIS, cui cibus per quindecim horas erat denegatus, deſumti, in phialam inmiſit. In alia phiala æquale pondus *carnis bubulæ* cum *aquæ* unc. ſem. miſcuit. Ambas dein calori 102. grad. digeſtorio expoſuit. Octo horarum ſpatio, *bubula*, cum *liquore gaſtrico* miſta, diſſoluta erat; dum alia, miſta cum *aqua*, nullam plane mutationem ſubierat. Poſt 24 horas ambæ ab igne remotæ: prior, cum liquore gaſtrico, pungentem, altera vere putridum odorem ſpirabat.

Patet hinc non ſolum, vim diſſolventem *gaſtrico ſucco* propriam, ſed diverſam ſimul ejus indolem in HOMINIBUS, *animantibus* CARNIVORIS & RUMINANTIBUS eſſe: patet etiam hinc ratio explicationis ſententiæ eorum, qui digeſtionem in ventriculo adtritu mere mechanico fieri autumarunt, *de* W.

Phyſiologia (ac Anatome) norunt, quæ ad bonitatem partium genitalium exquiſite requirantur, atque ſecundum hæc adcuſatam partem examinent, res brevi deciſa eſt, utrum juſta criminatio, an falſa, ſit?

Hæc de viſceribus ſingulatim; jam de toto homine.

§. 889 *Sed ſanitas eſt conditio &c.* Itaque non eſt ſanitas duobus hominibus communis. Illud adgregatum beneficiorum ſanitatis omnium Tibi ſingulare eſt; non eſt alteri tale: nec alterius ſanitas Tua erit; quantumvis ipſi æque bona, quam Tibi Tua. Sanitas enim Tua proprie bona Tuis in vaſis, Tuis in humoribus, Tuis in muſculis, Tuis in nervis; neutiquam omnibus aliis generalis. Si *Titus* ſaniſſimus, ſi ſaniſſimus *Cajus*, alter in alterius corpus ſuos invicem effudiſſent humores, alter alterius humores in ſua vaſa excepiſſent; ægrotaret uterque; quum ſuo proprio humore valuerant pancratice. Luculentis exemplis demonſtravit hanc veritatem elapſo ſæculo furor Medicorum, transfundentium humores animalium ſanorum in corpus humanum, ut & hominis unius in alterum: multa horum collegit SCULTETUS in *armamentario chirurg. P. II.* qui furor, ut fulmine citius omnes Medicos, maxime Britannos & Gallos, prehenderat, ita brevi omnes dereliquit; ut vix ſui relinqueret veſtigia.

Quæ proinde difficulter &c. HELMONTIUS hæc pro more ſuo exploſa voluit ex ſcholis medicis. Revera V. V. multi nimium ſubtiliter, & minus vere, ex his argumentabantur; ut & hodie multi: verum ideo non eſt tota doctrina rejicienda. Doctrina bona eſt; modo explicata bene, ſuosque intra limites coërcita.

§. 890.

§ 890. CALIDI TEMPERAMENTI *signa &c.*: ita, ut homines hi sint calidi tota vita, & tamen sani: calidi equidem non eo calore, qui in morbis urens; sed in suo genere moderato; iterum moderato ita, ut si in temperie frigida, mox describunda, tantus foret, morbus esset.

Corpus gracile; id est, non pingue; nec ideo tamen macrum, ut est in temperamento sicco, dein sequuturo.

Agile; quia gracile; id est, nec macrore siccum, nec pingui onustum.

Robustum; eamdem ob causam.

Calidum; ob causas mox dicendas; nempe adtritum

Pulsus major; crebrior; ab adtritu *major;* ob acrimoniam quamdam, mox explicandam, solida stimulantem, *crebrior.*

Iracundia, sed brevi furore detonans; instar ACHILLIS *Homerici*, Principis fervidi & acris; quem, gladium in AGAMEMNONA stringentem, ad flavum capillitium MINERVA tenuit, iramque celerem mox pacavit.

His videntur esse vasa robusta, contracta; viscera valida; quia magna actio solidorum in fluida, & viciſſim. Valida talis actio & oritur a robustis visceribus, & facit robusta viscera.

Humores valde moti, densi & acres: vasa robusta valde movent suos humores; ergo *humores valde moti.* Tales humores per vasa robusta condensantur in

(*) *Calorem* in corpore humano a causis aliis, quam ab *adtritu*, posse nasci, observationibus demonstravi Vobis, ut habetis *P. IV. Rat. Med.;* sed tantum hic unam causam noto. *de* H.

in debitam ſpiſſitudinem: ergo *humores denſi.* Sed adeſt aliquid *acris* in his humoribus, quod efficiat tam celeres mutationes a mente pacata in iratam. Si non eſſent humores denſi, ſed blandi, moti per vaſa robuſta; maneret major æquabilitas & conſtantia ad animi motus. Hic igitur in temperamento calido adeſt aliquis ſtimulus acer, efficiens, ut ſenſorium commune citius abripiatur in motum; dum paſſiones animæ hunc denſum cruorem aut rarefaciunt, aut citius movent.

Cujusnam generis illud acre? forte auctius tantum illud naturale ſalinum humanum, quod in ſaniſſimis adeſt humoribus, ammoniaco ſimile; his hominibus, ut dico, parum auctius & adtenuatius: nam cæteras acrimonias quod adtinet; non eſt, quod aliquid hic incuſetis.

Quisnam nunc fructus, aut utilitas ex hujus calidi temperamenti deſcriptione? Sane multiplex. Primam utilitatem nobis *Textus* ſubpeditat, dicendo: *Quibus humectantia, diluentia, temperata proſunt; calefacientia quæcunque quam maxime nocent:* ergo doctrina temperamentorum 1) dat cujusque temperamenti *ſigna;* 2) *effectus*, qui in tali temperamento phyſice reperiuntur; 3) quæ *diæta utilis* eidem, quæ *noxia.*

Roget nunc quis, quem calidi, illico deſcripti, temperamenti eſſe noſtis, qua diæta uſurus ſit, ut ſanitatem conſervet? Jam Vos non anicularum, aut medicaſtrorum, more reſpondebitis: hoc, vel hoc, ſanum, vel inſalubre, eſt: nam non datur quid ſalubre, aut inſalubre, niſi relative ad hominem illum, cui conſilium dandum eſt. Sed reſpondebitis ex huc usque dictis. Si homo ille utatur alimentis & potibus, qui motum augeant ſtimulo, calore; erit pronus cadendi in morbos acutos. Si iræ non contranitatur, & vino ſæpius ſe ingurgitet utaturque cibis aromate plurimo conditis,

ditis, ut in divitum menſis exhiberi ſolent; poterit facile in phrenitidem cadere. Igitur conſilium ipſi dabitis, ut cibos modice tantum ſalitos adhibeat, eosque ex farinaceo & oleraceo & horræorum fructuum genere plurimos; carnes piſcesque ſine ſtimulo multo paratos; vina pauca; aquam multam; motus moderatos; maxime calida tempeſtate paucos.

Igitur videtis ſalutare monitum ad tuendam valetudinem hic ſubpeditari ex cognitione temperamenti

2) Videmus nos omnes, tanquam in ſpeculo, in ſuo quisque temperamento, deſcriptos; ita, ut animi dotes & vitia hinc vel nutrienda nobis, vel debellanda, intelligamus. Itaque, quicunque videt, ſe eſſe v. g. calidi temperamenti, ille mox percipit, cur ita ſit in iram pronus? Diſcat itaque quivis, debellanda ſibi magis hæc vel illa vitia eſſe; ut demum, quantumcunque queat, emendet illa, ac ſe ipſum reddat meliorem.

Quum igitur quis noverit, cujus temperamenti ſit; in quæ vitia tale temperamentum, ratione variæ conmiſtionis & actionis fluidorum ac ſolidorum, inclinet; videbit ſimul, quam ſit neceſſe quoque talem obſervare diætam, qualis ad emendanda illius temperamenti vitia maxime ſalutaris deprehenditur.

3) Ex doctrina temperamentorum eſt, quod nullum horum ad amuſſim teneat omnia ſigna generalia ſanitatis optimæ; ſed quod unumquodque plus minus ab ea abludat.

Hinc eruitur id, quod omnes animi paſſiones ſubponant in humoribus aliquid prædominans, mutatum a diatheſi ſanitatis perfectæ: tum etiam, quod animi paſſiones violentiores aliquid demere queant de vitæ longævitate.

4) Se-

4) Sequitur, quod homo ſapiens v. g. calidi temperamenti poſſit habere omnes proprietates huic temperamento debitas & tamen carere iracundia. Vidimus antea, quod SOCRATES, ratione temperamenti in libidinem pronus & ut talis a Phyſiognomo deſcriptus, reſponderit, ita rem ſe habere, ſed ſtudio ſapientiæ ſe meliori animæ dignius paraſſe domicilium.

5) Sunt temperamenta hominum, quæ nullum fere cognitum temperamentum referant. Ideo erraretis, ſi credderetis, Vos omnes mortales in claſſe temperamentorum, Medicis deſcriptorum, invenire debere. Sunt, qui fere diſtincti quid habent; aut, qui ita ex diverſis temperamentis aliquid mutuentur, ut, ad quodnam referatis, hæreatis prorſum ancipites. Hinc caute circa hos pronuntiandum, & potius ſtatuendum nihil, quam perverſe. Forte ſunt perfectiſſimæ ſanitatis, in qua prædominetur prorſum nihil

6) Homines mutantur in temperamentis; ut femina poſt multos abortus, ut vir poſt nimias hæmorrhoides, ex temperamento calido ſanguineo in frigidum, humidum, phlegmaticum, mutentur; ut juvenes v. g. temperamenti calidi ſanguinei a vita ſedentaria propter ſtudia, propter artem quamdam ſedentariam, conprimendo viſcera abdominis melancholici fiunt temperamenti; ut & ſanguinei, calidi, per morbos, febres autumnales &c. Hic unice, dum ſunt in illo tranſitu, quædam manent prioris, quædam accedunt novi temperamenti; poteſt dici v. g. eſſe hominem temperamenti calido-phlegmatici.

Obeſi homines a multis Medicis falſo dicuntur plethorici: obeſi vaſa anguſta habent, a conprimente adipe, & oleo abundant omnia debilitante.

Quæ

Quæ ad calidum temperamentum dixi, dicta ſint (ſuo ſub reſpectu) pro omnibus aliis; unde in ſequentibus brevior ero.

§. 891. *Temperamenti* FRIGIDI *ſigna omnia contraria &c.:* ſigna omnia ſanguinis tenuioris, aquoſioris, pituitoſioris; ſolidorum vere laxorum. Sunt tamen in ſuo genere ſani. — Diætam præſcripturi jubete, caveant ab humidis, frigidis, laxantibus; (v. ſ. inprimis excedente) utantur vino generoſo moderate, cibis conditis aromate grato, utantur oleribus antiſcorbuticis & antiphlegmaticis, braſſica rubra proprio ſucco elixa, rapis, raphano, raphano ruſticano &c.; motum debitum exerceant; frictionibus utantur; habitatio ſit ſiccior.

§. 892 SICCUM *autem temperamentum ſpectatur fere ſignis calidi*, §. 890., *ſi ſimul adeſt macies.* Meminiſtis in *calidi* temperamenti definitione dictum corpus gracile, ſed non macrum. In gracili corpore non adeſt toroſitas multa; verum muſculi ſunt utcunque toroſi, licet pinguedo multa non adſit: in macie vero vix panniculus adipoſus turget contractique ſunt muſculi.

Cauſa eſt *vaſa hic contracta* præ ſiccitate, *humida pauca*, quia vaſa contracta non admittunt eorum copiam magnam, & *fere acriora*, quæ acrimonia adegit vaſa in frequentiores oſcillationes, quibus effectum, ut vaſa adeo contracta fuerint: acriora liquida quoque oleum ſanguinis conſumunt, unde marcor.

Pauca ergo differentia calidum inter ſiccumque temperamentum; niſi, quod macies adſit in ſicco. (*)

Eſt

(*) Uti calidum & ſiccum unum ſunt, ea tantum dif-

Eſt tamen ſuæ ſpeciei ſanitas : videmus macros homines per multos annos ſanos.

Nocent & juvant, ut in calido; quia ſunt eadem temperamenti fundamenta : ſed magis his hominibus adhuc diſſuadenda ſunt exſiccantia. Si enim cauſa adhuc augeatur, præ ſiccitate multa vaſa fient inpervia, mutabuntur in fibras & fiet corpus rigidum, ſenile, ante tempus. Quin & acria, addita acribus humoribus, poſſunt nocere ſtaminibus nervoſis; rarefactionem efficient : rarefacti humores ſunt eo tempore tanquam copia aucti; ergo vaſa, in fibris verſis multis, ſunt minora (pauciora), humores a rarefactione veluti copioſiores : unde febres, inflammationes, timendæ.

His ergo commendatur diæta ex rad. ſcorzoneræ, dauci, paſtinacæ, ſiſari germanor. betæ, ex omni genere lactucarum, ex braſſicis, rapis, cichoreis, carnibus & piſcibus, ſine calefacientibus paratis; tum ex fructibus horræis, vino pauco, aqua multa, & lacte; utantur & pro potu aqua ſelterana cum lacte, utantur motu modico, moderatiſſimo; aër ſit humidus, tepens; ſomnus longior. Balnea aquoſa, emollientia, juvant.

HUMIDUM *autem facile convenit frigido, ſi tumor accedat*, §. 891.; *unde reliqua eadem :* etenim frigidum temperamentum habebat fluida tenuiora, copioſiora; ſolida laxiora & facile tumentia. Humidum certe eo-

---

differentia, quod in ſicco macies, & in calido ſolum gracilitas, adſit; ſic & frigidum & humidum unum ſunt, niſi quod humido adſit diſpoſitio ad tumorem : ſed jam in definitione frigidi erat facilis intumeſcentia; ergo non differunt. Ergo duo tantum exacte loquendo temperamenta ſunt ratione *qualitatum*.

eodem redit. Vix igitur poſſumus ultra humidum, aut frigidum, temperamentum ſanum vocare, niſi admodum lato ſenſu: adeſt diatheſis ad hydropem; eſt ergo ſanitatis gradus admodum parvus.

Cæterum conſilium humidis ut frigidis.

Hæc porro ſunt quatuor temperamenta, quæ V. V. Medici referebant ad quatuor *Qualitates: calidum, frigidum, ſiccum, humidum.*

Sed habebant alia quatuor temperamenta, quæ referebant ad quatuor Humores; quos unicos ſtatuebant in corpore humano poſſe obtinere: *bilioſum, ſanguineum, phlegmaticum, melancholicum.*

Daturi igitur hominis temperamentum, illud nominabant ex conbinatione variorum; idque R. R. haud pauci ſequuntur. Sic vocant hominem temperamenti melancholico-ſanguinei, immo phlegmatico-ſanguinei; quas denominationes ipſis placeat explicare; quid enim velint, non intelligo; quaſi unus homo poſſet eodem tempore habere humores denſos & nimis fluidos atque aquoſos; eodemve tempore vaſa nimis robuſta & nimis flaccida. Hæc, quum ita abſona ſint, videamus primo *Humorum temperamenta*; viſuri poſthac, quid de conbinatione cogitandum.

§. 893. Biliosa *temperies &c.* Siccis conveniunt, & calidis: Itali, Hiſpani, Luſitani, Afri, Aſiatici, Africani, multi hujus temperamenti ſunt. In Indiis, ſub zona torrida criſpis, nigris pilis hirti ſunt homines; ita, ut earum feminarum pluribus viderim barbam virilem adeſſe; χολέρικας πικρόχολας ἀνὼ καὶ κατὼ ſcholæ vocabant; quare dicuntur & hodie *cholerici.* Non ſunt plane cholerici, ut illi, qui dicebantur *calidi*; nam iracundia erat his brevi furore detonans; hic eſt iracundia quodammodo pertinacior.

Hinc videntur conflati ex *calidis* & *ſiccis*: ſiccum enim temperamentum tantam mutabilitatem non admittit, quam calidum.

Conſilium daturi his cholericis, ut tueantur valetudinem, dabimus idem, quod calidis & ſiccis: ſiccos Aſiaticos & Americanos videmus aqua plurima uti, & horræis fructibus. Languent Hiſpani & Luſitani per hyemem hæmorrhoidum dolore excruciati; æſtivis fructibus & autumnalibus reviviſcunt.

Obponet forte quis morem Aſiaticorum, fere in media torrida zona diætam acerrimis aromatibus conditam parandi. Eſt pro parte verum: vidi aliquos, qui in inſula Java, in inſula Ceylon, in Bantam, atque alibi, magnas divitias adepti, Belgium repeterent, & diæta calidiſſima uterentur. Putabam, eos id facere, ne ex calidiſſima regione in frigida nunc viventes, nimis frigidi fierent. Aſt, ridebant me talia cogitantem: exponebant mihi, diætam indicam talem eſſe, eſſeque oportere. Se quippe in India tantis diffluere ſudoribus, ut animam acturi forent, niſi aromatum viribus adſiduo refocillarentur. Errabant tamen ſummopere, 1) quia ſuperioribus temporibus eorum anteceſſores haud ita vixerunt, neque ita vivunt multæ finitimæ ipſis nationes; — 2) quia ſudores ſic potiſſimum promovebant, quum continuo in hac calida diæta aquam theæ infuſam biberent; inde ſudandi non eſſet finis; — 3) quia necrologia Indiæ Batavæ teſtantur, ſenes raros quidem ibidem reperiri, ſed inter divites rariſſimos. — Immo, dum in Belgio ſic vivunt, emaciati ex India venientes, flore ætatis, ſaltem ante ſenium, moriuntur, ut ſæpius vidi.

Conſtat ergo, diætam huic temperamento ſalubrem eſſe ex humidis & aquoſis.

§. 894.

§. 894. *Sed* SANGUINEUM &c.: eſt circiter ut *calidum*, omni qualitate. Utrisque enim ſunt arteriæ venæque primi generis maximæ, eſtque roſeus color forte arterioſus potius, quam venoſus. Exſiliunt ſæpe; quaſi omnes devoraturi, ACHILLS homerici adinſtar; ſed mox iterum omnibus adblandiuntur, comitemque illico irarum pœnitentiam habent. Diæta præſcripta eſt in *calidis*.

§. 895. PHLEGMATICUM &c. . . . *conveniunt frigidis:* his venæ anguſtæ latentes; unde ægrius ipſis vena tundi poteſt: juvat, quod v. ſ. rarius egeant, videnturque *vaſa ſanguinea anguſta, lateralia vero latiora.* Si tenax phlegma nondum adjunctum ſit, ſeri in iis copia magna, rubri ſanguinis parca: hinc vaſa primi generis non multum turgent; vaſa autem ſecundi generis, & ſequentium ſerierum, tenues humores copioſius accipiunt, indeque turgent. Diæta ut in *frigidis* ac *humidis*.

§. 896 MELANCHOLICÆ &c. Glabram cutim habent pilosque nigerrimos; conveniunt hac in parte cum bilioſis. *Macilentia ingens, ſiccitas magna;* iterum cum bilioſa temperie conveniens; ſed eſt gradu major.

Color ubique maxime niger, qui in tali natione cernitur. Hoc PRÆCEPTOR prudenter monet, nam ſunt nationes coloris fuſco-nigri, quas male quis pro melancholicis haberet; qui igitur in illis nationibus fuſconigris melancholici ſunt, nigredine ſuperant cæteros ſuæ gentis. Eſt enim inter ipſos æthiopes coloris nigri diverſitas: maxima pulcritudo, ubi eſt nigredo maxima. Immo Batavi noſtri in Indiis adverterunt, Nigri-

tas utcunque albeſcere, dum hæri ipſis pœnas indicunt propter facinora.

Cunctatio melancholicis characteriſtica; tanta ecquidem, ut decies, jamjam concluſuri viſi, iterum differant & retro cedant; unde ſæpe in rebus ſuis, ubi maturatione opus eſt, ingentem patiuntur jacturam. Hoc nomine ſuis familiis atque neceſſariis ſæpe fiunt intolerabiles. Eſt motus ſpirituum & humorum in iis tardiſſimus.

Conſtantia: ut cunctatio oriebatur a tarda mobilitate ſpirituum, ita poſt cunctationem ſemel capto conſilio, nemo eſt, qui illos cogat a propoſito deſiſtere; ab eadem tarda mobilitate humorum.

Ira memor. Hæc illa Μηνιν αειδε Θεα HOMERI; hæc illa VIRGILII, *ira memor* JUNONIS; hæc illa *ira memor*, adeo deteſtata THEMISTOCLI; qui homini, artem reminiſcendi oſtentanti, „utinam, inquit, obliviſcendi doceres me artem!“ ſane talibus ægre perſuadeas, ut offenſoribus remittant culpas; quin ſæpe cogitant cum Medæa:

——— video meliora proboque,
Deteriora ſequor.“

Magna penetratio intelligentiæ: nec mirum, nam cerebrum inmutabile habent; non adficiuntur alia re, quam cui meditationes ſuas fecere ſacras; hinc de nulla alia re cogitantes, intime illam penetrant. In ſummis Mathematicis id toties viſum. Noſter Swammerdammius, Melancholicorum facile princeps, per medios ſolis ardores integris menſibus ſedere poterat, ut motum contemplaretur (circulantium humorum) in rana. (De *Inluſtri* etiam NEWTONO refert *Cl.* HILL, eum adeo melancholicum fuiſſe, ut nequidem, ſeſe nondum prandium ſumſiſſe, ſciret.) Novimus porro, bonum illum virum antecelluiſſe omnes antecedentes & contemporaneos ſuos in promovenda Hiſtoria naturali. Viderat

derat ſuo jam tempore ARISTOTELES, melancholicos eſſe, quibus eſſet a natura datum, abdita pandere & ſcientiarum promovere limites.

Quare his vaſa videntur ſtricta, robuſta, macria: ergo non facile mutabilia, *humores denſi, tenaces admodum, permiſti, nec facile ſeparabiles, aut mutabiles.* Tenuiora dudum avolarunt, unde aliqua tenacia & quaſi picea fiunt. Hinc tarditas intelligitur ad novum quid faciendum, pertinacia in eo, quod ſemel propoſitum. Conferatur hæc temperies cum ſanguinolenta & calida; ex hujus leviſſima mobilitate humorum & flexibilitate vaſorum, videbitis qualitates melancholicorum plane obpoſitas.

Nocent his &c.: unde damnandi Medici, qui in anxietatibus, aut furoribus, ſpiritus deſtillatos, volatilia calida, calida aromatica, iis præſcribunt, nomine ſpaſmorum omnia tegentes. Damnandi Medici, qui eosdem purgantibus aut v. ſ. curare velint. Non peccat humorum copia, ſed qualitas; & qui cogitant, demendo de veteri piceo ſe poſſe novis diluentibus & ſolventibus meliora ſubſtituere, errant. Ab omni ſæculo tentatum hoc, & incaſſum viſum. Nova illa non conmiſcentur intime cum tenaci veteri, nec eſt mutanda proportio inter vaſa rigida macra humoresque tenaces, his novis adfuſis. Vaſa illa a tenuioribus humoribus haud adficiuntur, ut continent circulationem: unde turbatur circulatio maxime. Hinc illæ anxietates, animi deliquia &c. ab evacuantibus. Dicetis, hæmorrhoidibus tamen juvari. Eſt hoc naturæ molimen, ut officina humoris maxime picei & ſtagnantis, inmediate hinc evacuetur; quod ipſum molimen tamen ſine anxietatibus haud contingit. Purgantia non agunt in tenacem materiem, nec educunt eam. Plerumque non agunt, ſi vero agant, ſeducunt adhuc, quod tenuius eſt, & reliqua

ſpiſſiora efficiunt. Unde denuo animi deliquia, pulſus intermittens, inæqualis, anxietates, vertigines, a demta humorum copia. Ut enim poſt v. ſ., ita poſt purgantia, efficitur in illis, ut demta humorum copia rigida vaſa vix columnam ſanguinis tangant, vix promoveant: unde languores hi, donec per debita reficientia humores perditi reparentur: aut, ſi id nimis tarde fiat, indigeant vino & ſpirituoſis, quibus vaſa ſtimulentur in validiorem actionem: porro illa excitantia vidimus in genere noxia eſſe. Validius enim agentia forte in ipſum cerebri corticem nimia vi adigent piceum humorem; unde deliria, mania, apoplexia &c. poſſunt oriri.

Juvantur &c.; ſi haberemus arcanum hos homines curandi, notum HIPPOCRATI, per *helleboriſmum* fundendi omnes humores & vitam tamen conſervandi, felicius cum melancholicis ageremus; ſed caremus iis HIPPOCRATIS ſcriptis quæ methodum doceant. Utinam poſſideremus opera HIPPOCRATIS auctiora, quæ vidit CLENARIUS in bibliotheca *Regis Maroccani* in Africa.

Interim, dum his caremus, ſapanacea, ſolventia, aceſcentia, diluentia, emollientia mitiſſima egregiam opem præſtant. Crediderim, ſi boni illi homines vellent uti toto æſtivo & autumnali tempore fructibus horræis, copia & magna, & adſidua; ſi hyeme, in quantum poſſunt, utantur pomis ac pyris, quamdiu adſervari ob tempeſtatem poſſunt; ſi ex æſtivis & autumnalibus fructibus, ut ex pomis, pyris, fragis, rubo idæo, ribeſiis, baccis ſambuci, paratis gelatis, ſive roob dicto, per hyemem & ver uterentur; ſi pro potu aquam mellitam continuo potarent, ſicque pluribus volventibus annis pergerent; crediderim, inquam, homines illos vitam tolerabilem acturos, immo mutatum iri plurimum.

Ve-

Verum Medicina plerumque erga illos languet; tum, quia Medici regimen eorum vix callent, tum, quia melancholici raro fidem aut Medico, aut Medicinæ, habent. Quos tamen vidi paucos morigeros, his vidi dicta insigne adtulisse levamen.

§. 897. *Porro maxima hinc utilitas in perspiciendis morbis* &c. Dum expendi causas proëgumenas morborum, triplices has vidistis esse: *plethoram*, *cacochymiam*, tunc expositas, & *idiosyncrasiam*, quam explicandam daturum erat hoc *de temperamentis* caput. Nonne videtis hinc, cuique homini fere quid singulare esse, quod influat in morbi tum cognitionem, tum curam? Nonne capitis hominem, leviter melancholicum, febri acuta detentum, alia ratione tractandum Vobis esse, quam sanguineum? Quam variat prognosis! Nonne omni momento metuendum, ne picea materies in tenella cerebri, pulmonum, cordis, &c. vasa inpingatur, lethumque subito faciat. Revera ratione temperamenti rarius tales adfliguntur acutis; tamen tempore epidemicorum videmus illos non prorsum immunes esse: porro, si iis laborent, plus habent metuendum, quam alii, a mota materie illa picea. Quam difficiles hic coctiones & crises in vasis rigidis, in humore tenacissimo! An non jam intelligitis, cur Hippocrates, *Aph.* 2—34., dixerit: „In morbis minus periclitantur, quorum naturæ & ætati, & habitui & tempori, magis similis fuerit morbus, quam in quibus horum nulli fuerit similis?“

Hæc de idiosyncrasia: verum & *cacochymiæ* primordia capere potuistis ex eadem de temperamentis doctrina. Nonne ad hydropem prædispositi sunt homines temperamenti frigidi, humidi, phlegmatici? Ergo cacochymia hydropica in suis jam intellecta

primordiis. Nonne ad obſtructiones diſpoſiti melancholici? Nonne temperamentum calidum & ſanguineum, quibus hominibus ſanguis utcunque acrior, ad hæmoptoën prædiſpoſitum?

Sed tota hæc doctrina temperamentorum abſoluta non eſt, niſi adjungamus unum alterumve obſervatum ex praxi quotidiana petitum.

Quippe homo non eſt, manetque ſemper, unius ejusdemque temperamenti. An hoc nunquam animadvertiſtis? Nonne vidiſtis aliquando amicos Veſtros, quos ab annis non videratis, ita a ſe mutatos, ut cum ÆNEA exclamaretis:

„ Quantum mutatus ab illo
HECTORE!“

Exempla ſunt frequentiora, quam putamus.

Juvenis temperamenti ſanguinei, calidi, in ſtudiis primus, ad ſolvendum problema quodvis datum momento citius paratiſſimus, ſpem faciens ſummam præceptoribus, parentibus, morbo acuto corripitur, qui, criſi perfecta carens, relinquit in viſceribus obpilationes; unde juvenis languet, pallet, & a mala chylificatione humores habet pallidos, aquoſos, vaſa infirma. En jam temperamentum humidum, ſive phlegmaticum. Quid inde? Ingens ille mentis vigor evanuit: eſt mens torpida, tarda; vix promiſſis excitanda præmiis, vix intentatis minis: ut præceptores atque parentes ſuſpicentur malum animum ſubliteſcere; quod tamen unice a mutato pendet temperamento.

Vidi phlegmatici, ſive humidi, temperamenti homines a juventute, quibus, præter ſpem omnem, ſecunda fortuna adriſerat, ita mutatos, ut ſigna hujus temperamenti diſparerent penitus & potius calidi ac ſanguinei ſigna accederent.

Ju-

Juvenes calidi temperamenti, ab adverſa fortuna diu multumque quaſſati, haud raro videatis incidere in melancholicum; &c. &c.

Immo eſt in gravidis aliquid, quod vel inexplicabile, vel huc referendum.

Femina, antequam prægnans foret, ipſa lætitia, manſueta, amabilis omnibus, poſt incœptam graviditatem moroſa, iracunda, miſanthropos, intolerabilis, fit. Vellet mutare, meliora ſapiens, ingenium, ſed vix valet. Enititur; vix excluſo partu eſt æque amabilis, & philanthropos quam antea. An mutata tota circulatio in illa, temperamentum ſanguineum mutare ita poteſt, ut incipiat ad melancholiam inclinare; ſanguine nimis preſſo, nimis conpacto in venis; nervis hinc irritatis?

Aliæ, quales plures novi, languentes, aquoſæ, macræ, dum gravidæ factæ erant, fuere agiliores, lætiores, inpingueſcentes, colore, animo hilariores; ut vellent perpetuo gravidæ eſſe, quod tam pulcre valerent: graviditate finita, ſenſim redibant ad priores languores, & quærulam infirmitatibus vitam. Nonne copia major ſanguinis laxitate potius, quam plethora, olim per menſes evacuari ſolita, nunc vero intra corpus manente ita, ut fœtus eo toto haud indigeat; nonne, inquam, eo ſanguine vaſa magis expleta referant pro tempore, temperiem ſanguineam? Nonne adpetitus & plura plerumque ipſis alia intra, quam extra, graviditatem?

Ipſum denique ſenium in phlegmaticos mutat ſanguineos calidos; mutat & invertit penitus ſolida, fluida, animi adfectus; &, ut ante vidimus, frequens v. ſ. ex ſanguineo facit phlegmaticum.

Tandem his circa temperamenta obſervatis videtis, liquido conſtare, Medicum, qui quando hominis temperamentum ante annos noverit & feliciter tunc cura-

verit, maximopere posse errare & hominem pessumdare, si non renovet temperamenti disquisitionem.

Videtis 2) quid censendum de *combinatione* temperamenti unius cum alio.

Temperamentum v. g. calidum cum bilioso copulari potest; conveniunt enim in multis; conveniunt in plerisque quæ naturam temperamenti constituunt. Sed an hæc copulatio est necessaria? Non videtur. Nam, qui dicit *biliosum*, simul dicit id, quod biliosum de calido habet; biliosum enim ex calido & sicco conponitur; an ergo præstaret dicere bilioso-siccum? Non esset falsum, sed superfluum: qui enim dicit temperamentum biliosum, ille simul expressit temperamentum calidum & siccum.

An licet scribere, vel enuntiare, hominem esse temperamenti *sanguineo-melancholici?* Minime gentium: sunt enim adeo diversissima & obpositissima, ut unum alterum plane fugiat. Toto cœlo differunt & solidis & fluidis & animi passionibus. Quæ ergo ratio combinandi? — Verum utuntur sæpe argumento: „Est corpus, quod quidem video ex omnibus signis, esse melancholicum; sed tamen patitur aut menses profusissimos, aut enormes ex hæmorrhoidibus fluores, aut narium incredibiles hæmorrhagias, aut sæpe hæmoptoë sanguinem ad libras exspuit: ergo debeo scribere sanguineo-melancholicum."

Sed huic respondeo: Vel definitio temperamenti cujusque est vera & bona, aut non vera & bona. Si sit bona, ut revera est, [nam continet quæque definitio hic data omne id, quod V. V. cuique temperamento adscripsêre] tunc dico, pilos flavo-albos non esse pilos rigidos, densos, nigros: tunc dico, carnem mollem, copiosam, non esse carnem duram, macilentam, siccam: tunc dico, humores valide motos, non

esse

esse eosdem tarde motos &c. Aut hæc vera sunt, aut bis duo non sunt quatuor.

Sed undenam ergo tanti sæpe sanguinei fluores? Ex ipsissima natura temperamenti. Nonne in melancholicis circa systema venæ portarum tam tarda circulatio sæpe fit, ut fere stagnent humores? Nonne humores stagnantes acrimoniam contrahunt? An ergo mirum, quod acer factus ille tenax sanguis vasa corrodat tum hæmorrhoidalia, tum uterina, tum pulmonica, tum nasalia? Quid ergo mirum, per erosa vasa sanguinem profluere copiosum? Nonne quotidie idem videmus in emaciatis phthisicis pulmonalibus, ut per diabrosin, qua data porta effluat sanguis ex pulmone? An ideo dicendi sanguinei?

Eadem ratione videtis, non licere dicere hominem esse temperamenti phlegmatico-bilioſi: nam qualitates utriusque sunt insociabiles; uti nec phlegmatico-sanguineum. Recogitate modo utriusque proprietates; videbitis, non posse eodem in homine, eodem tempore conbinari.

Homo habet v. g. signa temperamenti bilioſi & crus oedematosum: certe ex temperamento bilioso non habet id: est topicum vitium, non universale totius corporis.

Igitur recte uti his vocabulis discamus, ostendamusque nos proprietates cujusque temperamenti cognoscere, nec velle miscere ima summis, candida nigris. Sufficiat dixisse, hominem vel nulla palpabilia signa habere, quæ eum in aliqua temperamentorum classe collocent; vel habere signa maxime convenientia in temperie calida, aut frigida, aut humida, aut sicca: si magis, ergo eum habere signa temperamenti sanguinei, phlegmatici, bilioſi, melancholici; conbinationibus ut plurimum omissis.

Ca-

Calidum & ſiccum eſt *biliosum*; frigidum & humidum eſt *phlegmaticum*; calidum eſt *ſanguineum*: *melancholicum* haberet quidem ex bilioſo aliquid; ſed multum diverſum; unde illud ſolum manet.

Jam abſoluta hac præliminari doctrina citra ambages uilas poterimus SIGNA MORBORUM ipſa adgredi: ablata ſunt jam omnia, quæ nos retardare poſſent, obſtacula.

SIGNA MORBORUM.

§. 898.

SIGNA FUTURI MORBI *petuntur* &c. Quæritis, num præſcire poſſimus, hominem, nondum ægrotantem, ægrotaturum? Maxime id præſcimus, ſi adtendamus ad ſequentes regulas.

I) *Ex animadverſa inſueta functionum qualiumcunque* &c. Si alacer olim & agilis homo jam animo demiſſior ſit præter conſuetudinem; ſi res ſuas, quas olim alacer commodeque obibat, jam tardus adgrediatur; quæ olim cum gaudio, jam cum tædio; quæ olim conſtanter, jam veluti defatigatus peragat.

Præcipue quidem ex inminuta perſpiratione ſanctoriana: ſcilicet ex inminuta illa evacuatione nota & deſcripta per totum internum externumque corpus humanum, & in aptum concinnum ordinem diſpoſita a SANCTORIO. Innumera artis obſervata ſunt in hanc rem. Uno exemplo tantum utar. Sexus amabilis eſt in loco, ubi confabulantur, ludunt, ſaltant;

ubi

ubi calor foci, fornacis, candelarum, & multorum hominum atmosphæræ calorem facit 70. & plurium, graduum: mox egressæ rigent, & in carpentis frigent; cæteroqui nil mali passæ. His facile prædicitur morbus futurus. Dormiunt hac nocte inquietæ; mane capite dolent; dicunt, se refrigeratas, seu gravedinosas. Est a perspiratione inpedita. Inpeditum hoc perspirabile, retentum in corpore, adcumulatum stagnando, fit acre & vel in sanguinem resorbetur a vasis bibulis, & faciet febrim majorem, minorem, aut saltem aliquam febriculam, quæ liberiori perspiratione feliciter quandoque solvitur. Sæpe materies retenta in capite, ac dolorem capitis faciens, metastatice alium locum occupans alium ibidem morbum facit: sic v. g. haud raro collecto sub cute capitis illo perspirabili, nascitur odontalgia, & prout hæc odontalgia crescit, kephalalgia minuitur. Odontalgia est, quod cadat acre illud perspirabile retentum ad gingivas & radicem dentis in alveolo. Raro ibi curatur sine alia metastasi: incipit gena tumere: minuitur odontalgia & quando tumefacta admodum gena est doletque, odontalgia, cessat. Hic porro loci tepore ipsius loci, mollique diæta, sæpe solvitur: sæpe vero excitata in gena inflammatione, quæ in pus vertitur, absceſſus ibi magnus formatur; quo tempore per ficus tostas, per adplicata emollientia ad genam internam, curandum est, ut materies introrsum adliciatur & adlecta scalpello educatur, ne in gena externa fœda cicatrix faciem deturpet.

Si nunc non in gingivas metaptosis materiæ perspirabilis cadat, sed in fauces, inflammatio fit, & angina plus minus inflammatoria nascitur. Si vero perspiratio inhibita a tota peripheria corporis in sanguinem ducatur, facit omnes notos, sive acutos, sive inflammatorios, viscerum morbos.

Sunt

Sunt homines temperamenti utcunque aquoſi, quos liberior perſpiratio unice præſervat a morbo. Forte bene in lecto perſpirantes ſurgunt; aër in cubiculo eſt frigidus, vel audito in platæa rumore momento per feneſtram proſpiciunt. His illico tota facies, palpebræ, genæ, lingua, tument inmaniter per horas, aut dies aliquot; ſine multa febri aliquando, ſine alio incommodo.

Patet, cur citum auxilium capiant hi homines, ſi non poſſimus, ut illico reſtituatur perſpiratio, per purgans illico datum, utcunque hydragogon. Cutis raritas, alvi denſitas, & contra, ait HIPPOCRATES *Epid.* 6. *p.* 1174.

Si perſpirabile illud maneat in corpore, ſæpius ſe manifeſtat laſſitudine & gravitate membrorum: parum requiritur, ut æquilibrium noſtræ machinæ tollatur. Sanctoriana machina, aucto pondere corporis demonſtrat, inhibitam, aut inpeditam, perſpirationem. Qui hæc noverat HIPPOCRATES, quique *Epid.* 6. *p.* 1190. dixerat; „Carnes & ex ventre, & intrinſecus, adtrahunt: indicat autem ipſe ſenſus corpus totum tam foras, quam intro, perſpirabile eſſe; " ille, inquam, HIPPOCRATES illico agnovit, quam malum eſſet, non perſpirare, & morbos inde prædixit orituros *Aph.* 2 — 5. Laſſitudines non a labore, non a defatigatione, non a motu ortæ &c. a perſpirabili retento ortæ morbos denuntiant. Non datur fere morbus, quin hæ prægreſſæ ſint: acre fit retentum perſpirabile, & ſtimulo aucto febris naſcitur.

Adeo plenus hac idea erat HIPPOCRATES, ut etiam in ipſis morbis acutis magnitudinem periculi, majorem aut minorem concluderet ex non reſtituta, vel reſtituta perſpiratione, inquiens, „ ægrum quoque facile converti oportet & cum ſeſe adtollit, levem eſſe: quodſi gravis eſſe videatur, quum reliquo corpore, tum manibus pedibusque, majori cum periculo eſt.

2)

2) *Ex adcurata cognitione temperamenti in unoquoque homine, atque simul ex singulari structura corporis uniuscujuscunque.* Jam revocate, quæso, in memoriam, quæ dicta sunt de *temperamentis*. Prævideo tempore calidissimo plures fore ægros acutos ex sanguineis & biliosis, quam ex phlegmaticis frigidisque: immo, quæ his ultimis salutaria, prævideo. Hoc tempore calidissimo sanguinei, ac biliosi a minimo errore in sex rebus non naturalibus cum acutis conflictabuntur. Ex obposito, tempore humido, frigido, prævideo morbos in frigidis phlegmaticis: etenim homines hi per motum debitum, per auctam a laboribus perspirationem sanitate in suo genere bona gaudebant. Jam aër humidus frigidus inpedit homines a laboribus, aut exercitationibus multis, cogitque domi manere: transpirans ille humidus frigidus aër per ædes minuit perspirationem: hinc fiunt asthmata, dyspnoeæ, diarrhœæ, dysenteriæ, tusses, &c.

Nemo ad hæc observanda adcuratior HIPPOCRATE. & qui eum hac in re sequutus est, SYDENHAMUS. In *libris epidem.* HIPPOCRATES primo multa in temperamentorum & aëris constitutiones commentatur, antequam morbos describendos adeat. Tota *Sectio III. Aphorismorum* nil aliud præter hæc continet.

Ex singulari structura &c.: habet v. g. homo collum longum, & thoracem planiorem: si ille aut cantu, aut instrumentis ore ac pulmone moderandis frequenter ac vehementer delectetur, aut sit Ecclesiasticus, qui frequenter debet concionari; certam præscio hæmoptoën & inde phthisin. — Habuerit collum admodum breve, ut caput inter scapulas hæreat & sit simul plethoricus: etiam ille sibi a motu nimio corporis animique, a comessatione, a conpotatione, ab ingluvie omni, caveat; prævideo enim apoplexiam. — Habuerit homo malam pecto-

ctoris conformationem & eligat ſibi vivendi morem & munus, ubi alta & protracta voce debet v. c. coram tribunali cauſas defendere; prævideo facile aſthma &c.

Hinc monere poſſum parentes, ne quandoque infantes deſtinent muniis ſanitati adverſis.

3) *Ex obſervatione claſſium, quibus continentur cauſæ procatarcticæ §. 744—780.:* quatenus nempe hæ cauſæ excitantur poſt cognitas N. 2. cauſas proëgumenas. Cognoveram ex proëgumenis, tempore æſtuantiſſimo hominem ſanguineum & bilioſum male habiturum, ſi in ſex rebus non naturalibus peccaret. Jam talis homo, cui a calida tempeſtate metuo, debet hac ipſa meridie, ardente ſole, per horam peregre proficiſci in proximam urbem, aut villam, ſplendide pranſurus, vini generoſi pocula bene multa evacuaturus. Facile prævideo, hominem hac veſpera in præſentiſſimo diſcrimine fore, incidendi in quoscunque morbos acutos. Sane haud itidem timerem frigido humido temperamento; talis quippe homo itinere per calores melius habebit, quum multum noxii humores transſpirando ſit evacuaturus. Plurimæ tales inſtantiæ hic adduci poſſent; quas, ne in infinitum excurrat oratio, præterire liceat.

4) *Ex ſcientia certa epidemicorum dato tempore regnantium.* Hic iterum HIPPOCRATES, hic SYDENHAMUS egregie nobis præluxere facem. Sic HIPPOCRATES, *I. Epid. Sect.* 1. primum deſcribit conſtitutionem aëris & anni tempeſtatis ventorumque: deſcribit tunc febres regnantes admodum mites verno tempore; dein ſe convertit ad temperamenta hominum, qui plus, qui minus, eo morbo adfligerentur. Videtis, quomodo ibi deſcribat temperamenta ſanguinea & exercitata obnoxia epidemico, dum interea vix paucæ mulieres, [quæ, ſi non ſint viragines, ob vitam ſedentariam magis ad phlegmaticam mollitudinem accedebant]

la-

laborarent. — Quis uſus hujus obſervationis in clinicis? Magnus utique: ſi in principio quis incipiat ægrotare, vir phlegmaticus, aut mulier phlegmatica; jam ſcio, raro tales morbo epidemico nunc graſſante adflictum iri, ſed fore alium morbum. Si vero homo ſanguineus atque exercitatus incipiat vel primas edere querelas; jam, ſine multa in diagnoſi cunctatione, curam illico adplico, in hoc epidemico profuturam. Præterea uſus eſt illius obſervationis, ut moneam pronos in hunc morbum, velint cauſas procatarcticas evitare, ne eæ, junctæ cum proëgumena, ipſis cauſam morbi proximam conſtituant; tum, ut mutationes epidemicorum morborum adcurate notarentur, quum mutent medendi methodum.

Magnus SYDENHAMUS eadem methodo epidemicos morbos indagare adniſus eſt, eosdem uſus inde habuit. Videbat adtentus vir ex cognito morbo & eidem ſubjecto temperamento, quæ eſſet prophylaxis: videbat præterea medendi methodum ſæpe illico debere mutari, mutante epidemico: videbat, cognito epidemico, quod morbos alios intercurrentes quaſi de epidemico participantes, deberet curare; quod aliis non faceret temporibus: v. c. ſi diarrhœæ, vel dysenteriæ epidemicæ graſſarentur, morbi ſporadici jam magis per diarrhœam criſin adfectabant, quam alio tempore.

Neque modo ita noverat conſtitutionem epidemicam SYDENHAMUS, ut noſceret, quis, ſui temperamenti ratione, illi epidemico obnoxius degeret; verum etiam, quinam eſſent eodem tempore ſe melius habituri. Si variolæ, febresque acutæ varioloſæ admodum graſſarentur, noſcebat ſimul, idem tempus profuturum ſuis leukophlegmaticis, tardis, lentis, hominibus; dum flori juventutis ſanitatis grave exitium inmineret. Si eſſet quartana epidemicotata, præſciebat tempus hoc pro-

futurum leukophlegmaticis, quibusdam epilepticis; nocuum fore maxime atrabiliariis, quibus forte hinc atra bilis nimium moveretur.

§. 899. Habuimus ſigna morbi *futuri*: jam inquiramus, unde habeamus ſigna morbi *præteriti*.

SIGNA MORBI PRÆTERITI *habentur ex cognitis effectis, quæ relicta ſunt poſt quamlibet læſionem &c.* Homo aſthmate peſſimo laborans, maxime convulſivo, accedit Medicum: Medicus examinat, num morbo aliquo acuto pectoris laboraverit? Non. An congenitus, an connatus morbus? Non. An ab halitibus venenatis mineralium? An ſigna nati alicubi prope vitalia polypi? Non. An habuerit forte herpetem, achores, tineam, olim? Utique, & hæc mihi, ægrotus ait, unguento aliquo curata fuere, ex eoque tempore minus bene me habui, quoad reſpirationem. — Videtisne, ex tali detectione præteriti morbi me nunc poſſidere aliquam cognitionem, citra quam nunquam morbum curaſſem, jam forte a me curandum? Vel enim revocabo in antiquum locum materiem peccantem; vel ſubſtituam evacuationes alias, per fonticulos, aut ſetacea.

Alius homo me advocat, qui claudicat miſere, & tumet doletque crure. Rogo eum, an id a nativitate; an ceciderit; an luxaverit femur? Non. Quamdiu habeat morbum? A menſe 1. 2. 3. vel 4. An dolorem olim in lumbis, aut coxis habuerit? Maximum. Quid factum fuerit? Nihil: inſtar arthritidis, aut podagræ, tolerandum eſſe dixerat Medicus, quiete, tepore lecti, regimine blando emolliente. Invenio pulſum hecticum; intelligo, hominem habuiſſe inflammationem lumborum & coxarum eamque neglectam abiiſſe in ſubpurationem, a qua ægerrime liberabitur. Si enim conſidero, quæ HIPPOCRATES eam in rem obſervaverat, hor-

reo legens *lib. V. Epidem.* quomodo Eupomenus nata ſubpuratione ad coxendices miſere perierit, quamvis inuſtus: quomomodo Scamander eodem morbo obierit: quomodo Hecason, ſerius uſtus, interierit: quomodo alius Hecason, qui jam reſtitutus credebatur, ab eodem malo, ſubpuratus, mortuus ſit. Si conſulam Auctores poſteriores, idem reſponſum accipio. Si praxin propriam intuear, video hinc inde aliquem ereptum, ut Hippocrates quoque unicum Lyconem, poſt adhibitas cucurbitas, & tantum poſt longum temporis intervallum, curatum narrat: cæterum plerosque vidi mortuos; ut & hic exempla habuiſtis in noſocomio (*) — Atque hæc de ſignis morbi *præ-greſſi:* nunc videamus ſigna *præſentis.*

§. 900. Signa morbi præsentis *ſpectant ejus cauſas, naturam, ſymptomata, ſtatum, eventum:* nam morbus retinet quidem idem nomen, ſed mutatur tamen omni die, quod bene notandum, quia etiam mutanda medela eſt: pleuritis v. c. die quarta non eſt amplius ut erat die prima & ſecunda; adeoque forte tota medendi ratio poteſt mutata eſſe.

§. 901. *Signa indicantia naturam cauſæ morbi petenda ſunt* 1) *ex obſervatione rerum earum, quæ corpori adplicata &c.* Intelligitis, opinor, nunc, cur in Aetiologia adeo longus fuerim, ut nempe, in quantum

(*) Vidimus enim in cadaveribus horum, malum hoc ligamenta, tendines, perioſtea, oſſaque corrodere, priusquam materies extrorſum vertitur: ita ut, ſive cum Hippocrate locum inuſſerimus, vel ſcalpello levem aperturam fecerimus; mors tamen ſubſequatur, propter interiorum deſtructionem. De H.

poſſet fieri, perſpectas haberemus omnes cauſas, quæ ex claſſe ſex rerum non naturalium, morbum poſſent excitare. Hinc quia tantam partem efficiunt illorum fundamentorum, quibus ſuperſtruamus cognitionem morborum, debuimus illas, qua late patent, exponere cauſas.

2) *Ex idioſyncraſia; v. §.* 388—898. Cauſæ eædem non in omnibus eosdem effectus præſtant: idioſyncraſia facit, ut homo a caſeo, quem alter perdite amat, cadat in animi deliquium; ut a præſentia felis, cui domicella blanditur, ita angatur, ut vel felis ædibus ſit ejicienda, vel ipſe ædes deſerere cogatur. Idioſyncraſia eſt, quod unus ab emplaſtro curetur, alter toto corpore fiat in cute inflammatus. Idioſyncraſia eſt, quod robuſtiſſimus homo a viſa guttula ſanguinis, quem alii ſibi ex mera conſuetudine profundunt, cadat in animi deliquium. Idioſyncraſia erat, quam, deſcribente HIPPOCRATE, *libr. V. Epid.* habebat NICANOR, qui ad ſonitum tibicinis præ timore turbabatur totus, ſi dies eſſet, de nocte minime; quam etiam ibidem loci DEMOCLES habuit, qui ad tibicinis ſonitum caliginoſus ac vertiginoſus & meticuloſus fiebat. Idioſyncraſia eſt Scoti illius, qui in *Transactionibus anglicanis* deſcribitur; ita conparatus, ut, ſi ridere quemquam videret, ignota licet cauſa, ſimul in cachinnos reſolvebatur, licet in media platæa; quantumvis reluctans animo, cæterum ſapienti: ut, ſi plorantem videret, ſive in foro, ſive in templo, infantem, mox ſimul maximum ploratum, ſtulti inſtar, edere cogeretur: quantumvis vir, cætera ſapiens, ſe ipſum deteſtaretur. Idioſyncraſia eſt, quando homo ſanus ſemper habet intermittentem pulſum; qui idem ægrotaturum ſe novit, ſi pulſus fiat æqualis; & tamdiu de ſalute in morbo deſperat, quamdiu illa æqualitas durat; qui, reluctante Medico, ſanitatem ſibi

ſpon-

ſpondet ex redeunte intermiſſione: qualem caſum ipſe vidi in uno ex ægrotis meis; qualem & alii habuere Medici.

Congeniti & connati morbi quodammodo ad idioſyncraſiam pertinent: pertinent eo etiam ante explicata temperamenta.

Quia igitur hæ cauſæ ad cauſas morborum prædisponentes pertinebant, debuimus quoque eas ad longum explicare variis jam occaſionibus. Hæ cauſæ nunc faciunt multum, ut noverimus præſentem morbum. Si intra ſemidiem totum corpus a capite ad calcem inflammatum puſtulis ſit prorſum anomalis, & ignorem illi homini heri adplicatum fuiſſe emplaſtrum ad leniendum aliquem in corpore dolorem, quid prodero ego? Idioſyncraſia examinata rem explicat, morbum præſentem mihi patefacit. Vidi ſæpius in praxi hos caſus.

3) *Ex obſervata - - - incurrentium.* Novi hominem plethoricum, vel ſanguineum, vel bilioſum, ex proëgumenorum doctrina: novi eumdem frigide bibiſſe, calefacto corpore: teneo igitur cauſam procatarcticam. Vocatus ad illum video, eum præ dolore lateris ejulantem, reſpirationem ſuffocantem; ſentio pulſum durum, febrilem: natura obſervati effectus, in ſenſus incurrentis, demonſtrat mihi, hominem illum pleuritide laborare.

Veniant nunc, qui dicant, artem medicam plane incertam eſſe, qui CELSI quoque error fuit. Vix video, artem eſſe noſtra certiorem. Quid deeſt in hoc morbo mox dato, quod non perfecte noſcam? Novi cauſas prædisponentes, excitantes; oculis video cauſæ proximæ effectus. Dentur mihi artes, quæ ſua clarius intelligant!

Jam adplicandæ ſunt notitiæ hæ duplici generi morborum, *externorum* ac *internorum*. *Externis* in PARTE PRIMA operis hujus, ubi de vulneribus, hæ-

morrhagiis &c. agebatur, ſatis incubui; non vultis, opinor, hæc ut iterum repetam (facile vero patet copioſos dari morbos externos, quorum non facta mentio). Ergo transibo a §. 902—906, & ad morbos internos contemplandos me totum convertam.

§. 907. *Locus adfectus internus, a cauſa interna difficilius pateſcens, detegitur tamen*

1) *A natura cognita cauſæ;* v. g. ſit in corpore plethorico inſolatio facta protractior, calida meridie.

2) *A functione læſa*; inſolatio rarefaciens, ut cauſa excitans, cum plethora ut prædiſponente, cauſam hanc proximam effecere in meningibus cerebri, ut homo præ dolore nequeat caput ſuſtinere; ut vertigine rotentur oculi &c.

3) *A natura morbi*; ſolent a talibus binis cauſis inflammationes fieri, dolores, febresque validæ; inde, ſi ad latus, pleuritidem; ſi ad caput, phrenitidem: video jam tunc cauſas; ergo timeo phrenitidem.

4) *Ab excretis inprimis;* alba ad linguam materie; urina rubèrrima, cruda, ſæpe aquoſa; excrementis alvinis albidis, quia ad ſyſtema bilioſum ſpaſmodicæ contractiones &c.

5) *Ex ſymptomatibus bene cognitis, conparatis cum ſcientia anatomica partium.* Anatome v. c. phreniticorum me docuit, eſſe in phrenitide membranas cerebri inflammatas; hinc obſervationem hanc anatomicam confero nunc cum loco dolente in hoc homine, qui phrenitidem habet, & concludo, in eo quoque has inflammatas membranas, eumque inde delirare.

(Prælegere hic loci ſolebat HAENIUS in quibusdam *curſibus pathologicis* DISSERTATIUNCULAM ſequentem, in qua fontes nunc expoſitos quinque, internoſcendi locos adfectos internos, latius nonnihil ex-

po-

ponebat per inſtantias depromtas ex claſſibus morborum *cerebri*, *narium*, *faucium*, *thoracis*, *pleuræ*, *mediaſtini*, *pericardii*, *pulmonum*, *cordis*, *diaphragmatis*, *hepatis*, *ſplenis*, *ventriculi*, *pancreatis*, *meſenterii*, *omenti*, *inteſtinorum*, *renum*, *ureterum*, *veſicæ*, *urethræ*, *uteri*, *genitalium*, *inguinis*. Etſi ampla ſatis ſit, Tironum tamen in commodum ſubprimendam eam non eſſe, cenſui.)

Hic locus nunc naſcitur, late divagandi; nam continet hæc paragraphus fere totam medicinam practicam. Urget id faciendi neceſſitas inevitabilis: ſemel enim ex æquo ſtatuatur oportet, quo uſque medicæ artis vires valeant, & in quo deficiant eædem. Dantur enim morbi, quorum diagnoſis facilis; dantur, quorum difficilis; immo, quorum inpoſſibilis. Hinc candide dabo certa pro certis, pro dubiis dubia; in inpoſſibilibus indicando artis limites: haud enim credamus, nos poſſe morbos cognoſcere omnes. Quos igitur noſſe datur, quos difficulter, adcurate explicandum eſt. Inde id efficitur, ut in poſterum artem, qua late patet, extendatis ad omnes morbos; ut, quidquid in arte certum eſt, & conſpicuum, probe calleatis, & ut artis limites in incertis haud exſiliatis. Qui pronuntiare velit ut certum, quod incertum eſt, artem medicam haud callet, poteritisque ipſi hoc aperte dicere, quod pronuntiet talia, quæ ars medica prorſum ignoret. Boni artificis eſt, ſuæ artis pomœria noſſe, qua late pateant, noſſe etiam, quibus coërceatur cancellis.

Etenim ex his quinque fontibus &c.

1) CEREBRI; mox inter explicationem horum quinque fontium exemplum dedi phrenitidis. En aliud de cerebro exemplum.

1) *A natura cognita cauſæ;* eſt temperamentum phlegmaticum, & magno frigore correptus eſt homo.

2) *A functione læſa*; ſenſus interni externique languent: audit, ſed vix reſpondet; vult aliquid dicere, ſed & memoria non ſuggerit, & lingua non obedit; vult quid adprehendere digitis, ſed ſinit id cadere in pavimentum; vult aliquid quærere ad alium angulum cubiculi, vacillat, titubat, ut, ni ſulciatur, cadat.

3) *A natura morbi*; natura morborum pituitoſorum ea ſemper obſervatur, ut ſi adcumuletur denſeturque pituita, ea & cerebri vaſa infarciat, & cerebrum premat: utraque de cauſa ſpiritus ſufficientes ultra non ſecernuntur.

4) *Ab excretis &c.*; vel, quia ſunt excreta nunc præſentia, quæ olim non adfuerant, vel deficiunt, quæ olim aderant; vel, quia nunc mutata ſunt a prioribus. — Homo tuſſiendo, ſcreando, emingendo, forte & alvo, ſolebat quotidie multum pituitæ deponere, & ſic ſuo more ſanus vivebat. At vero jam excernit fere nihil; frigus ſuſceptum omnia incluſit intra corpus; hinc cerebrum obruitur.

5) *Ex ſymptomatibus &c.*; novi ex anatomicis, cranium eſſe repletum, ita, ut nil ultra poſſit intra ejus locari cavitatem. Anatome hominum ex apoplexia pituitoſa mortuorum me docuit, pituita infarciri membranas, hinc premi cerebrum, pituitam inventam eſſe inter gyros cerebri, expreſſam ex vaſis infarctis; inde preſſionem augeri: pituitoſum vero ſanguinem ex anatome & phyſiologicis novi ineptum eſſe ad ſpiritus progignendos: ergo ex hac conparatione ſcientiæ anatomicæ cum præſentibus ægri mei ſymptomatibus concludo, fore apoplexiam frigidam.

2. NA-

2) Narium morbus quomodo cognoſcitur?

1) *A natura &c.* temperamentum eſt bilioſum: acceſſit diæta ex calidis, facile putreſcentibus; habitatio in locis depreſſis, humidis; tempeſtas humida, calida; defectus recentium vegetabilium. Ergo omnia disponuntur in ſcorbutum putridum.

2) *A functione &c.*; præter ſigna ſcorbuti jam nati nares ita obpletæ ſunt, ut aër transire per easdem ultra nequeat, ſed homo ore aperto diu noctuque debeat reſpirare, & interius dolet, maxime dum comprimit nares, aut emungit; poteſt adeſſe polypus, poteſt adeſſe ozæna.

3) *A natura &c.*; in memoriam mihi revoco omnes morbos, in quibus tales cauſæ habentur, & tales functiones læſæ obſervantur: inter multos occurrit mihi ozæna narium, & dico: natura ozænæ narium eſt, ut naſcatur quibusdam hominibus, qui non luoſi, qui non carioſi ſunt, ex putrido ſcorbuto in talem, in quem hic cernitur, gradum aucto. In his hominibus ſemper obſervo obſtructas nares, ut aër transire nequeat per easdem ad fauces, & vice verſa: tantum hic conſidero ſpeciem illam ozænæ, quæ non a lue, non a carie, ſed a ſcorbuto; a quo, putrido, fiunt etiam ulcera cadaver olentia.

4) *Ab excretis &c.*; video, ex naribus prodire materiem ſemipurulentam, ſemiichoroſam, fœtidam, abominabilem; tum pellium quaſi fragmentula, vel ipſa ramentula oſſiculorum: hæc omnia ozæna narium habet.

5) *Ex ſymptomatibus &c.*; anatome me docet, membranam mucoſam inveſtire nares totas, a pinnis narium & margine ſepti, per totas ipſas nares, per omnes receſſus oſſium ſpongioſorum, majorum, minorum, per ſex cava, duo maxillaria, duo frontalia, duo ſphœnoi-

dalia. Hanc muciferam membranam novi, ex cadaveribus hominum, poſt ozænam narium mortuorum, ita degenerare, ut abſcedat, ut ichoroſa fiat, ſanioſaque, utque ipſa oſſa ſpongioſa, oſſa unguis, proceſſus maxillæ ſuperioris ad orbitam poſitos, oſſa naſi, oſſa ſpongioſa, ſuperiora, inferiora, ſeptum narium, oſſa cavorum ſex enumeratorum, corrodat, ſolvat, naribus ejiciat. Conparatis nunc viſis in dato meo ægro ſymptomatibus cum hac ſcientia anatomica, jure concludo, ægrum meum ozæna narium laborare.

Ubinam ſunt, qui dicant, artem medicam incertam? An non æque firmiter concluſiones nunc datas facio, quam ullus artifex ſua in arte facit? An ſecundum has quinque regulas omnes hucusque ignotos morbos examinans, in plurium eorum cognitionem pathognomicam non adſcendam? Ita quidem, ut ultra hæc nota mihi ſigna ita hunc unicum morbum deſignent, ut nulli alteri morbo ultra queant convenire.

Sunt ecquidem morbi, qui vicinitate locorum, ſimilitudine ſymptomatum, eamdem morbi ſpeciem referant, quamvis diverſi ſint; ut in hac ipſa paragrapho viſuri ſumus: verum, quænam nota in terris ars eſt, quæ ſimilibus careat? utut ars bona utilisque ſit, habet tamen nonnunquam talia, quæ ejus ſphæram excedant. Percurrite omnes artes mechanicas, & talia offendetis. An ideo artem totam incertam adpellabitis, quod in quibusdam deficiat? Iniquum foret. Sed pergamus ad reliqua.

3) FAUCIUM: laborat homo faucibus, & ignoro, qualis morbus ſit; quomodo cognoſcam?

1) *A natura &c.*: eſt homo temperamenti atrabiliarii; ſiccam diætam amavit & forte cibos ſuos potusque ſemper voluit fervidiſſimos. Intelligo igitur cauſas

proë-

proëgumenas & procatarcticas; ergo natura hujus cauſæ eſt, ut in corpore ſtricto, cum denſis humoribus, omnia adhuc magis conſtringat.

2) *A functione &c.:* homo laborat in deglutitione, ut ſenſim cœperit difficilius deglutire, & jam vix ultra poſſit, niſi per quædam bona intervalla: magnam copiam glutinoſæ materiæ ſemper cogitur exſcreare, quo facto deglutitio fit, utcunque facilior: deglutita quandoque videntur deſcendere per fauces, ſed mox obſtaculum nacta, remeant ſurſum.

3) *A natura &c.:* dum temperiem hominis & vitæ modum intelligens, cauſas prædisponentes & excitantes intelligebam, poſteaque læſas functiones una colligebam; incœpi cogitare, quisnam notus morbus foret, qui a talibus cauſis, cum tali functionum læſione, oriri obſervatus fuerit. Invenio teterrimum illum morbum, ſcirrhum, aut paralyſin, aut exſiccationem, gutturis, vel œſophagi, qui in borealibus regionibus tot homines necat. Habet autem ille morbus has ipſas, quas hic video, læſas functiones.

4) *Ab excretis &c.:* in tali faucium aut œſophagi ſcirrhoſitate manent ſemper reliquiæ alimentorum glutinoſorum, mucilaginoſorum, adhærentes ad ſcirrhi aſpredines & eminentias. Tum etiam vicina loco prope ſcirrhum, aut locum ſive exſiccatum, ſive paralyticum, nunc id muci colligunt & ſecernunt, quod ad ſcirrhoſa loca non poteſt excerni: tum tertio, circa locum obſtructum, ſcirrhoſum, prementem, copia humorum ſemper major ſecerni obſervatur; veluti, ac ſi illi humores undique advocarentur, ad tollendam natam ab alieno illo hoſpite moleſtiam. Ab his tribus cauſis, prope ſcirrhoſum locum, eſt copia ſemper maxima muci. Verum homo non deglutit, niſi ſumma neceſſitate coactus: hinc coacervatur copia ingens muci circum ſcirrhum,

rhum. Si tunc velit deglutire, non poteſt; via præcluſa eſt. A motu tamen deglutitionis, irrito facto, gluten ſolvitur, & ſcreatu moleſtiſſimo excernitur: quo facto iterum aliquid deprimit ad ventriculum laborioſiſſima deglutitio. — Hinc jam nunc intelligo *ex excretis*, quonam morbo laboret datus ager; ſi nempe excreta hæc conjungam cum cauſis notis, cum læſa functione, cum natura morbi: nam aliter poſſum errare; ſcreatus multus poteſt oriri in plerisque anginis. Angina mucoſa, feroſa, ſæpe vitio temperamenti & diætæ rediens, repetitos exhibet ſcreatus. Hinc non judico de ſcreatu, niſi juncto cum cauſis mihi notis, cum læſa functione, & cum natura morbi. Sed confirmor

5) *Ex ſymptomatibus &c.*: novi ex anatomicis, infinita requiri ad bonam deglutitionem; novi, vel unico læſo illam vitiari; innumera quidem eſſe poſſunt, quæ illam vitient; ſed locus, quem mihi læſum oſtendit, quemque ego vel extrinſecus ad fauces percipio, vel inmiſſo in illas digito deprehendo, me docet, durum ibidem, vel duros hærere tumores. Etiam ſectio anatomica mihi demonſtravit, homines hoc malo enectos, ibidem loci exhibuiſſe tumores induratos; ſive in ipſa fabrica œſophagi, ſive in vicinia, iter per œſophagum anguſtantes, mucum colligentes circum ſeſe.

Quid putatis, A. A.? An jam non novi certa ſcientia morbum hunc? An non habeo ſignum adeo pathognomicum, ut cum alio morbo ultra hunc nequeam confundere?

4) THORACIS. Homo habet aliquid in thorace, quod non intelligo. Ut intelligam, quæro id

1) *A natura &c.*; habuit pleuritidem, aut peripneumoniam, quæ critice ſoluta non fuit, acuta quidem morbi ſymptomata inminuta ſunt, ut haud ultra aut pleuriticus aut peripneumonicus dici queat, ſed tamen

men non eſt ſanitati reſtitutus, ægrotat adhuc: ſunt jam a morbo illo inflammatorio elapſi dies 20. 40. 60.: dixit mihi quoque, ſe haud ita pridem novo dolore ac tuſſi & dyspnoea laboraſſe, ut & aliqua ſalivatione; verum ea omnia cito diſparuiſſe. Video quid ab illo morbo in hoc corpore relictum, ſed, quid ſit, haud capio, hinc conor, illud intelligere.

2) *A functione &c.;* reſpiratio eſt difficilis, & tuſſi ſicca quatitur pulmo; conqueritur homo, dum vult inſpirare, ſe gravitatem in thorace percipere: ait mihi, ſe modo poſſe decumbere in unum latus, quodſi velit in obpoſitum, ſe fere ſuffocari. Conqueritur, ſe adhuc febricitare; minus quidem, quam olim, tamen continuo. Video, hominem illum emaciari ita, ut etiam ungues recurvi promineant, epigaſtrio tumere.

3) *A natura morbi*; intellecta cauſa, viſa læſa functione, mente me recolligo, ut inveniam morbum aliquem, qui tales cauſas prægreſſas habeat, tales læſas functiones. Occurrit mihi inter omnes nullus veroſimilior, quam empyema; nunc debeo videre, an hæc mea idæa vera ſit. Empyema eſt effuſio puris, a pulmonis, aut pleuræ, aut mediaſtini, aut diaphragmatis, aut pericardii rupta vomica, poſt inflammationem nata. Hic meus æger habuit peripneumoniam, quæ nec ſputis bonis, nec urinis bonis, nec alvo bona ſoluta fuit: habuit loco harum evacuationum criticarum horrores vagos, doloris, ſi adfuerat, remiſſionem, dyſpnœam, genas & labia rubentia, ſitim, febriculam, veſperi ingraveſcentem, pulſum debilem mollemque. Intelligo inde, vomicam tunc formari cœptam. — Narravit præterea mihi, quod deinceps habuerit tuſſim pertinacem, ſiccam, ad paſtum motumve auctam, quia vomica clauſa premebat latera veſicularum liberarum, ad ſe invicem; quæ, ſic frictæ, continuo tuſſim non interruptam præ

mo-

moleſtia excitabant. — Narravit mihi æger, ſe habuiſſe poſtea cum illa pertinaciſſima tuſſi reſpirationem difficilem, parvam, anheloſam, ſtrepentem, poſt paſtum & motum auctam. Ex natura vomicæ clauſæ & magnæ novi, pulmonem haud amplius præ gravitate poſſe obſequioſum eſſe, hinc intrare exireque difficulter, quia talis pulmo non amplius facile eſt dilatabilis & conpreſſilis. Reſpirationem parvam, curtam, intelligo ex multis bronchiis & veſiculis in toto ambitu tumoris conpreſſis, aëra haud admittentibus: unde parum aëris ſimul per liberas pulmonis partes intrat, illumque defectum crebrior inſpiratio conpenſare debet; & quia ventriculus, a paſtu turgens, inpedit, ne diaphragma in inſpiratione ita ampliare thoracem poſſit, quam dum vacuus eſt, facile percipio, hunc hominem difficilius reſpirare eo tempore, quo thorax minus poteſt ampliari. Nam pulmo turget nunc pure eſque ſe ipſo ſano fore mole dimidia major. Si adhuc diaphragma juvet ad arctationem thoracis, ille intrinſecus & extrinſecus preſſus pulmo parum aëris, difficulterque admittet.

Dixerat mihi idem homo, ſe illo eodem tempore in unum modo latus decumbere potuiſſe (*). Novi in ſubpurato pulmone, ſi homo in latus adfectum decumbat, tunc expeditam utcunque exerceri reſpirationem per latus pulmonis ſanum in altera thoracis camera; at vero, ſi in latus ſanum incumbat, reſpirationem vix exerceri, quia ſaccus purulentus gravis premit mediaſtinum & pulmonem ſanum. Febriculam intelligo eum ha-

(*) Sunt, qui unum modo latus adfectum habentes queant modo in illud dormire: his in latere adfecto concretio multa pulmonis cum pleura nondum facta.

habuiſſe continuam, auctam motu paſtuque, cum rubore genarum. Novi, in vomica tali reſorberi puris quidquam in venas, communicarique cum ſanguine; & quia novus chylus pul-

---

Sunt, qui poſſint in utrumque latus dormire: his vel adcretio facta eſt in adfecto; ita, ut ſi in ſanum latus decumbant, adcretus pulmo morboſus in adfecto latere plurimum cohæreat cum pleura: vel 2) pulmones ambo a longo tempore concreti ſunt cum pleura; ut ſæpe in cadaveribus invenitur, homines ſine magno incommodo id tuliſſe in vita. Si jam pulmones utrique diu cum pleura coaluerint, & in alterutro nascatur abſceſſus, poſſunt hi homines in utrumque latus incumbere: tunc enim non poſſunt in alterutrum premere pulmones pondere ſuo: 3) id fieri valet, ſi ambo pulmones adfecti & concreti ſint.

Sunt, qui pulmones utrosque habent vomica obſeſſos: ſi adcreti non ſint cum pleura, illi homines in utrumque latus incumbentes male habent. Tales tantum poſſunt incumbere in dorſum, ne alteruter pulmo alterutrum mole ſua comprimat.

Sunt denique, quibus ambo pulmones adfecti & alteruter tantum adcretus: hi in latus pulmonis concreti non poſſunt dormire, ſed in latus non concreti; aliter enim non concretus premit concretum.

Sub finem anni 1741. aperui juvenem annorum 20., phthiſi pulmonali mortuum. Potuerat hic tantum in latus ſiniſtrum incumbere, nunquam

pulmonibus eſt in ſanguinem elaborandus, debet homo aliquot a paſtu horis anxius magis eſſe, quum illo novus craſſior chylus difficulter per pulmonem transeat, nec niſi repetitis circulationibus aptus evadat, ut æquabilius circumferatur per vaſa.

Etiam quia ſanguis preſſo & obſtructo pulmone minus apte per fines pulmonales transit, cor dextrum non integre ſe evacuat in pulmonem: ſanguis proinde a jugularibus redux non poteſt ſe expedite in ſinum, auriculam, & cavitatem cordis dextri evacuare: hinc, turgente (adcumulato) ſanguine jugularium, debet ſanguis retardari & adcumulari in venis faciei, ergo rubent facies, nares, labia.

Ab eadem cauſa intelligo, cur nocturno ſudore diffluxerit ad partes ſupernas. Venis partium ſuperiorum turgidis ob denegatum liberum in cor ingreſſum, non poſſunt ſe arteriæ carotides, vertebrales, axillares, in ſuas venas evacuare: hinc pars tenuior per lateralia vaſa perprimitur & ſudoris exit forma. Cæterum facile a ſanguine aquoſæ partes in hoc morbo ſecedunt; nam

---

quam in dextrum: tamen in cadavere pulmo dexter undique fere totus adcretus erat; pulmo ſiſter vix. Utrique pulmones erant ſubnigri, & externe tacti: videbantur eſſe lapidibus toti quanti pleni, præterquam in ſummitate ſua: perſciſſi erant omnino ſcirrhoſi, ſine vomica. Cogitate, pulmonem ſcirrhoſum ſiniſtrum liberum incumbendo in dextrum adcretum; duritie & pondere premebat in alterum, dum & pondere premebatur alterius: ergo ſic non poterat. Adcretus vero pulmo dexter, durus, non poterat incumbere in ſiniſtrum; hinc in ſiniſtrum latus decumbere æger tantum poterat.

nam pulmo ſanus reddit omnia chyloſa, aquoſa, intime permiſta cum ſanguine: pulmo hic debilis in ſua actione non conpingit ita cruda, ut coctis adſimilentur & intime miſceantur cum inquilinis humoribus: aquoſa ergo facile ſeparabilia manent.

Habuit homo hic urinam ſpumoſam, ita, ut conquaſſata ſpumam diu retineret. Novi, non modo in hoc præſenti morbo, ſed & in pluribus aliis pulmonum adfectionibus, v. g. in aſthmate, in hydrope pectoris &c., pulmonem eſſe nimis debilem, quam ut ſalia & olea ita adtenuet, ne reſervent ſibi, ſaponis inſtar, quamdam tenacitatem, ſeu lentorem, qui ſpumoſas illas bullas diu ſuſtineat

Poſt tolerata hæc omnia, auctus fuit dolor, & dispnoea. Novi, hæc fieri, antequam rumpatur abſceſſus. Membrana continens puris a copia ejus aucta ita extenditur, ut inflammetur, ut doleat valde, & reſpiratio ſumme læditur. Ignari Medici inpudenter pronunciant, novam febrim inflammatoriam in pulmone naſci, & venæſectionibus hominem ita debilitant, ut morbo ferendo vix ultra par ſit Si moriatur homo, mortuum dicunt a nova peripneumonia, quamvis ad curandam eam toties venam ſecaſſent. Ex veris tamen artis principiis novi, hunc dolorem oriri, quia membrana includens vomicam ita extenditur, ut fere rumpatur, ut brevi rumpenda ſit, & jam hominem a Medicis interemtum.

Tum denique ſubito levamen habuit a dolore, a dyſpnoea, ab anxietate, a magna febri; exin tamen ſe manſiſſe dicit parva cum febri continua, debilitate ſumma, reſpiratione dyſpnoeica, ponderis ſenſu in thorace: ſe emaciari undique & notabiliter; ita, ut ungues magis fiant recurvi, & diſpareant digitorum api-

ces. — Examino ejus ventrem, invenio, ad epigaſtrium intumeſcere.

Ex natura empyematis debeo concludere, illud re vera adeſſe; habeo tamen tot ſigna præcedentia, tot præſentia, ut nullus ultra dubitem. Poſt clauſæ & turgentis in rupturam vomicæ ſigna, nunc patet, illam ruptam in cavum thoracis. Hinc dolor magnus ſubito evaneſcens, quia rupta eſt tenſa quæ fuerat, membrana. Hinc pondus puris in mediaſtinum & pulmonem ſanum, dum in obpoſitum latus decumbit. Hinc pondus puris gravitantis in diaphragma, quod ſenſum veluti ponderis in thorace facit. Hinc tumor in ſuperiori abdomine, a pure deprimente diaphragma & hepar, unde ſub marginibus coſtarum hepar eminet. Hinc febricula a reſorptu puris acrioris intra ſanguinem ex cavo thoracis. Hinc marcor ſummus a reſorpto acri pure, depaſcente omne ſanguinis oleum.

Habeo ergo omne, quod ſufficiat ad ideam formandam empyematis in dato ægro, 1) ex natura cognita cauſæ, 2) a functione læſa, 3) a natura morbi.

Quartum vero ſignum erat ab *excretis* inprimis: excreta hic nulla ſunt; & quia in morbo tali pulmonis excreta, quæ debuerant adeſſe, nulla ſunt; ideo me confirmant in idea illa, quod ſit morbus *empyema*, in quo excreta nulla, quia materies dilapſa eſt in cava thoracis. — Tamen ſalivatio quædam ultimi doloris tempore, mox ante rupturam abſceſſus, obſervata eſt, quæ ſolet his hominibus tunc adeſſe, difficulter explicanda.

5) *Ex ſymptomatibus &c.*; etenim anatomica cognitio partium a principio morbi inflammatorii me juvit ad ſymptomata omnia inflammationis, ſubpurationis, abſceſſus clauſi, ruptique explicanda ad amuſſim.

Ca-

Cadavera autem hominum hoc tempore denatorum me docent, poſt talia ſymptomata empyema natum.

Quod autem a prima inflammatione prægreſſi ſint dies 20, 40, 60, nihil facit. Dies nullus fixus eſt pro ruptura membranæ vomicam concludentis: ſi tenera membrana ſit, poteſt 20, 25. die rumpi; ſi ſit tenacior, ſerius; ſi tenaciſſima, 60. die, immo quibusdam plane non rumpitur, ſed abſorpto pure hectici moriuntur.

5) PLEURÆ. Eſt dolor intolerabilis ad latera coſtarum; cupio videre, qualis ſit: exemplum pleuritidis jam eſt toties receptum, ut aliud nunc adſumam maximi momenti.

1) *A natura;* eſt femina mobiliſſimi ſyſtematis nervoſi, quam novi antea ſæpius doloribus & clavis hyſtericis obnoxiam fuiſſe. Hæc proëgumena. At vero hæc ipſa femina jam puerpera copioſiſſimum ſanguinem lochiis emittit; ita, ut animo fere linquatur, fere convellatur & dolorem in latere habeat, qui ſit intolerabilis, qui reſpirationem penitus ſubprimat, & faciat morbum pleuritidi adeo ſimilem, ut ovum ovo. Ignari rerum Medici, ut pleuritidem ſalutantes, v. ſ. & emolliendo curam inſtituunt; quia ajunt: oportet, ut multum plethorica ſit hæc femina, quæ poſt copioſa lochia adhuc habet pleuritidem; ergo incunctanter illa evacuantibus ſolvatur. — Quia vero cauſa doloris eſt *πνευμαγγειτις*, & illi majorem evacuationem inſtituunt, intelligimus facile, quam levi opera feminam occidant: aucto enim dolore, ab inordinato ſpirituum motu oriundo, femina ſuffocatur; vel ſi minus, ſaltem ita detrahitur ſanguinis copia illa pauca, ut ultra haud ſufficiat neceſſariis ad vitam ſpiritibus generandis. Ergo mors ſequitur; vel, miraculi inſtar, ſervata femina, dum audit poſthac, quanto verſaretur in periculo, Medicum ſuum cœlo

infert laudibus, quia Medicus ſuam pulcram curam laudat ipſe, quod e mortis limine feminam eduxerit. Sane non fuiſſet mortis ad limina adducta, ſi rerum ſcientem Medicum nacta fuiſſet. Jam vero *ex natura cognita cauſæ* novi, non eſſe inflammatorium dolorem lateris, ſed plane ſpaſmodicum, a nimiis lochiis oriundum.

2) *A functione læſa* confirmor in mea idea, quod citra pulſum durum, citra febrim acutam, citra ſuppreſſa lochia, talis dolor intolerabilis ad latera adſit, qui totam turbet reſpirationis actionem. Quum ergo non a cauſa inflammatoria, oportet a nervis adfectis eſſe.

3) *A natura &c.;* hyſtericæ enim, poſt magnas evacuationes perperam factas, ſolent crudeliſſimis doloribus, inflammatorios mentientibus, adfligi.

4) *Ab excretis &c.;* ſi eſſet dolor pleuriticus, ille oriretur ſaltem a lochiorum defectu; ſed hic lochia vel copioſa adhuc adſunt; vel, copioſa olim, jam ſenſim, lege ordinaria, minuuntur. Ergo lochia excreta, aut non excreta, hic non arguunt inflammationem, quin & inflammatoria pleuritis tuſſiculâ, ſi non plane ſiccâ, inciperet ſputa emittere prima die; ſi bona pleuritis, flava, cum ſtriis ſanguineis miſta: hic vero nihil horum.

5) *Ex ſymptomatibus &c.* Novi ex Nevrologia, quod nervi in hominibus delicatioribus ſint longe teneriores, quam in aratoribus robuſtis. Novi, homines facile mobiles habuiſſe in ſua vita nervos teneriores, quam homines laboribus durata corpora habentes. Novi, mobiliſſimos homines habere ſanguinem plerumque debiliorem, pauciorem, eductoque eo, vel fluxu naturali, vel arte, ſpaſmos hyſtericos, clavos illos dolorificos, naſci. Ergo ex omnibus his concludo, præ-

ſen-

ſentem laterum in hac puerpera dolorem non inflammatorium eſſe, ſed ſpaſmodicum. Ergo loco evacuationum, corpus leniſſimis nutrimentis parva copia, ſed repetita, inpleo; lenia antiſpasmodica, paregorica, præſcribo, in tantam copiam, ut incipiant ſpaſmi ſolvi.

Legite hic, quæſo, inconparabilis SYDENHAMI *Diſſert. epiſtolarem ad Guil.* COLE: legite decies, pœnitebit nunquam; ex imis fundamentis hanc materiem eruit & tractavit.

6) MEDIASTINI; ſigna peculiaria non habet, niſi generalia inflammationis, ita, ut ſigna peculiaria ſuæ adfectionis præ ſeſe haud ferat. Dolor in thorace acutus, qui vel prope jugulum, vel ad diaphragma, vel ſecundum ſternum, vel ſecundum ſpinam dorſi, vel prope pericardium, percipiatur; qui proin, ad quas proxime obtinet partes, inde nomen ſortiatur, quum nulla peculiaria ſigna pathognomica læſi mediaſtini in arte nota ſint. (*) Verum, ſi inflammatio in cauſa eſt, cura generalis inflammatoria inſtituenda foret, ob dolorem inflammatorium ejus partis, cujus ſimilitudinem referret.

(*) Igitur circa mediaſtinum nihil ſcimus, niſi quod poſſit inflammari & ſubpurari. Sed ejus inflammationis ſigna pathognomica non habemus. Diſcamus ergo, a definiendo hoc morbo abstinere, ne ultra artis limites exſiliamus. Si ad ſternum inflammatio ſit, poterit aliquid de pleuritide habere, aut de pleuro-peripneumonia; quum reſpiratio læderetur a vi dolorum, ſi revera doleat mediaſtinum. Si ad dorſum, poterit acutum dorſi dolorem facere.

7) PERICARDII. Sectiones cadaverum docuerunt, cordis, pericardii, majorumque vaſorum inflammationes ſubpurationesque fieri, citra illos acutos dolores, qui cæteras phlogoſes concomitantur. Itaque ex datis regulis non poſſumus bene pericardii vitia inflammatoria, aut obſtructoria, noſſe. Si tamen magna inflammatio pericardii oriretur, pulſus magnus & celer, ardor & ſitis, curam poſcerent inflammatoriam generalem. Verum, ignoraremus, utrum in hac febri adfuiſſet inflammatio pericardii, an eſſet v. g ſoluta illa critice, ut febris acuta, non topica. Etiam ſi ſubpuraretur pericardium, in genere quidem videmus, a febri hac acuta, critice non ſoluta, relictas eſſe horripilationes & febriculam & ſitim, & anxietatem quamdam in reſpirando, præ pondere abſceſſus, diaphragma, aut mediaſtinum prementis; aut a parte anteriori ſi eſſet tumor a pure collecto, poteſt pleura dolere ab ejus incubitu. Omnia hæc obſcuritatem poſt ſe relinquerent, nec anxietates doloresque hinc ad viciniam orti eſſent tam magni, ut in vicinarum prope cor & pericardium partium, (ut eſt diaphragma & pleura,) inflammationibus ſolet obſervari. Hinc ſemper ſuſpiciones manerent, ſed non certitudines.

Debui hæc Vobis ita exponere, ut artis noſceretis limites. Debui hac §pho explicanda me ad omnem artis poteſtatem extendere, ut certum in ea, incertum quid eſſet, caperetis. Invenitis hic morbos pericardii, mediaſtini, aliorumque viſcerum: putaretis quidem, & his adplicando ſigna famoſa illa quinque, quæ §phus commendat obſervanda, Vos & hos morbos æque certo, quam pleuritidem, cognituros: falleremini. Ambigua horum ſigna manent, manebuntque & aliorum, in hac §pho enarrandorum, ambigua ſigna,

8) PUL-

8) Pulmonum. Exemplum de peripneumonia cognoſcenda jam pluries dedi: febris acuta, continua, valida, anxietas magna in reſpirando, tuſſis, dolor ſæpe laterum, aut juguli, aut prope claviculas, aut dorſi, adjunctus; una cum generalibus cauſis validæ inflammationis, nos hunc morbum in principio oſtendunt.

Verum, quum toties hac de re dictum, ſumamus aliam pulmonis adfectionem, cui noſtras quinque regulas adplicemus.

1) *A natura &c.* Homo bene comedit, ſucculentis ſe nutrit, & deſidem agit vitam: vaſa ergo ſic ſuculento copioſoque nutrimento plena habet, nec motu diſſipat, proinde indies adcumulat. Vino generoſo, aut ſpiritu vini, aut cereviſia meraca antiqua, aut calidis aromaticis, ſatagit vincere lentorem, quem ſibi ſæpe a plenitudine ſentit naſci: ergo vaſa pleniſſima, humores copioſi opimique hac ratione ſæpe ſtimulantur.

2) *A functione &c.;* animadverto in hoc homine quamdam dyspnoeam, tuſſiculam, a parvo initio ſenſim increſcentem, citra aliquem morbum notabilem.

3) *A natura morbi &c.;* undique inquirens in morbos, qui ſimiles cauſas, ſimiles functiones læſas habent, invenio illam tabis ſpeciem, quam *Chriſtophorus* Bennetus in ſuo *Theatro* & *Veſtibulo Tabidorum* deſcribit beatis Britannorum inſulis familiarem, præciſe a talibus cauſis, & cum talibus functionibus læſis. Similitudinem ergo video; verum, ut certior fiam, examino

4) *ab excretis &c.;* meus nunc deſcriptus æger tuſſicula illa incipit reddere ſputa vere purulenta. Miror hoc, quia nulla datur inflammationis ἀνάμνεσις. Dico, unde hic ſputa purulenta, quæ unice inflammationi prægreſſæ deberi exiſtimaveram? Redeo forte alia

die ad hunc ipſum hominem, & ait mihi, ſe ex annua conſuetudine ſibi venam ſecuiſſe, e qua ſanguinem egreſſum plane inhorruerit: oſtendit mihi; video plane lardaceum. Ait mihi BENNETUS, obſervationes tales ſibi eſſe familiares; nihil quippe frequentius, quam quod Britanni hac ratione citra ullos prægreſſos morbos purulenti fiant & pure tandem non exeunte, pereant; immo, quod vera phthiſi pulmonali adfligantur & moriantur, ſanguine ipſorum inflammato exiſtente, æque, ac in morbis vere inflammatoriis.

Dum hæc perpendo, video 1) cauſas proëgumenas & procatarcticas, 2) læſas functiones, 3) naturam morbi, 4) excreta inprimis: audacter concludo, eſſe præciſe illum morbum. Confirmor in eo

5) *ex ſymptomatibus &c.;* novi, quibusnam rebus pulmo lædi poſſit, ut langueat reſpiratio: ſcio, eſſe viſcus nobiliſſimum, quod ut vitale viſcus, quod ut naturale operetur. Novi illius muneris eſſe, ut crudum chylum mutet, ita, ut repetita circulatione inde fiat cum inquilino humore unus homogeneus ſanguis: ſed ſimul novi, vires ejus eſſe determinatas. Hinc, ſi nimio, nimisque tenaci, chylo obruatur, incipit cum aliqua difficultate adlaborare, ut per ſuos anguſtos fines arterioſos illum transprimat. Si cauſa hæc augeatur indies, tunc incipit ſenſim hinc inde aliquid ſtagnare, dum interea per alia loca transvehatur. Pergente cauſa ſenſim augetur ſtagnatio, fiunt collectiones, augentur tuſſes, & dispnœæ, rumpitur membrana aërea pulmonis & ſputa puriformia prodeunt. Hinc phthiſis vera purulenta pulmonalis oritur, omnibus illis ſubjecta in pejus mutationibus, quæ in ea, quam produxit phlogoſis. His invenitur pulmo exeſus corruptus.

At vero ſunt, quos idem prorſus morbus tenet tenuitque per annos, qui tamen mutatis, quæ morbum

fe-

fecerant, cauſis, bonorumque medicamentorum ope, perfecte convaleſcant, inlibato poſthac per omnem vitam pulmone.

Sunt denique, quos morbo eodem conflictatos diu videatis cedere fatis. Putaveratis, Vos itidem hic ſuppuratum viſuros pulmonem? fallimini: apertum cadaver exhibet pulmonem, in quo, quid culpetis, vix habeatis.

Undenam hoc paradoxon? Anatome hoc idem in multis Phthiſicis confirmat, fateorque ex Phthiſicis, quos a morte multos aperui, numerum eorum, qui integros, quam qui læſos haberent pulmones, majorem fuiſſe.

Quia igitur tales homines habent ſanguinem lardaceum citra inflammatoriam febrim & auctus ille ſanguis lardaceus quotidie magis magisque laborioſe a pulmone ſubigitur & transprimitur, pars ejus exſudat in cava bronchiorum, & veſicularum, colligitur, excitatâque tuſſiculâ ut bronchia & veſiculæ denuo expediantur, ſputa prodeunt puriformia, idque ita per annos. Si frigore ſuſcepto, aliave de cauſa, pulmo ille obſtruatur, ut pus exſudare in cava non poſſit, accenditur febris, pus fit acre, oritur peripneumonia, vel pus acre facit diarrhœas colliquativas & mortem.

9) Cordis. Laborat æger anhelitu, palpitatione & animi deliquio; volo noſſe morbum; inquiro

1) *a natura &c.*; homo vaſa cruore denſo admodum repleta ſemper geſſit; ſed ſimul iracundus maxime ad ſingula quæque non placita, inmani detonans furore; vel ſumſit multa generoſa vina, cereviſias meracas, ſpiritus deſtillatos. Verum erat in rebus ſuis obeundis agilis, & paſſu celerrimo ſolebat per plateas incedere atque gradus multos fulmine citius conſcendere & deſcendere.

2) *A functione &c.*; anhelabat quidem homo hic, dum ita celeri adscensu gradus superaret, verum hoc negligebat, & quamvis monitus pergebat, dicens, adsuefieri oportere. Hinc sensim crevit anhelitus, nunc tantus, ut vix se moveat aqua tellure, quin sentiat sibi corpus ubique pulsare, ad extrema usque, & maxime ad præcordia: immo, si pergat, animum sibi linqui percipit; donec, perfecta quiete observata, languidam vitam iterum producat. Notavit ille, egoque, manu pulsum carpi deprehendens, aut manum præcordiis adplicans, deprehendo pulsum intermittentem.

3) *A natura &c.* Naturam talis morbi inquirenti mihi occurrunt varii, anevrisma cordis, arteriarum majorum, polypus cordis arteriarumque. Hi tres morbi ita ab his causis proëgumenis & procatarcticis nascuntur, ita has enarratas functiones lædunt, ut, quisnam illorum trium obtineat, difficulter discernatis.

Anevrisma, sive *debilitatio nervositatis*, cordis, fit, quando crebrius violentiusque sanguinem excipere & expellere debet, quam ejus vires permittant. Hinc, si semel hac de causa æquilibrium sit sublatum cor inter humoresque, causa hæc notabiliter augetur deinceps: si enim ille homo se iterum valide moveat, ut sanguis venosus actione musculorum iterum velocius copiosiusque ad cor moveatur, cor adhuc magis debilitabitur, a sanguine extendetur, ampliabitur; ita, ut in sua substantia labefactatum parvas admodum vires in sanguinem exerceat, & palpet potius, quam pulset. Hæc natura anevrismatis cordis. Si vero cor inter arteriasque tollatur æquilibrium ita, ut debilitentur resistentiæ arteriarum majorum, v. c. pulmonalis, aut aortæ, tunc semel corde validius agere incipiente, quam arteria resistit, arteria indies magis extenditur, dilatatur; ita, ut saccus superet aliquando pugnum, aliquando caput, aliquando molem gerat in-

cre-

credibilem. Hinc ſanguis in illo ſacco ſtagnat, & cor, non adjutum arteria, magno labore debet ſanguinem ultra ſaccum illum arterioſum per arterias pellere. Unde neceſſario conſequitur, ut pulſus arteriarum ſint inæquales & intermittentes. Hoc anevrisma arteriarum.

Polypus cordis & arteriarum magnarum oritur vel ab animi deliquiis, quando ſtagnat ſanguis in alveis hiſce magnis, ita, ut licet motus poſthac reſtituatur, tamen concretum quid maneat adfixum inter columnas cordis; cui, ſemel ibidem nato, pars ſanguinis maxime concrescibilis ſenſim adcreſcit: ita, ut polypus ex corde per longitudinem arteriæ indies elongetur, & ad magnam ſatis altitudinem per arterias majores, immo per earum ramificationes, pergat. Ut ab animi deliquiis, ita & a celeri motu, vires ſuperante, ſæpe exercito, oriri poteſt: corde enim copioſiori ſanguine onuſto, quam poſſit expellere, non habet ſat virium, ut expellat totum; hinc manens pars inter columnas concreſcit, augeturque indies, eo, quo mox expoſitum, modo. Hinc ſæpe cordis palpitationes, ſeu pulſus frequentiores, dum polypus in via hærens expulſo ſanguini inpedimento eſt; cor enim tunc conpenſare hoc ictu frequentiori conatur, quamdiu non eſt in ſubſtantia ſua debilitatum; id eſt, quamdiu non eſt factum aneverismaticum. Hinc a polypo ſæpe pulſus inæqualis & intermittens, quia polypus nunc magis hærens ad latera, minus inpedit transitum ſanguinis; nunc magis in centro arteriæ, transitum ſanguinis magis inpedit. Hinc illa animi deliquia, quando polypus in aorta iter præcludit ſanguini corde pulſo per carotides & vertebrales: nam cerebro ſanguinem non accipiente, ſpirituum influxus in cor ceſſat.

4) *Ab excretis &c.;* quia vis & robur corporis a bono corde, bonisque dependet arteriis, hinc in hoc caſu omnia debilitentur neceſſe eſt: cor debile, debi-

les

les arteriæ, debilis pulmo, debilia viſcera omnia, non efficiunt ex chylo crudo bonum ſanguinem: hinc urina vel limpida, vel cruda, vel ſpumoſa; fæces alvinæ non ſubactæ, non miſtæ, non coctæ; ſudores potius hic, quam bona perſpiratio, ab aquoſitate ſanguinis, facile inde ſeparabili & diffluente per vaſa.

5) *Ex ſymptomatibus;* quia novi ex anatomicis & phyſiologicis uſum partium, intelligo nunc, cur hic adſit defectus. Quin & innumeri caſus apud LANCISIUM, BONNETUM, immo & caſus, quos nos ipſi in praxi toties ex cadaveribus vidimus, caſus Vobis etiam in noſocomio exhibiti; omnia dicta confirmant, demonſtrant

Si nunc his addam 1) oſſa in cordis ſubſtantia inventa, 2) calculos in corde inventos, 3) arterias oſſeas factas, 4) cordis ſubpurationes, 5) vermes cordis & pericardii, 6) hepatis purulenti materiem effuſam, eroſo diaphragmate, in cavum thoracis, 7) ipſum inteſtinum colon per eroſum diaphragma pone cor locatum, 8) vermes inteſtinorum, præprimis qui cordis palpitationes & pulſus intermittentes atque inæquales faciunt, 9) empyemata, 10) viſcera abdominis molis enormis, v. c. hepar, lien, uterus, 11) nimiam in pericardio aquam, vel pus loco aquæ, 12) ſpaſmodicas conſtrictiones nervorum cordis, arteriarum, diaphragmatis, pericardii; videmus, aliquando nos cauſam ex circumſtantiis conjecturare poſſe, ſæpe non.

10) DIAPHRAGMATIS: toties jam de inflammato diaphragmate in pathognomicis actum, ut aliud hic ſumam exemplum ex chronicis.

1) *A natura &c.* Fuit virgo pulcra, ſed achoribus ac favis in cute capillata capitis, herpete in facie, miſere fœdata: omnem artis opem fruſtra experta, ab agyr-

agyrta mater unguentum accepit, quo penitus filiam curavit.

2) *A functione &c.* cordis palpitationes virgo deinceps passa est, & hemicraniam, paullo post convulsiones colli & brachiorum: malorum cumulo nunc accessit risus sardonicus, & quidem ita, ut in pleno templo, citra ullam causam, in cachinnos effusa, nunc ob turpitudinem actionis melancholica fiat.

3) *A natura &c. Frid.* HOFFMANNUS, *l. 4. part.* 3. talem casum habet a perperam curato herpete; demonstravit id curatio. Neque solus ille; vidi ego similes in praxi casus, ubi eventus demonstravit, naturam morbi ita esse.

Natura morbi est intropulsio materiæ peculiari ratione acris. Materies talis acris, olim ex capite effluens, jam intropulsa, inpune intra corpus non detinetur, sed pro variis, quas adficit, partibus varia dabit symptomata: si ad intestina, dysenteriam, immo gangrænam eorum producere posset: si ad hepar, potest substantiam hepatis, aut etiam lienis, in putridum liquamen vertere: si ad pulmonem, asthma durissimum; si ad cerebrum, deliria & convulsiones. Hic videtur adfeciſſe nervos quosdam, ut mox examinabimus.

4) *ab excretis &c.* carebat virgo his miserandis malis, fluente herpete: laborat iisdem, herpete curato.

5) *Ex symptomatibus &c.*; adfecto diaphragmate novi, risus sardonicos oriri. Video hic retropulsam materiem copiosam, acrem: hæc primo cordis aquabilitatem turbavit, forte nimis stimulando. Novi a corde talem materiem posse in quamcunque partem corporis amandari; ergo posse ad cerebrum, ibidemque facere convulsiones; posse ad nervos brachiales, indeque oriri convulsiones colli & brachiorum; posse ad nervum diaphragmaticum adplicari in collo, aut itinere, aut ad ipsum

dia-

diaphragma. Anatome docet, homines, poſt riſum ſardonicum mortuos, vitia habuiſſe in diaphragmate ejusve nervis. — Anno 1754. interiit homo paraphrenitide, qui brevi ante mortem riſus habuit ſardonicos. Vidimus omnes in cadavere diaphragma miſere inflammatum. Quin & hiſtoria egregii HOFFMANNI idem confirmat. Virgo hæc tandem ad HOFFMANNUM confugit: rem totam intelligit ab herpete inprudenter retropulſo ortam: dum auxilia meditatur, en ipſa natura viam demonſtrat. Sub aure ſiniſtra tumorem detegit, quem fovit cataplasmate. Copioſiſſima ſanies aure effluxit, manavit, puellam curavit. Sanguis metaſtaſi ad aurem ſe penitus depuravit, ut in acutis quandoque. An ichor in collo nervum diaphragmaticum tantum adfecit? Forte.

11) HEPATIS; adplicemus hic caſum feminæ icthericæ, quam habuimus in noſocomio.

1) *A natura &c.* Mulier caſtra in Italia ſequuta, multa incommoda tulit; peperit ſine auxilio, caſtra mota ſequi pedeſtri itinere debuit quarta a puerperio die. Inde lochia ſubpreſſa, & alvus per tres, quatuor ſeptimanas liquida fuit ſubſequens.

2) *A functione &c.*; ex illo tempore habuit ſæpius ad præcordia dolores & anxietates, immo biennio abhinc dolores lancinantes per totam hepatis regionem, una cum tumore & tenſione ejusdem, atque nauſea & vomitu. Flavedine poſthac tincta eſt per totum corpus. Icterus poſt 12, 14 dies abivit; ſed ex biennio hoc toto, icterus cum iisdem ſymptomatibus rediit quovis ſecundo menſe, quovis menſe, immo demum quovis octiduo, usque ad 24. Decembris 1755.

3) *A natura &c.*; eſt icterus quidem, ſed hic nihil determinatum loquor. Species icteri determinanda eſt, aut nunquam curabo. Debet hic adeſſe cauſa, nunc præſens, nunc abſens & latens. Volvens ſpecies varias mente mea,

na-

naturam icteri calculosi hæc videtur species habere. A causis adeo validis nunc enarratis, ex symptomatibus ad regionem hepatis & præcordia, nunc descriptis, obstructio sensim nata in hoc viscere est; quæ, quia etiam ad umbilicum usque ante biennium observabatur, pressit ductum communem, cysticumve; unde icterus natus. Verum humores in illa femina ex tam misera diæta & regimine crassi, terrei, facti, in systemate bilioso potissimum suam terream materiem deposuere; unde nati calculi. (*) Quoties talis calculus in angustiam ductus cystici pellitur, icterum renovat; bile inpedita nempe in intestina fluere jam per vasa, PERALTO, VERHEYENO descripta, in hepar, aut per venam cysticam in venam portarum refluente: unde tunc sanguini venæ cavæ mista, icterum producit.

Quia

(*) Dico, deposuisse materiem suam terream, gypseam in systemate bilioso: exempla sunt depositæ materiæ calculosæ in medio hepatis parenchymate. RUYSCHIUS id semel in bove vidit; *v. Obs. anat. chirurg.* VESALIUS, *Epist. de chinæ radice*, lapideam veram substantiam magni partis hepatis vidit. BENIVENIUS, *Observ. medicinal. c.* 3. quoque lapides multos in hepatis substantia vidit in cadavere feminæ. DODONÆUS in notis ad BENIVENIUM se id sæpius vidisse testatur. RENODÆUS, *Mat. med. l.* 3. tres eduxit. FORESTUS, BLASIUS, itidem invenerunt. Vide & STALPART VAN DER WIEL, *obs.* 45. *cent.* I, Anno 1742. in hydropico ex ictero homine cum Chirurgo hepar exemi, totum lapideum factum; dum frangebamus, erant quasi granula lapidea, ut

MAL-

Quia vero hæc proxima icteri causa, calculus nempe, obstruens ductum, icterum quidem facit per totum corpus, attamen vi vomituum enormium quandoque aut propellitur, aut retropellitur; eoque retropulso, aut perpulso, bilis denuo refluit in duodenum; hinc jam capio, cur raro, & non diu, excrementa alba habeat hæc femina. Qua in re ecquidem hanc speciem icteri calculosi differentem intelligo ab ictero, qui vel a manente causa obstruente hepar inferius, vel ab obstructione permanente nata in ductu bilifero, oriri solet. In ultimo casu semper bilis, quamdiu adest, retroit in sanguinem, adparet per urinam, & quia nil per duodenum, excrementa sunt alba.

4) *Ab excretis &c.*; excrementa flavescunt quidem in hac femina, verum haud ita, ut naturaliter debent; ex flavo nempe albescunt. Hepar a tam longo tempore,

---

MALPIGHIUS invenerat, quando sententiam suam de glandulosa fabrica hepatis promulgabat.

Quum ergo hepar sit viscus, quod mire calculosum potest fieri, in ejusmodi hominibus non est mirum, si dispositio hæc communicata cum bile quiescente in vesicula efficiat calculos; potest generatio talis perdurare, quamdiu dispositio talis in hepate est. Igitur dubia iterum inde prognosis; nescio, an unus, an centum in vesicula calculi. Sed ponamus, calculos omnes ex vesicula ejectos: an ideo ovandum? Nam si hepatis diathesis illa lapidea maneat, humoresque tali materie repleti ab hepate ad vesiculam felleam veniant, poterit calculus denuo in eadem per quietem gigni. DE H.

re, & tam validis de cauſis adfectum, videtur obſtructum magis eſſe, quam ut debitam bilis copiam paret, quæ deinde in venam effuſa, & cum illa bile, quæ veſicæ propria fabrica paratur, miſta, bilem bonam conficiat.

5) *Ex ſymptomatibus &c.* : novi enim ex anatomicis, quid ſit hepar; quam ſæpe obſtruatur, quam nobiles functiones habeat, quas obſtructiones patiatur. Licet enim veſica præparet ſua fabrica peculiari bilem, indiget tamen humoribus a fabrica hepatis præparatis, & in veſicam perfluis. Quin & hominum ab ictero mortuorum cadavera docuere, revera dari numeroſos icteros a calculoſa concretione in veſicula, ab obſtructione ſimul notabili hepatis.

12) Splenis. Morbi ſplenis ſunt obſcuriores, tam acuti, quam chronici, ob vicinitatem partium, ob reconditum viſceris ſitum ſub cavo diaphragmate, inter ventriculum & coſtas inferiores. Videamus tamen, quomodo per varias experientias ad aliquam eorum cognitionem poſſimus pervenire. Sumſi caſum, quem habui in praxi.

1) *A natura &c.* Homo corpore admodum calefactus, ſeſe expoſuit quieſcens vento, bibit frigide. Natura cauſæ eſt, ut faciat inflammationem.

2) *A functione &c.* Acuta febri correptus conqueritur dolorem validum prope coſtas inferiores, latere ſiniſtro; dolor aliquando vagus eſt ad ſuperiora thoracis. Reſpiratio læſa eſt, quædam quoque ſubinde tuſſicula percipitur. Augetur dolor, dum multam liquidi copiam ingurgitavit. Dum morbus miteſceret, tribus vel quatuor diebus neglexit omnia remedia, rem in vado eſſe credens: manet febricula, & debilitas, & urina eruda, ſine ulla critica evacuatione: immo durum quid, ac tumens, obtuſeque dolens jam deprehenditur ſub coſtis ſpuriis ſiniſtris, verſus arcus coſtarum, ſeu late-

ra, indies augescens; unde molestе habet homo, anxius est, colore ex viridi pallescit: dum onerat ventriculum multo alimento, aut potu, anxietas major fit ac vomitus, febris hectica adest, ascites, cum sudore, anxietate; vix tussis.

3) *A natura &c.*; similitudinem quamvis initio habeat morbi natura cum leviori pleuritide; tamen ab illa deflecti videtur maxime post ἀκμήν: tunc enim potius ad lienis inflammationem vergit: quia, quum nihil critice solveretur, tussis tamen non fuit valida, quæ in tali pleuritide subpurata valida adfuisset. Crescente febri subpuratoria, tussis sæpe quoque inmanis fuisset, hic minor fit. Tum & sensim perceptus tumor sub costis sinistris, anxietas perseverans ibidem loci, ventriculi nauseæ & vomitus ad majores haustus, color minime ruber in facie, ut in nascente apostemate laterum & pulmonum, sed ex nigro pallescens, virideſcens, chloroticus, splenitidis in subpurationem versæ potius, quam pleuritidis, notas dant. Etiam lien. chronica obstructione laborans ita colorat hominem: quia quamvis lienis perfecte forte necdum novimus usum; videtur tamen sanguinem coeliacum ita mutare & præparare, ut hepar inde bonam bilem conficiat; unde hepar, carens lienosa hac præparatione, bilem parat defectuosam, corpusque ingrato colore deturpantem. — Notandum tamen, colorem illum non semper adesse in obstructo liene. Notatur quidem sic ab HIPPOCRATE *Epid. IV. p.* 1134, & passim ubique, & sæpe idem vidimus in lienosis; tamen casus contrarios novi. Jurisconsultum aperui, qui lienem habebat magnum, vestitum undique cartilagine crassissima, ut vena splenica prorsum inepta jaceret, inanita; in quo tamen viro color pallidus, nunquam ex pallido virescens adfuerat. Hinc sæpissime ita se res habet, non tamen semper.

4)

4) *Ab excretis &c.* Homo hic nulla via habuit aliquam excretionem criticam. Unde ſi fuiſſet ex pleuritide abſceſſus natus, hanc hecticam faciens, utique tuſſis pertinax, defatigans, adeſſe debuiſſet, & ex illa forte rupto abſceſſu, ſputa purulenta. Jam vero nec excernit, nec fere tuſſit. Immo excreta materies per vomitum merito auget mihi ſuſpicionem ſplenitidis: quia ſentio, lienem revera mole factum majorem; hinc, dum ventriculus turget adſumtis, nec ſe expandere, ut olim, poteſt præ lienis tumore; cogito hinc ventriculum, irritatum hac reſiſtentia, revomere contenta.

5) *Ex ſymptomatibus &c.;* novi uſum lienis eſſe, ut paret ſanguinem hepati, ex quo illud bonam bilem præparet. Video nunc colorem in corpore naſci, qualem referunt, qui lienoſi dicuntur. Tumor manifeſtus lienis me docet validum ejus infarctum; & ſi quid mali habeat, hoc debet eſſe a ſubpuratione; nam eſt prægreſſa inflammatio, & ſupereſt febris inflammatoria, ut in omni abſceſſu: ergo formatur hic abſceſſus. Confirmat ſententiam anatome mortuorum. Rem Vobis veram narravi. In primis praxeos annis militem ut pleuriticum tractaveram: morbo vix remittente medicamenta rejiciebat & debebat inde deduci per triginta horarum viam; ita, ut occaſionem non haberem, poſt acmen morbi illum diſtinguendi a mitiori pleuritide: id quod alioqui mihi tunc, ſi non debuiſſet peregre proficiſci, patuiſſet ex regulis mox datis. Poſt aliquot menſes redux Hagam me vocat: hydropicum & agonizantem video; mortuum aperio: lienem invenio maximum, pure refertiſſimum.

13) Ventriculi. Inflammationem ventriculi aliquoties in pathognomicis jam vidimus; nempe, quod dolor acutiſſimus ad quæque ingeſta, vomitus ipſo deglutitionis momento obſervatus eam diſtinguant a pleuriti-

de, in qua ille vomitus non adeſt; a paraphrenitide, in qua ſæpe ille acutus in deglutiendo dolor non adeſt; eſt vomitus quidem, ſed non ita celer, quam in gaſtritide.

1) *A natura &c.;* homo habuit inflammationem ventriculi, ex notis antea deſcriptis; quæ non critice ſoluta.

2) *A functione &c.;* dolor aliquis manet ad præcordia, auctus ad ingeſta quæcunque; nauſea, vomitus continui adſunt, adeſt febris hectica, homo emaciatur.

3) *A natura morbi &c.* Homines abſceſſu ventriculi laborantes ita ſe debent habere: hiſtoria prægreſſa ſubpurationem factam denotat; ſymptomata præſentia locum abſceſſus indicant in ventriculo. Si rumpatur extrorſum, omnia mala ſunt timenda, ab effuſo pure intra abdomen. Si vero rumpatur introrſum, homo poteſt vomitu reddi ſanitati.

4) *Ab excretis &c.;* ingeſta vix mutata evomuntur; ergo non agit ventriculus in illa; tumor in ventriculo purulentus, ab ingeſtis irritatus, illico illa ejicit. Si vero vomitu pus prodeat, novi, jam ruptum eſſe abſceſſum, & lenem vomitum ſubinde excito. Immo, ſi abſceſſus magnus, ſe per vices evacuans, lenis doſis ipecacuanhæ omni ſecundo, tertio, quarto die data, juvat. Virum nobiliſſimum ſic novi curatum a ſuo Medico & multis annis ſanum ſupervixiſſe. Sed debemus eſſe ex præcedentibus ac præſentibus ſignis certi, quod ſit abſceſſus ventriculi: ſi enim ex alio viſcere pus, aut ichor ad ventriculum demandarentur, forte illud viſcus hoc ſuſtineret, forte non ſuſtineret. Poteſt v. g. a ſubpurato hepate, aut liene eſſe.

5) *Ex ſymptomatibus &c.;* novi, quæ ſint functiones ventriculi ad chylopoëſin: video hic nullam fieri, & potiſſimam partem vomitu reddi; unde homo

mo hic duplici ratione fit macilentus, 1) a febri hectica, 2) a defectu nutrimenti. Novi porro, fere nil mutari a tali ventriculo, quum inmutata mox evomat. Scio, dum ventriculus tumore laborat, illum inde irritari ad quæcunque ingesta; id quod in scirrhis ventriculi sæpius vidi: non ergo miror, tumore purulento occluso hic in ventriculo hærente, fieri vomitum: durabit hoc, donec ruptus fuerit.

Sectio quoque anatomica hæc docuit ita se habere. In *Hist. acad. reg. scient. Paris.* 1704., refertur, Lemerym secuisse juvenem, qui ab inflammatione ventriculi, nata a violentis empyrici remediis per tres septimanas habuit nunc enarrata symptomata, & tandem mortuus est. Lemery detexit abscessum in ventriculo.

Apud Bonetum, *sepulchret. anat. Part. 2. tit. de ventriculo*, plura exempla habetis vomicarum in ventriculo & pyloro; unde vel in vita disruptio facta per vomitum; plurimis tamen causa mortis inde nata, tabe purulenta peresis; vel extrorsum facta disruptio, post corrupta viscera abdominis, miserrimam mortem induxit. Videntur casus crebriores esse, quam putatur. Notabilem, huc facientem historiam habet Bonetus, *sepulchret. Tom. 2. p. 310. obs. 25.*

Hildanus, *cent. 3. obs. 20.* a lente primo nata inflammatione, postea inmani cum dolore crescente, mortuum scribit decima octava die juvenem. Ulcus magnum cadaver in ventriculo exhibuit. Immo in *Comment. Inl. Præsidis. T. 2. p. 150.*, exemplum habetur feminæ, in qua ulceratus ventriculus connatus peritonæo sibi viam fecerat per abdomen externum, qua cibi effluerent.

Sæpenumero inflammationes ventriculi abeunt in scirrhum; qualem aliquoties detexi ipsis in cadaveri-

bus, maxime verſus ejus orificium ſuperius. Caſus loco citato apud BONETUM complures habetis. — Scirrhum natum poſt inflammationes teſtatur 1) inflammatio ventriculi prægreſſa; 2) ἀκρισία, 3) abſentia ſignorum abſceſſus: cæterum ponderis ſenſus & vomitus perpetuo adſunt. Minor adhuc ſpes ſupereſt, quam in vomica; illa enim poterit ſolvi & evomi; hic nil ſperandum.

Haud inmerito igitur pro morbis ventriculi explicandis exemplum ſumſi ab ejus abſceſſu & hujus ſequelis, aut a ſcirrho ejusdem.

14) PANCREATIS. Morbi pancreatis facile non dignoſcuntur, neque

1) *a natura &c.*; hæret enim intra duplicaturam meſocoli, uno extremo adhæret duodeno, ubi duodenum pyloro continuatum incurvatur; transverſaliter pone ventriculum pergit fere ad lienem uſque, & in hoc itinere portio duodeni inter pancreas & lumborum vertebras locatur: jacet quoque contra capita diaphragmatis. Hæret ergo loco abſconditiſſimo, ubi tangi non poteſt, & ob vicinitatem tot aliarum partium inflammatio, dolor, cum omni alio morbo poteſt confundi. Nec læſæ functiones, nec quidquam aliud, discriminat locum.

Anatome tamen ſæpius pancreas ſcirrhoſum inveni, & caſus innumeri ſunt apud BONETUM, *parte 2. ſepulchreti.* Magni THUANI pancreas ibidem invenietis a RIOLANO deſcriptum, ipſi hepati pondere, mole, æquale. HEURNIUS, *Comment. in Aphorism.* 6—41., in pluribus a fato ſectis ita rem invenit.

Mulier gravida fuit, eoque tempore ſicca & obſtinata adeo alvo laboravit, ut purgantibus aut enematibus vix quidquam obaudiverit.

2) *A functione &c.*; eadem mulier nunc a puerperio, immo etiam aliquot annis poſtea, toto hoc tempore anxietatibus in abdomine enormibus laborat, alvum vix dimittit ad purgantia & enemata adhibita: flatu & tumore torquetur in dextro hypochondrio, anxietates habet ad præcordia; habet levia animi deliquia, ſudorem frigidum, & magna cum nauſea ore effluit multa copia lymphæ inſipidæ. Transeunt anxietates & tumor parumper a dextro hypochondrio in ſiniſtrum, & luditur ibidem eadem præciſe ſcena, ac antea in dextro, una cum lymphæ effluxu ex ore. Durat id, donec tumor ſiniſtri hypochondrii diſpareat. Hoc feminæ huic bis, ter, in hebdomade contingit, & eo magis, quo alvus ipſi pertinacior eſt, licet cum alvo a medicamentis ſoluta libera plane non ſit, aut diu non maneat.

3) *A natura &c.*; feminæ gravidæ uterus ſæpe adſcendit ita verſus hepar, ut inteſtinum colon conprimat. Hinc fæces ac flatus ex diverticulo magno coeci adſcendentes remoram patiuntur in preſſo atque conplanato transverſo colo: ergo flexus dexter coli inmaniter extenditur: viſcera omnia truduntur ſurſum, hepar nempe, veſica fellis cum ductu proprio & communi, ipſumque pancreas ſic conprimitur valide. Effluit tunc ex ore feminæ liquor inſulſus, copioſus; qui non poteſt alius eſſe a pancreatico colore, ſapore. Preſſum enim pancreas vi magna effundit humorem in duodenum, ſive per communem, ſive per peculiarem ſibi ductum. Duodenum conpreſſum ſub reliquis partibus non transmittit copioſum illum pancreaticum liquorem, qui proin copioſus adeo hic hærens ventriculum ſubit, & nauſea facta ore effluit.

Dum tandem copia fæcum & conatibus mulieris materies retro uterum pergit, eſt iterum idem malum renatum in coli flexu ſiniſtro, quum periſtalticus coli

motus ab incumbente utero ſubflaminetur. Hærent ergo ibidem fæces & flatus: donec iterum inferiorem coli partem, etiam fæcibus & flatibus plenam, quia & in oſſe ilei alia flexura coli eſt, ſuperaverit. Interea vero, dum hæret materies in flexu ſiniſtro, ſimiliter duodenum, pancreas, conprimuntur, ſuccusque pancreaticus, ut ante, in ventriculum pergit, ac nauſeoſe per os effluit.

Plures feminæ in puerperio ab hoc malo ſenſim liberantur, ſi inteſtina vim ſuam elaſticam contractilem haud penitus amiſerint, & ſi cito vires ſuas recuperent. At vero, quibus vis contractilis periit plane, ut inteſtina facta ſint paralytica, manet hoc malum per annos, immo per omnem vitam. Colon in utroque flexu ampliſſimum & paralyticum manet; in medio anguſtius eſt; hinc in transitu fæcum ex flexu dextro coli in ſiniſtrum ſemper hæ ærumnæ.

4) *Ab excretis &c.*; non enim datur liquor, qui pancreatico ſimilis, adeo copioſus, poſſit ore effluere; & quia effluens adeo copioſe deeſt per aliquot dies, donec novus regeneretur, hinc alvi excrementa adhuc ficciora ſunt, & ægrius moventur.

5) *Ex ſymptomatibus &c.*; eſt enim pancreatis uſus, ſecernere lympham: anatome docet, iis, quæ ſic adfectæ, ita flexus coli amplos eſſe.

Si vultis exempla, oritur alvus obſtinatiſſima a colo in flexibus ſuis extenſo & paralytico, quia tumor ex ventriculo enatus, craſſus, magnus, durus, intermediam coli partem conprimebat; habetur apud BONET. in *ſepulchret.* P. 2. duplex exemplum ex CAMERARIO.

Sed ipſum hoc malum ſi in gravida velitis ita deſcriptum videre, ut ego nunc deſcripſi, videte BONETUM loco laudato *p.* 197. 198. vivis coloribus depingen-

gentem: aliam haud abſimilem hiſtoriam ob uterum hydropicum ex Walæo adfert, v. etiam *p.* 233. *n.* 7. Eſt deploranda talis conditio apta nata producendæ intus ſuſceptioni inteſtinorum; dum arcta pars introſuſcipitur ab extenſa parte: v. Bonetum *l. c.* caſum adferentem ex Smetio.

15) Mesenterii. Meſenterium quoque pars eſt, cujus adfectiones paſſim cognitu difficiliores. Quum enim a lumbis ex peritonæo oriatur, inter lumborum dolores & dolores meſenterii ſæpe parum intercedit diverſitatis. Etiam quia in medio ventre hæret, ubique & ei velut fimbriæ inteſtina adnectuntur, inter meſenterii ac inteſtinorum dolores, etiam inflammatorios, parum distinguitur. Si vero inteſtina inflammentur, alvus, quæ tunc nulla eſt, poteſt aliquid lucis adferre.

Eſt tamen ſedes morborum frequentiſſima, ut bihorio indigerem, omnia exempla Obſervatorum, & maxime Boneti, adlaturus. Si ſit inflammatio, cura antiphlogiſtica interna & externa ex æquo prodeſt ad inflammationem lumborum, meſenterii, inteſtinorum, omenti, peritonæi. Voluit tamen Baglivius peculiariter noviſſe febres meſentericas, *Prax. med. l.* 1. *c.* peculiari *de febribus malignis & meſentericis*, & *lib. de fibra motrice & morboſa*, *c.* 13. at vero, quas febres meſentericas vocavit Baglivius, erant, quas ideo vulgus Medicorum malignas dixit, quod primo ægri tolerabiliter habentes, nec periculoſi, ſubito viribus conciderent, & pravis in ventre collectis humoribus tandem perirent.

Sane ex deſcriptione febrium meſentericarum Baglivii video multam collectam morboſam materiem in viis primis, ventriculo & inteſtinis: quæ repetitas purgantibus expulſiones poſtulent, ne aucta inde putredine æger fato cedat. Verum non adparet, meſenterium

ſolum in hoc morbo adfectum eſſe, ſed ipſum meſenterium totaque inteſtinorum ventriculique moles.

In vulneribus quidem abdominis meſenterium vulneratum intra quatriduum poſt inexplicabiles anxietates, haud alibi obſervandas, mortem miſeram inferre RUYSCHIUS frequenti obſervatione Amſtelædamenſium nautarum ita didicerat, ut audacter prædiceret, anatomen ibi poſt mortem detecturam meſenterii vulnus, eventusque firmavit effatum. Sed oportebat eſſe vulnus haud ita in extrema fimbria; alia enim occaſione dictum fuit, DE LA PEYRONIE in cura deſperatæ herniæ incarceratæ filum acu per fimbriam meſenterii traduxiſſe, ut gangrænoſa inteſtina in vulnere facto retineret: qui tamen homo in vita ſervatus eſt.

Verum, quod hic de vulnerato meſenterio dico, minus ad hunc locum pertinet; agens modo de morbis a cauſa interna natis.

Nullum ergo peculiare nobis hucusque ſignum de meſenterio peculiariter adfecto. Morbi meſenterici BAGLIVII latius territorium habent, quam ſolo in meſenterio. BLANCARDUS, aliique frequenti anatome evicerunt, infantes, glandulis in collo induratis laborantes, ventreque tumidos, plerumque, ſi moriantur, glandulas meſenterii quoque habere infarctas. Hoc forte ſignum unicum plerumque certum eſſet, quod de meſenterio haberetur. Dico plerumque; nam inſpectio cadaverum me docuit, etiam in his infantibus glandulas Peyerianas, Brunnerianas, Boerhaavianas, inteſtinorum paſſim eſſe induratas; ut non ſemper hoc ſignum ad unicum meſenterium videatur determinari. Immo etiam tunc decerneret modo in hac una ſpecie morbi chronici meſenterii, non in aliis, non in inflammatoriis.

16) De OMENTO adfecto, licet in textu non habeatur mentio, paucis tamen videndum. Certitudo ubi-

ubique magna non adeſt, an ſit peculiariter adfectum. Si enim inflammatione occupetur, eſt dolor in ventre toto: quis nobis dicet, an in peritonæo ſit, an in omento? Dicetis forte, ſi in peritonæo, tunc actio læſa erit reſpirationis; nam, ne peritonæum cum muſculis abdominalibus, quibus cohæret, continuo irritetur, cohibet homo reſpirationem. Eſt verum, ſed non ſufficit ad neceſſariam diſtinctionem inflammationis peritonæi, ab illa omenti: ſcitis enim, omentum poni inter peritonæum inteſtinaque, undique hinc preſſum. Si ergo doleat inflammatum omentum, nonne homo ad evitandos dolores cohibebit reſpirationem, æque atque inflammato peritonæo? Ergo hoc ſignum non diſtinguit. Dicetis: omentum, nexum colo & ventriculo, ſi inflammetur, trahit colum & ventriculum in conſenſum, unde vomitus a convulſo ventriculo, obſtinata alvus a convulſo colo; quæ duo ſymptomata haud ita videntur pertinere ad inflammatum peritonæum.

Reſp 1) Hac ratione confunditis ſaltem omenti inflammationem cum ea inteſtinorum; nam in hac etiam habetur vomitus & alvus clauſa: ſic, dum vultis diſtinguere ab inflammatione peritonæi, confunditis cum inflammatione inteſtinorum.

Reſp 2) Non eſt verum, quod vomitu & alvo clauſa omenti inflammatio, dictas ab cauſas, diſtingueretur ab ea peritonæi. Rem ſequenti exemplo demonſtrabo.

Anno 1753. 6 Julii juvenis accedit ad ædes magni Anatomici & Medici hagani *Cornelii* VELSE; conqueſtus abdominis inferioris ſiniſtri dolorem; cæterum in pulſu, oculis, lingua, reſpiratione, nil habens mali. Medicus lene purgans præſcripſit. Biduo poſt vocatur ad ædes juvenis male ſe habentis. Reſcivit, juvenem adſumtum ante bidyum purgans hora poſtea

evo-

evomuiſſe, noctem habuiſſe inquietam, ventris auctos dolores, obſtinatam alvum. Ægrum examinans invenit Medicus tactu ventris augeri dolorem; febrim tamen, niſi modicam, non adeſſe.

Juſſit Medicus abdomen involvi totum emollientiſſimo cataplasmate, & præſcripſit lene purgans, cui integra uncia electuarii diapruni inerat, brevibus intervallis ſumendum; verum nulla inde alvus. Venâ ſectâ exſiliens ſanguis vix notam dedit inflammationis. Oleum hauſtum eſt ad ſopiendos dolores, ſed vomitu redditum. Ergo ſigna omnia aut omenti inflammati ex data hypotheſi, aut inflammatorum inteſtinorum. Brevi ante mortem venter intumuit totus; orta diarrhæa; gangrænæ ex pulſu debili, parvo, citiſſimo & ſudore frigido ſigna: quarta die mors.

Avidus cauſam noſcendi Medicus incidit cadaver. Peritonæum gangrænoſum invenitur quidem, præcipue loco primum potiſſimumque dolente, ſed præterea inde etiam per latam plagam. Inteſtina, omentum, cætera omnia viſcera, ſaniſſima. Videtisne nihil certi his ſignis determinari? quis hic ſolum peritonæum adfectum exſpectaſſet?

Deinde, ſi perpendamus ex frequenti cadaverum ſectione nonnullis hominibus omentum quidem toto abdomine inteſtinis ſupertendi, multis vero hominibus vix mediam, multis vix tertiam habere ejus aut longitudinis, aut latitudinis; quis demum audebit ex loco adfecto & ſymptomatibus ſedem morbi in omento figere? quis ſcit, an quidem ibi loci omentum habeatur, ubi doloris ſedes eſt?

Objicietis mihi caſum viri, qui menſe Decembri & Januarii ſæpius nobis adfuit in matutino pauperum examine. Per binos dies febrim habuerat, dum venter induruit; quæ durities repetitis purgantibus quidem abiit

abiit pro magna parte; ſed ſupra umbilicum & maxime latere ſiniſtro manſit durities & tumor, qui mobilis erat, in quodcunque latus ſe inclinabat homo. Alvus ipſi bona, bona digeſtio. Quum igitur muſculi abdominales liberi eſſent, & integumenta, & peritonæum, & inteſtina, eo inclinabamus, ut mobilem illum tumorem in mobili omento quæreremus: non tamen ita definiendo pro re indubitata; quin etiam potuiſſet eſſe libere fluctuans hydatis magno pedunculo pendens ex hepate, aut omento; quum libera fluctuatio ſola non determinet præciſe eſſe omentum. — Sed, ſi omentum tumidum, infarctum, contractum, adcreverit vicinis, maxime peritonæo; quis tunc distinguet: pluries enim deprehendi ibidem loci tumores, plane inmobiles: quis hic certi quid pronuntiaret?

Duodecim anni ſunt, quod tractatulum ediderim de morbo, qui me & binos alios Medicos peſſime & turpiter fefellerat: quo in morbo nemo noſtrûm omentum adfectum nec ſuſpicatus fuerat, nec ſuſpicari potuerat. Ubi vero cadaver aperiebamus, invenimus omentum in compactam vaſtamque molem concretum, ejusque, ita monſtroſi, ope ventriculum, colon, duodenum ac jejunum, ita unam in maſſam coalita, ut citra partium deſtructionem a ſe invicem ſeparanda non eſſent. Caſum ex intentione edidi, ut evincerem, Medicos poſſe errare inculpate, ſi partes adficiantur, quæ ſuæ adfectionis certa indicia non habent. Ita nempe omentum eſt.

Anno 1742. idem de omento eodem modo obſervavi in ſene, qui ex ictero hydropicus interiit: hepar adfectum inventuros nos, non vero tale ſpectaculum arbitrati.

Magnus Ruyschius, adeo verſatus multiplici cadaverum ſectione hominum illorum, quos in morbis vi-

viderat, minime ſuspicatus erat, *obſ. anat. n.* 18. ſe in illa femina hydropica, cui quinque diebus ante mortem aqua abdominis effluxerat per gangrænoſum ſupra umbilicum locum; minime, inquam, ſuspicatus erat, inventurum ſe a morte omentum totum peritonæo adcretum, inque eodem tumorem pugni magnitudinis, pilis longis, iisdemque adeo copioſiſſimis refertum, ut tumorem hunc, *tab.* 17. *fig.* 18. expreſſum, vix ſine ſtupore intueamur. Certe magnus foret Apollo, qui ex natura morbi hic talia ſomniaſſet.

Idem RUYSCHIUS ſæpe obſervaverat, feminas poſt partum ſæpius laborare tumoribus in abdomine, duris, oblongis, ſitu longitudinali, aut transverſo, aut obliquo: tamen mali ſedem non potuit determinare. Tandem, *obſ. anat. n.* 53., aperiens cadaver mirum videt ſpectaculum. Omentum, ut ventriculo & colo, ita & fundo uteri, adnexum erat, ſpithamam cum dimidia longum, tres digitos latum, & in ſubſtantiam adipoſo-carnoſam degeneratum, ſcirrhoſumque alibi. Videte totum tumorem expreſſum *tab.* 53.

Omentum ſane mirum convolvi in ventre gravidarum, ut & omnia inteſtina, dudum contemplati ſumus, dum morbos puerperarum pertractabamus. Immo conſtat obſervatis, poſſe convolvi in unum corpus omentum, inflammari, ſecum invicem, & cum vicinis coaleſcere; ut in femina, cujus antea hiſtoriam dedi: poſſe præterea in obliquum ſitum pelli & convolvi ab utero prægnante, & tumorem facere obliquum & transverſum: dein poſſe manere ſub ventriculo convolutum & liberum, ita tamen, ut leviter inflammatum a ſummitate ſemper incumbentis uteri gravidi connaſcatur cum eodem; ita, ut uterus, partu excluſo ſe contrahens, inplicatum omentum ſecum ducat, & tunc illum oblongum formet tumorem. Si vero omentum repulſum ab utero gravido

trans-

transverſum aut obliquum tumorem faciat; vel adcretum eſt, vel non adcretum, ſive peritonæo, ſive inteſtinis. Si non adcretum, tumor volvitur hinc inde, & dat cauſæ ruyſchianæ ſuſpicionem. Sed, an non tumores cyſtici, hydatides viſceribus adnatæ quoque libere volvuntur in converſione abdominis? Quis jam distinguet, ſi omentum hoc mobile ab utero in pugni v. g. formam alicubi convolutum, ſicque concretum fuerit. Si jam omentum prope ventriculum convolutum hæreat in unam molem, non movetur ultra; nam non habet pedunculum: tumor ventriculo adhæret. Quis jam dicet, omentum, aut hepar, aut collectam in peritonæo membranam eſſe, aut quidquam aliud?

Pluries vidi in feminarum cadaveribus ovaria in tumorem incredibilem extenſa, mobilia: quis diceret, viventibus eſſe ovarium, aut hydatidem ex utero, enatam, ut etiam vidi; aut hydatidem, aliumve mobilem tumorem in parte inferiori omenti, quod in nonnullis ad inguina uſque pendet?

Volui, A. A., hic longius excurrere, ut incerta in arte æque noſceretis, quam certa; ut veros ejus intelligeretis limites. Legite nunc, quæſo, *Comment.* Inl. Præsidis, *Tom. 3. capite* toto de *inflammatione ventriculi*, & maxime *paragraphum ultimam* ejusdem capitis.

17) Intestinorum. Sumamus hic caſum frequentem, inflammatorium ſæpe ab initio, ſæpe tantum ſub finem: nempe ileum. Cognitio hæc multa practica ſimul involvit. (*)

1)

(*) Inteſtina cæterum adficiuntur 1) ex ſua fabrica, arterioſa, venoſa, nervoſa, celluloſa, inflammatio-

1) *A natura &c.*; eſt homo temperamenti ſanguinei, & tempore æſtivo calens bibit cereviſiam copioſiorem, quæ in ipſo fermentationis actu clauſa fuerat. Vel etiam eſt homo phlegmaticus, qui talem cereviſiam bibit affatim, aut qui a longo tempore in debilibus inteſtinis multa craſſa, indigeſtibilia coacervavit.

2) *A functione &c.*; venter ægro huic dolet; vel ſine febri multa, vel cum febri acuta: dolor augetur adtactu; alvum non deponit, etſi adjutus purgante, aut enemate: immo revomit purgantia, & alimenta. Dolor quidem eſt per totum ventrem, determinato tamen loco quodam fixior.

3) *A natura &c.*; plures morbi ſunt, qui, a talibus cauſis nati, tales functiones habentes, varios tamen habent exitus. Sic ſæpe ſunt colici, aut frigidi, aut inflammatorii, qui quandoque poſt longa molimina iterum reſerantur, & perfecte curantur. Verum ſunt do-

lo-

---

tionibus, ſubpurationibus, gangræna, tumoribus, nervorum irritabilitate [præternaturali, aucta] & paralyſi. — 2) Ex contentis acribus, glutinoſis, indigeſtibilibus, venenis, pituita vitrea, vermibus, calculo, plumbo, [oſſibus, aut nucleis, deglutitis, ramentis aut fragminibus vitrorum, clavis &c.] — 3) a tumore &c. vicinorum, meſenterii, ventriculi, lienis, renum, veſicæ, uteri. — 4) Nervorum commercio vaſorumque cum renibus &c., ut in colica nephritica, hæmorrhoidali, menſtruali. — 5) Ab herniis omnibus, etiam internis. — 6) A vitiis aliunde in ea adfluentibus, cloacæ enim totius corporis inteſtina ſunt; ſic v. g. a metaſtaſi podagrica, rheumatica &c. DE H.

lores tales dicti colici, qui poſt excrementorum ſimilem materiem vomitu ejectam mortem inferunt; ut ileus, ut ſic dictum miſerere mei, ejusmodi de cauſis nati. Natura morbi hic eſt firma clauſura inteſtinorum, ut nil transeat; ſi id pergat, debet eſſe funeſtus exitus.

4) *Ab excretis &c.;* alvo nihil demittitur; aut, ſi quid prodeat, hoc ab enematibus eſt; nihil fæcum ſecum ducens: immo, etſi ſemel atque iterum fæces cum enematibus large prodeant, relinquunt eosdem dolores, easdem inquietudines, eosdem vomitus: quin tandem video ore excerni materiem, quæ quid ſtercoracei habet.

5) *Ex ſymptomatibus &c.*; ſcientia anatomica partium conparata cum omnibus his, docet me, eſſe locum in inteſtinis, in quo magna hæret obſtructio; ſive, quod craſſa ibi moles hæreat ſine ſpe fere reſolutionis, aut propulſionis, contra quam molem retinentur omnia deglutita, omnis ſaliva, ſuccus pancreaticus, bilis, ſuccus gaſtricus, entericus; ſive, quod anguſtior inteſtini pars in ampliorem ſit ſuſcepta, & ſic ſibi viam claudat [ſive quod adſit contractio, coarctatio, ſtrangulatio, ut in herniis.] Ex ſcientia anatomica partium novi etiam motum periſtalticum, qui a ventriculo anum verſus naturaliter pergit, a loco obſtructo nunc inverti & ferri ſurſum; ita ut contenta omnia nunc ſupra locum obſtructum ferantur ſurſum. Novi ex ſectis cadaveribus eorum, qui ileo mortui ſunt, gangræna nata omnem inteſtini conſtrictionem ſolvi; etiamſi obſtructio & conſtrictio obtineret in ſuperiori ilei parte, aut jejuno, aut duodeno: unde tunc, pergente quodam motu antiperiſtaltico per nonnullas fibras haud penitus gangrænoſas, etiam materia, fæcum inſtar, ore evomeretur, ex eo, quod ex ultimo fine ilei prope valvulam, materies illa ſtercoris naturam induere incipiens, ſurſum ducta eſſet. Unde, ſi materies taliter educatur,

nec gangrænæ ſigna adhuc adſint, novi obſtructionem prope valvulam eſſe. Si vero exeat vomitu materies ſtercori ſimilis, nata jam gangræna, quam ex pulſu celeri, parvo, ſudoreque frigido, lividoque colore percipio, certum ultra non eſt, admodum prope ad coli valvulam hærere obſtructionem; nam forte a gangræna ſolutus eſt locus obſtructus, ita, ut per eum jam ex inferioribus talis materies prodeat. (*)

At vero homo tales cauſas prægreſſas non habet, & tamen ſymptomata dicta omnia patitur. — Examino igitur, an herniam habeat, quæ ſola poteſt omnia hæc producere, & quia homines ex verecundia hernias Medico abſcondunt, hinc, etſi aliæ cauſæ mihi narrentur,

(*). Quod vero ab alvo ſtercoracea copioſa homo æque male habeat, non me cogit, ut morbum ſolutum credam; ſed potius, ut materiem ſtercoraceam credam effectu enematum educi ex inteſtinis ſub loco obſtructo; cadavera enim me docuere, locum pertinaciter obſtructum inveniri in hernia incarcerata in obſtructis inteſtinis, quamvis materies talis prodiiſſet. Ergo, ſi bonum ſignum hoc, debent omnia ſymptomata remittere, non pergere, non augeri.

Cauſa frequens ilei ſæpe a Medicis negligitur, nec niſi poſt mortem detegitur. Eſt hernia: in praxi invenietis, quod homines potius luem veneream confiteantur, quam herniam; unde ſuadeo, quod in *tractatu de herniis* jam feci, ut in omni ileo bene examinetis, an nil hernioſi ſubſit, etiamſi aliam morbi cauſam homines retulerint. Non niſi expertus credere poteſt, quot errores hic aliter conmittantur. De H.

tur, quia tamen tam multi homines hernias habent, & illæ herniæ a cauſis aliis ilei quoque excitantur; examinare ſoleo, an præter dictas cauſas nihil lateat hernioſi. Hac ratione ex his quinque fontibus, ileo adplicatis, ſimul novi, an ſit mera colica, an vero ileus; utrum ſit ileus ex communibus cauſis oriundus, an vero ex hernia.

18) Renum. Sumamus nephritidem.

1) *A natura &c.;* eſt homo ſanus omnino, ſed

2) *a functione &c.* habet dolorem ardentem, pungentem, magnum, inflammatorium, renum loco: habet febrim continuam acutam: habet urinam paucam ſæpe, at parva copia, emiſſam, aut rubram flammeamve, aut perfecte aquoſam: conqueritur crus ejusdem lateris, inguen teſtemque ſtupere & nonnihil dolere; colicos dolores adeſſe, vomitusque bilioſos, ructus adſiduos.

Poſt hæc urina fere ſiſtitur tota, unde functio læſa non modo, ſed ſubpreſſa penitus renum eſt: convellitur fere ac dolet per omnia viſcera abdominis, creſcit febris, ſiſtitur & alvus. Multiplex ergo hic functio læſa.

3) *A natura &c.* Tota natura morbi ad nephritidem vergit, in qua inflammatio renum ea omnia mala ſæpe producit. Nam id vel mala, vel intercepta, urina demonſtrat, una cum febri acuta, acuto dolore, dolore ventris totius, ob conſenſum nervorum, & ob copiam cruoris, quæ jam ad renem alterum, & ad reliqua viſcera abdominis maxime per arterias meſentericas distribuitur: unde vaſa meſenterica omnia, omni momento id ſuprapondium accipientia, vehementer turgent inflammanturque. Id enim natura morbi nephritici me docet, quodſi unus ren inflammetur, urina tunc per alterum poſſit ſecerni, ſi alter ren maneat liber: at vero, quum ingens illa cruoris copia ad renes deſtinata uno rene inflammato transitum denegante ad alterum renem vehatur,

brevi obruitur & ille; ita ut ingens illa copia ſanguinis nunc per arterias ſpermaticas & meſentericas & iliacas diſtribuatur: unde totum abdomen tumet doletque in omnibus ſuis vaſis. Et quia renes hærent extra peritonæum, adeoque a peritonæo adhuc parum retinentur, ren adfectus premit pſoas ambos, majorem & minorem, unde ſtupor cruris.

Si vero etiam teſtis adſit tumor dolorque, tunc incipio credere, nephritidem hanc in homine dato præter cauſas adlatas, immo citra illas, poſſe oriri a calculo in pelvi hærente & jam per ureterum anguſtias deſcendente. A natura enim morbi rationem deducens dico: ſi omnes caſus proſequar tales, reperio illos, qui calculoſi non ſunt, minus de teſticulorum & inguinum dolore ab latere adfecto conqueri, quam calculoſos. *Carolus* PISO, *ſect.* 4. *c.* 2. qui ſuam calculoſam nephritidem propriam deſcribit, ita de ſuo teſte conquerebatur; ita paſſim omnes: id quod intelligo 1), quia nervi ſub calculo premuntur, qui ad inguina & teſtes pergunt: 2) quia calculus magnus in uretere etiam premit vaſa ſpermatica ſibi fere conjuncta; arteria forte durior adhuc ſub calculo ſanguinis arterioſi quid transmittit ad teſtem; ſed vena mollior conpreſſa impedit reditum ſanguinis venoſi a teſte: unde neceſſario tumet ille doletque.

4) *Ab excretis &c.* urina pauca, flammea, in pejori malo pauca aquoſa, vel nulla; nulla alvus; vomitus continuus.

5) *Ex ſymptomatibus &c.* novi ex ſectis cadaveribus hominum, qui mortui ſunt poſt talia, vel inflammationem abiiſſe in gangrænam, & ſic mortem inſequutam; vel in abſceſſum, qui tandem poſt longiſſimas miſerias vitæ finem fecit; vel calculum hæſiſſe inpactum in uretere, & motu ſuo gangrænam concitaſſe toti viciniæ, indeque mortem. Ego bene videor hic judicaſſe, ne-

nephritidem adeſſe inflammatoriam, cum vel ſine calculo.

Hæc, quæ nunc de renibus dicta ſunt exemplo dup'ici, & ab inflammatione, & a calculo petito, paſſim ſic vera deprehenduntur. Dico paſſim; nam propoſitionem convertere non auderem. Symptomata nunc enarrata, a calculo orta, non oriuntur ita, niſi a calculo; eſt verum: calculus producit, ſi in renibus ſit, ſemper talia ſymptomata; non eſt verum. Ideo dixi, propoſitionem haud eſſe convertibilem. Bis vidit BAGLIVIUS *Prax. med. l.* I *c.* II. Bis vidit OOSTERDYK SCHACHT, Pater, ut habetur in ejus oratione publica Leydæ habita, homines ſectos a morte, qui nunquam calculi ſymptomata conqueſti, nunc tamen caſu, dum renes examinabantur, calculos in renibus, aut veſica gererent. Si ſuper renes inciderentur, forte pluries videremus. Sane poteſt eſſe calculus ita politus, ut non lædat multum vaſa adfrictu, ut quietus maneat in una papilla renum, dum reliqua pars renis pergat ſuam functionem edere: poteſt calculus magnus ſenſim obtundere ſenſum renis, conprimere ejus ſubſtantiam, ut circulatio ibi ſuffocetur, & ut alter ren ſenſim majori copiæ cruoris excipiundæ adſuetus, ita pro ambobus laboret renibus, ut laudabilis fiat urinæ ſecretio & excretio. Nonne tot viſa exempla, ſanos viviſſe homines unico rene? Plura Auctores habent. Notabile exemplum apud STALPART VAN DER WIEL, *cent.* I. *No.* 52. occurrit. Puellæ decem annorum, poſt dolores lumborum trium annorum, urinæ difficultates, urinam ſanguineam, tumor in renis ſiniſtri regione extrorſum naſcitur, per quem ſubſtantia renis ſubpurando ſolvebatur tota, ſponteque ulcus evanuit. Vixit 18. 20. annis poſtea, ſine ullo in urina incommodo: a liene adfecto & a diuturna quartana demum obiit. STALPART eam aperuit, invenit, præter

parvam pelliculam, loco ſiniſtri renis nihil remanſiſſe. Ergo perfecte ſe habuit cum uno rene.

Res itaque ſic potuit contigiſſe in hominibus his, qui in rene calculum habuerunt, neque inde laborarunt. An forte initio nihil mali habuerint, dubitandum; tamen id etiam verum, multos homines, qui levia alicubi percepta incommoda vix reputent, nunquam conquerantur, niſi nimium res urgeat.

19) URETERUM. Locus nimium notus his, quibus calculus ſenſim ex renibus transit ad veſicam. In lumbis ergo dolor adeſt, infra renes; ſed communicatione nervorum extendit ſe dolor a transitu calculi per ureteres. Ureteres poſſunt inflammatione, ſubpuratione, gangræna adfici, ut omnes cæteræ vaſculoſæ partes, Verum a calculis mira patiuntur Videamus:

1) *a natura &c.* Cauſa doloris loco ureterum eſt certe a calculo, qui ſui præſentiam ſignis omnibus antea enarratis manifeſtavit.

2) *A functione &c.*; ſi ex utroque rene calculus in ureteres deferatur, & retineatur aliquamdiu, functio ureterum ceſſat a transmittenda urina. Tum & homo lumbis ita riget, ut nec vellet, nec poſſet ſeſe inflectere. Ventriculus pergit nauſeare, ac vomere, abdomen pergit dolere

3) *A natura &c.*; novi, calculoſorum frequens hoc ſymptoma eſſe, ut nephriticus dolor primo præcedat, dein ille dolor ſenſim inferius deſcendere percipiatur, tandem penitus ceſſet; poſtquam calculus aut ad veſicæ orificium ſui præſentiam docet, aut cathetere exploratur.

4) *Ab excretis &c.*; ſi vero uterque ren calculum dimittat, isque in ambobus retineatur ureteribus, penitus ceſſat urinæ in veſicam inlapſus; ita, ut veſica poſſit vacua cathetere reperiri. Item, ſi uterque ren habeat

beat calculum, & in uno rene calculus magnus in pelvi hæreat, intercipiens iter urinæ; ſi tunc ex altero rene calculus in ureterem deſcendens aliquamdiu ibi hæreat, erit quoque interceptus omnis urinæ in veſicam ingreſſus. Similiter, ſi unus ren a calculo primum inflammatus in cauſa ſit, ut ille ſanguis, quem præ inflammatione non admiſerat, ad alterum ſanum renem adductus, illum ita inpleat & inflammet, ut belliniani ductus penitus conprimantur; tunc calculus modo unus ex rene uno calculoſo deſcendens & in uretere hærens, intercipiet quoque penitus omnem urinæ in veſicam ingreſſum; nam hic inpedit calculus; ren alter, non calculoſus, ſed infarctus, non ſecernit urinam.

Exceptio tamen hic dari poſſet: Ruyschius, *Obs. anat. N.* 23. invenit a dextro rene ortos duos ureteres; quos ſimiliter viderat, ut ait, olim apud Stalpartum van der Wiel: qui duo ureteres ſe iterum uniebant ante ingreſſum in veſicam.

Idem, *Obs. anat. chir. N.* 79., idem phænomenon binorum ureterum detexit in latere ſiniſtro; etiam ante ingreſſum in veſicam coëuntium.

Tertio vidit, *Obs. anat. chir. N.* 94. binos ureteres manere ſeparatos, ſeparatimque in veſicam intrare, id quod monet quoque, Riolano viſum.

Apud Eustachium, *Tab.* 3. *de renibus*, habetur triplex ureter ad ſiniſtrum renem: unus quintuplici origine. Winslowus quoque teſtatur, *Tom. IV. p.* 9, quandoque plures dari ureteres.

Ponamus nunc, calculum eſſe in renibus ambobus, eumque deſcendentem aliquamdiu hærere in ureteribus. Oriuntur dolores, ſpaſmi, febres, ut in omni tali caſu: at vero, quia unus ureter liber eſt, ſi calculus nondum ad locum unionis binorum, vel trium, ureterum devenit, poterit urina a rene deſcendere in veſicam, & cum omnibus his

ærumnis debita copia ex vesica excerni. Communi quidem regula id non ita fit; quia tamen casus tales extra observationes communes excedentes, memorantur, etiam erant adferendi: quod olim contigit, pluries contingere potest. (*)

5) *Ex symptomatibus &c.*; novi, ureteres esse nervosos admodum, adeoque maxime sensiles; unde talis ibi dolor acutus necesse est oriatur. Novi, hunc ureterem posse resistere suæ dilatationi majori, quia tres habet tunicas, quarum prima, filamentosa dicta; altera utcunque rubescens & fortis, decussantibus se fibris consiata, ligamentosa; tertiâ veluti holosericea abrasa, & multo smegmate inducta, ne urina sua acrimonia eam in transitu lædat; [exactiorem ureterum descriptionem ex *Inl.* HALLERO, aliisque Anatomicis celeberrimis, Lectoribus cognitam hic subpono]. Novi ex scientia anatomica, nervos ab intercostalibus & pari octa-

(*) Certe, si homo haberet acutissimos dolores utraque ureterum regione, & bene interim urinam redderet, miraremur rem, & si dolores in renibus antea calculi præsentiam in renibus non demonstrassent, forte nesciremus, cuinam causæ præsens nunc isque acutus dolor adscribendus. Tamen exempla sunt, ab his doloribus, calculo non penetrante, homines convulsos mori. Si quis ex communibus, iisque optimis artis regulis ratiocinatus negasset, calculum hunc ureterum amborum dolores facere posse, quia urina tam copiosa reddebatur, confundi inspectione cadaveris posset, si duplex, vel triplex, ureter ænigma solveret. Hinc omnia nosse oportet, ut in rem omnem parati simus. De H.

octavo, & lumbalibus huc accedentes, efficere, ut ureteres sint & fortes & sensilissimi. Novi etiam, canales hos parte sua plusquam media forti peritonæo tegi, hincque adhuc magis inpediri, ne a calculo extendantur. Novi ex disectis cadaveribus, hos dolores sæpe tantos esse, ut vitam adimant, post intolerabiles cruciatus, sæpe & convulsiones. Exemplum RUYSCHIUS habet, *obs. anat. chir. N.* 57, ubi mors sequuta, uno modo rene ac uretere adfecto: exempla plura Collectores habent: exemplum tale ipse vidi. Sectiones etiam anatomicæ me docuere, diuturnas ærumnas oriri, quando calculus ureterem penetrans sedem figit ante vesicam, & in perpetuum hic præcludit urinæ in vesicam ingressum: unde extenditur sensim ureter in saccum, pollicem & ultra capientem, ab urina depluente & non transeunte, in vesicam; quale ipsemet in cadavere exemplum vidi. Pintam puris RUYSCHIUS eduxit ex unico sic dilatato uretere, *Obs. anat. chir. N.* 94. Omnia hæc mala a calculo in uretere, aut medio, aut fine ejus, hærente, nasci possunt.

Cæterum, ut alias jam monui, sunt difficulter cognoscendi morbi harum partium. Æstate præcedente Hagæ Batavorum casus sequens contigit. Juvenis 20. annorum, temperamenti sanguinei, sine ulla causa externa manifesta, dolorem percipit in inguine ad ligamentum POUPARTII, qui dolor per totum femur, crus, pedem se extendens, motum cruris plane inpedivit, ut lecto adfixus hærere deberet. Indicatio videbatur docere, adesse inflammationem in hoc ligamento, ac per fasciam latam, illi adnexam, cum femore & crure communicari. Cura antiphlogistica interna, externa, nil juvit; præ summo dolore æger semper ejulabat, nec leviissimum cruris adtactum ferre poterat. Hinc creditum, ad hanc oram obliqui externi hærere subtilem,

acerrimam, materiem, ut in juncturis ſæpe podagrica eſt. Unde frictio levis, balnea, levia veſicantia, & nervina, dolenti loco adplicata; ſed fruſtra. Mercurius, cortex peruvianus, opium; æque inutilia. Ipſe ſpiritus vini vapor in vanum adplicatus Duravit hæc miſeria per binos integros menſes, ita ut æger extenuaretur totus. Cæterum, quod vitium in toto corpore adcuſares, erat nullum.

Tandem ſupra criſtam ilei ſiniſtri nascitur acutus dolor, & urina ſanguinea prodit.

Diagnoſis ergo mutabatur, & jam forte calculus hærebat in uretere, qui premeret pſoam, & pſoas ibi preſſus jam in inguine adficiebat membranas & nervos ibidem. Sed, cur ibi doluit locus; cur non totus pſoas; cur non loco altiori a calculo?

Tamen, datis diluentibus, demulcentibus, oleoſis, balſamicis, primo urina valde ſanguinea, dein plures calculi majores, acuti, excreti ſunt Ex quo quidem tempore omnia ſymptomata miteſcere, demum prorſus ſilere cœperunt, & functiones omnes in integrum reſtitui.

Sane, ſtupor cruris ac levis dolor notatus a calculo in ureterem pulſo; ſed dolor per 2. menſes intolerabilis per inguen & crus, dum interim in toto reliquo corpore, nec in organis urinæ, aliqua labes; hoc rariſſimi res exempli.

Hiſtoria tamen mali tota docet, calculum aſperum & multiplicem adfuiſſe; & illico valida conpreſſione nervos inſenſiles redditos fuiſſe; calculos ibidem immotos hæſiſſe, urinæ ſecretione e libero rene pergente: tum pſoam conpreſſum ſub calculo non doluiſſe, ſed tantum inſertionis loco prope inguen. Quis talia conprehendat, quis explicet? Et tamen hiſtoria mali contigiſſe quid ſimile docet. Fateor, me vix conprehendere

dere hoc: res tamen veriſſima eſt. Niſi malitis dicere, duos eſſe diſtinctos morbos, unum a materie acri ad ligamentum Poupartii, alterum a calculo. Sed cur ſævus adeo dolor per duos menſes, ad calculi manifeſti hiſtoriam minor & tandem ſedatus? Certe ſuſpicio magna eſt, ne idem ſit malum; niſi iterum cogitemus, per urinam poſthac aut diaphoreſin materiem acrem exiviſſe; maxime per febrim, quam calculi excitavere.

20) Vesicæ. Veſica urinaria omnes pati morbos poteſt, inflammationem, ſubpurationem, gangrænam, quos ventriculus, quos inteſtina; quæ ſimili modo corpora ſunt membranoſa: ſed ſumamus hic miſerandum morbum, qui difficultates magnas ſæpe comites habet; nempe veſicæ calculum.

1) *A natura &c.*; ſi primo adfuerint ſigna calculi in renibus & ureteribus, atque jam poſt evanidos horum dolores moleſtia percipiatur in veſica. Cæterum *a natura cognita cauſæ* non habeo ſignum hic fere ullum, ſi ſit calculus natus in ipſa veſica (maxime ſi peculiari membranoſo receptaculo incluſus hæreat; de qua calculorum ſpecie inprimis videndum in *T. I.* operis præſtantiſſimi *Mem. de l'Acad. roy. de Chirurgie.* — Egregius Bromfield, *chirurgical obſervations*, *T. II. c.* 9., refert, in viro calculum, magnitudine ovi gallinacei, inter veſicam urinariam & inteſtinum rectum generatum, ſymptomata nonnulla calculi producentem, cathetere utique non detegendum.)

2) *A functione &c.*; ab iſchuria, dyſuria, ſtranguria, frequenti, una cum moleſto ſæpe pondere ad perinæum, cum dolore, aut titillatione, ad finem urethræ in glande; ab urina ſæpe redditu inpoſſibili, quæ tamen elevatis cruribus, & capite deorſum flexo, ſponte exſilit.

3)

3) *A natura &c.* natura calculi, in vesica præsentis, sæpenumero est, ut adjaceat sphincteri vesicæ, & prorsum inpediat urinæ egressum; ita ut, quo vesica repletior sit, pressio diaphragmatis & musculorum abdominalium in plenam vesicam calculum eo fortius adprimat sphincteri, immo hunc obturet penitus, si quandoque vi pressionis sphincter laxari cœperit.

4) *Ab excretis &c.;* in morbis vesicæ, ureterum, urethræ, renum, excernuntur varia ac memorabilia; sed confuse admodum traduntur signa, quæ determinent præcise locum, unde nascantur, & morbum quem excretiones hæ designent pathognomice.

Excretiones sunt 1) sanguinis; 2) puris; 3) urinæ cum materie alba, mucilaginosa, fœtida, instar salsamenti subputridi; 4) furfurum; 5) arenæ; 6) thromborum; 7) pilorum, filamentorum; 8) vermium, anguillularum; 9) calculorum; 10) pellicularum; 11) caruncularum.

Sanguis, qui excernitur per urinæ vias, is aut ex renibus, aut ex ureteribus, aut ex vesica, aut ex urethra oritur. Si inmediate veniat ex vesica, renes & ureteres doloribus carent. Oritur porro 1) in vesica potissimum a calculo acuto, aspero, rodente vascula sanguinea. 2) Si ex urethra veniat, etiam effluit, dum conatus mingendi non eduntur: etiam, dum urina effluit, sanguis ille exprimitur & postrema urina fere naturalis est. Præterea 3) post fervidos nimium repetitosque venereos inpetus sanguinem demum loco seminis exivisse compertum est. An ex vesica? non videtur; quum in actione venerea ea maxime clausa sit; sed genitalium motus & ardor sanguinem hunc ex vesiculis seminalibus, vel ductibus ejus, vel capite gallinaginis, expressserunt. 4) Si vero ex renibus, deprehendimus vel symptomata calculi ibidem præsentis

ad-

adfuiſſe, vel renum conpreſſionem cum motu valido. Si homo ante urinam ſanguineam primo ſe movens valide acute doluerit, veriſimilitudo magna, mictum ſanguinis oriri non veſicæ vitio, ſed a calculo renum. Idem de ureteribus verum.

Etiam fieri poteſt, ut homo moleſtiam ſentiat in veſica & ut doleat ad perinæum, & ut doleat redditurus urinam, & ut doleat glande penis, & tamen calculus ſit in renibus, non in veſica. Etenim calculus aſper renum vaſa vulnerat; inde ſanguis ad veſicam. Sed ſanguis ille in veſica, aut in ureteribus aliquamdiu hærens grumeſcit, & oriuntur thrombi, qui tunc dolorem creant ad cervicem veſicæ, & ad glandem, ac ſi homo revera calculum in veſica haberet. Experimenta hoc ita verum eſſe demonſtrant: vid. inter *Epiſt.* Boerhavii *No.* 12. & 43.

5) Vel vitium eſt, ut in lethalibus febribus, aut variolis, in ſanguine; ita, ut diſſolutus transeat facile per tubulos bellinianos, atque urinam ſanguineam exhibeat.

6) Vel eſt vitium quibusdam hominibus peculiare; quibus, ſi arcte cingant lumbos, aut motus ab illis magnus ſuper aſperas vias fiat, facile ſanguis prodit per urinam. His, & cavendo motum & laxius cingendo ſeſe, malum ceſſare ſolet.

7) Hæc paſſim ſic vera ſunt; verum, ſi calculus ſit in veſica depulſus a renibus, inque rene unus pluresve calculi aſperiores ſint, dolorem creantes, diagnoſis ex natura morbi difficilior eſt: nam utraque de cauſa poteſt oriri talis urina.

His caſibus exceptis, ſi nulla ſigna ſint renum, aut ureterum, adfectorum, ſed ſigna adſint calculi in veſica præſentis, auſim adfirmare, mictum ſanguineum ex veſica inmediate produci.

Vi-

Videamus nunc paucis reliqua, ante memorata, quæ ex veſica excerni nonnunquam ſolent. Secundo loco veniunt *humores purulenti.* Pus iſtud utrum ex veſica, an ex renibus oriatur, debent docere ſymptomata in alterutro loco prægreſſæ inflammationis. Non loquor de ſedimento critico, nam non eſt verum pus. (*)

3) Excretio *humoris viſcoſi*, *mucoſi*, odorem ſpirantis, qualem ſalſamenta incipientia putreſcere exhalare ſolent. Hæc, ſi ſæpe prodeant, potius denotant præſentiam calculi in veſica. Calculus enim colligit verum alkali, ex reliquiis urinæ intra ſuam ſubſtantiam adſervatæ & putreſcentis. Hic idem calculus dat ſimilem odorem adlabenti & circumlabenti ſe urinæ, eique muco, qui veſicam inveſtit. Calculus aſperitate motuque ſuo illum mucum abradit, qui tunc cum urina prodiens ſalſamenta ſemiputrida redolet. Eſt enim res distinctiſſima pus putridum, ex renibus ortum ab illo corrupto veſicæ muco. Eſt pus renum corruptum & cum urina prodiens vere alkalinum putridum, ut quandoque cum acidis efferveſcat, nunquam habens id putridum ſalſamentoſum, quod mucus veſicæ redolet; niſi utrumque ſimul prodeat.

4) *Furfuris*, & (ſimilitudo) *orobi* toſti, non ſubtiliter triti, aut conmoliti; quod utrumque habetur ſæpe apud HIPPOCRATEM. Furfures unde naſcantur, difficile dictu. Si in pelvi, in ureteribus, in veſica, per aliquot horas non transiret urina, tunc urina purulenta, aut mucoſa, quæ prius transiverat, & mucoſitates ſuas reliquerat ad parietes harum partium, potuit ibi adfigere materiem, quæ adhærens & ibidem ſiccari in-

(*) Poteſt tamen & pus nonnunquam ex toto corpore per eam viam evacuari, quin ſemper in renibus, aut veſica giguatur. De H.

incipiens, deinde ab urina, iterum incipiente ex renibus fluere, ablui, & ſpecie furfurum cum urina eminigi poteſt. Orobum toſtum, nec tenuiter conmolitum, naſci poteſt a globulis quibusdam ſanguineis, ad ſe conpactis; quibus talis color ruffus naſcitur, ut in mictu ſanguineo ſæpe adparet. Sed, en aliud ex Hippocrate *Aph.* 4—77. „ Quibus in urina craſſa exiſtente furfuracea ſimul minguntur, iis veſica ſcabie laborat. “ Ergo ſecundum Hippocratem tales furfures videntur naſci a ſcabie veſicæ. Mira obſervatio! oportuit, ut quandoque talia viderit. Ruyschius veſicæ ſcabiem aliquoties vidiſſe ſe teſtatur *Obſ. anat. chir. n.* 78. & miram ejus figuram refert, ubi veſica tota incraſſata, & cruſtoſa.

Unde Galenus has furfuraceas in febribus urinas putat oriri ex ſcabie, ſeu porrigine venarum

5) *Arenæ;* Hippocrates ait *Aph.* 4—79. „ Quibus in urina arenoſa ſubſident, illis veſica calculo laborat. “

Hoc verum, ſi illico ſubſideant; nam centies & millies citra ullum in veſica calculum urina aliquamdiu adſervata habet arenulas ex coadunatione & concretione minimorum elementorum ad ſe invicem. Videmus ergo prudentiam requiri, antequam ad conſpectas arenulas feramus judicium.

Nemo melius, quam Hippocrates ipſe, explicat aphorismos. Is porro *lib.* 5. *epid.* & *lib. de morbis internis* calculi renum præſentiam diſci ex acutis dolorum ſtatuit. Quod ergo hic de calculo veſicæ dicit, neceſſario præſubponit, id de eo caſu dici & intelligi, ubi nulla ſigna calculi renum unquam adfuerunt.

Hic aphorismus notat, quodſi nulli dolores renum unquam adfuerint, & arenoſa mox ſubſideant, tunc cum aliis ſimul calculi ſignis judicari, calculum in veſica

eſ-

esse; at vero non dicit, in omni calculo vesicæ mictum adesse arenosum; nam multi sunt calculosi, qui arenas in urina nunquam habent.

6) *Thrombi.* Thrombus est sanguis coagulatus, qui vel anastomosi, vel sæpe diabrosi, in renibus, aut ureteribus a calculi adfrictu natus, primo stagnat in ureteribus, dein, magna cum difficultate vesicam subiens, sæpe magnas molestias creat in vesica, antequam possit extra vesicam duci. Figura oblonga thromborum suadet, ut potius credamus, illos figurari ita in ureteribus, quam nasci in vesica. Ergo non est argumentum, quod hinc vesicæ calculum demonstret. Plura mox de thrombis videbimus, ubi agam de *pilis*, & *vermibus*.

7) *Pilorum, filamentorum, anguillularum, vermium*, adparitiones an hic aliquid certi statuunt circa præsentiam calculi in vesica? Singula examinemus!

HIPPOCRATES, *Aph.* 4—76 ait: „Quibus in urina crassa existente carunculæ parvæ, aut veluti *pili*, *unà* exeunt, his de renibus excernuntur.“ Singula verba pondus habent: urina debet 1) esse crassa; 2) oportet, ut non postea, quando diu quieverit, talia adpareant in urina, sed ut, dum crassa mingitur, *unà* exeant illa corpuscula. Si hoc ita fiat, ait HIPPOCRATES, excernuntur talia de renibus.

Certe a muco concreto in pelvi renum, a substantia ipsa exesa renis, possunt tales veluti carunculæ adparentes, cum urina descendere in vesicam.

Sed, rogabit aliquis, an mucus, vesicam oblinens, dum in ischuria a calculo renum, aut in ischuria spuria, vesica diu sine urina est; an, inquam, ille mucus non potest siccari, a contracta vesica depelli, & specie filamentorum, aut anguillularum, per angustiam urethræ transeundo in urina prodire? Tunc ex renibus

bus non orirentur talia excreta: non referrent hæc caruncula, vel pilos.

Rogabit quis, an casu dato, dum homo haberet jam calculum a renibus depulsum intra vesicam, & alter calculus e renibus utrisque descendens ischuriam faceret in ureteribus ambobus; an tunc in sicca vesica mucus non inspissaretur, & an asper vesicæ calculus non potest abradere illum particulatim, ac postea, dum urina iterum fluit, specie caruncularum reperiri in vesica? Non; hanc similitudinem non haberet; carunculæ sunt solidiores a substantia renis; pili sunt in vasis formati.

Hinc Hollerius in adductum aphorismum commentans, totam ejus vim in eo ponit, quod oporteat primo signa prægressa esse exculcerati renis, & quod tunc in illa urina, crassa, sive purulenta, carunculæ parvæ prodeuntes, aut veluti pili, doceant renes adfectos: 1) quia renum substantia semiconsumta talia fragmenta solidiora dare potest, non vero ureteres, aut vesica, quorum ramenta, magis membranosa, minus carnosa adparent externo habitu. 2) Quia pus, mucus, in sanguine renali potest dilatare fistulam bellinianam, eamque infarcire; materies talis moram aliquam ibi trahens, conpingitur, descendensque cum urina, pili formam refert.

Phænomenon hoc non infrequens. Hollerius, morbus, inquit, hic dicitur τριχίασις: id est capillitium; frequens est in his regionibus: multi enim emittunt capillos longos, una cum urina, & aliquando breves.

Tulpius, *l.* 2. *c.* 52. (autem) ait: mictum capillorum, sive trichiasin, conspexere Medici aliqui, sed admodum pauci. At quis reciprocantem ipsius periodum, quam nobis evidentissime obtulit filius Consulis hornani? Adflictus quatuor annis ab hoc

inusitato capillorum mictu; qui ipsi identidem revertebatur, quolibet decimo quarto die, cum insigni urinæ difficultate, & tanta perturbati corporis inquietudine, ut vix se contineret in cubili? Æquantibus singulis pilis modo medium, modo digitum integrum, sed muco ita involutis, ut raro separatim, sed plerumque prodierint conglobatim: durante qualibet accessione dies ferme quatuor, in quibus licet continenter & molestè redderet urinam, transegit tamen reliquos dies sine ullo cruciatu, ullove capillorum mictu; usque dum postliminio repeteret consueta reciprocandi ratio.

Prodeunt hac ratione corpora pilis his omnibus crassiora, longiora, quæ propterea *vermes* dicuntur. In *Hist. Acad. reg. Scient. Paris. ann.* 1735. *p.* 25. homo minxit diu multumque tales quasi vermes 20 pollicum, ulnæ unius, immo unum duodecim ulnarum. Medicus famosissimus Amstelædamensis TRONCHIN, qui Parisios, ad D. DU FAY hunc casum scribit, simul explicat, oblonga illa corpora sibi videri formari in hæmorrhagia renali, ab ureteribus continuo filo hic transeuntem sanguinem conpingentibus, condensantibus, & continuationem longam sic facientibus.

Vermes vesicâ prodeuntia talia fila vocabantur, sed male, nam veri thrombi sunt. Tamen vera animalcula prodiisse ex vesica constat. DURETUS in HOLLERIUM, fit quoque, ait, diabetes ab animalculo renibus incluso, quod renes titillando excitat adtractionem, ut expertus sum in me ipso, qui animalculum, quod millepedem referebat, in renibus concluſum habebam; unde major adtractio, quam solebat, & quum perveniſſet ſuctio ad ventriculum, liberalius bibebam: sed Dei misericordia, excreto animalculo quievit.

VIDUS VIDIUS vermem cum urina excretum vidit, præditum capite acuto, corniculato, ventre & dor-

dorso latiori, testulâque subdurâ, instar testudinis, induto; nigrum, ac circa ventrem rubentem. DALECHAMPIUS, Medicus doctissimus, hunc vermem cum urina prodeuntem etiam viderat.

TULPIUS, *l.* 2. *c.* 59. narrat observationem de verme, una cum membrana per urethram excreto: æger brevi post interiit.

Idem TULPIUS, *l.* 2. *c.* 51., quotidianum vermium mictum describit, per plures dies in fine alicujus morbi, quorum plures vivebant. — *Cap.* 50. habet historiam eximii Medici, qui post tertianam spatio octidui eminxit vermes octodecim, nonnullos viventes, magnitudine pares iis, qui in caseo deprehenduntur.

Immo RUYSCHIUS, *Thesaur. anat. I. arcula* 4., repræsentat muscas, seu potius nymphas, copiosas, cum urina excretas; quæ ægro pruritum in perinæo & laborem in mejendo excitaverant. Similis casus RUYSCHIO tunc narrabatur, in urina feminæ observatus. Ratus fuit RUYSCHIUS, si homo latrinæ diutius insederit, posse ibidem vermiculos in patentem satis urethram intrare, & hærere ante vesicam; qui tunc cum urina iterum expellerentur.

Qui plura in hanc rem videre cupit, adeat HOLLERIUM *c.* 49 usque ad *c.* 53., una cum doctis animadversionibus DURETI & VALLESII in hæc capita HOLLERII. Videatur quoque SCHENCKIUS *de renibus obs.* 196. ut & *obs.* 304., *cum seq.* usque ad 313.; RONDELETIUS, in *historia aquatilium*, *c. de cancro.*

Membranulæ demum cum urina prodeunt. Vidimus paullo ante ex TULPIO observationem de homine, qui una cum animalculo eminxerat membranam. *V.* etiam SCHENCK. *obs.* 314 *de vesica urinaria.* — In *Hist. Acad. reg. Scient. Paris.* 1714., ROHAULTIUS ischuriam describit ex separatione $\frac{2}{3}$ partium membranæ

internæ veſicæ, ornatæ vaſis ſanguiferis. Membranæ hujus fruſtula fluctuantia, & collo inhærentia inpediverant urinæ transitum. Separatis ſic tribus magnis laciniis urina libere fluxit: ſed debitis injectionibus ROHAULTIUS conatus eſt, veſicam internam curare: curatus etiam homo eſt, ſuperſtite nonniſi levi urinæ incontinentia.

Quam miranda quandoque natura proferat, patet ex TULPII *l.* 2. *c.* 48. Eminxit amplam membranam mulier, obductam exilibus lapillis, ſine iſchuria. Obſervatio hæc præcedenti contraria. Quid ita? foramen erat in illa lapideſcente membrana, quo iter urinæ conceſſum. Quum vero non niſi ſummis doloribus veſica hunc partum eniteretur, orta eſt urinæ incontinentia diuturna, remediis tandem nervos roborantibus curata.

Tandem datur & ἕρον ὑμενώδες, ἐρήσιες ὑμενώδεες, ex HIPPOCRATE in *Prorrheticis*, & in *fine coacarum*, in morbis phreniticis ſimul & convulſivis. An, quia acri ſanguine facto vaſorum interni parietes deteruntur? Ita GALENUS.

Ultimo prodeunt *calculi* cum urina; qui, an in veſica proprie geniti, an ex renibus illuc depulſi, aliæ, enarratæ alibi cauſæ & phænomena docebunt.

Colligendo itaque omnia, quæ ex veſica prodeunt, invenio ſanguinem, pus, furfures, orobi toſti analoga ramenta, arenas, thrombos, pilos, filamenta, anguillulas, vermes, carunculas, membranulas, calculos ipſos, per vias urinarias dimiſſos, nullam mihi certitudinem dare de calculi in veſica præſentia.

Concludo igitur, excreta, quæ ſecundum quartam regulam textus hic me certionem reddere debebant, nihil certi me hic docere; quum excreta illa plurimis de cauſis prodire queant. *Sanguis* enim poteſt a motu oriri, aliisque, quam calculo, cauſis deberi; aliquando

v.

v. c. hæmorrhoidalis eſt. *Pus* oriri poteſt ab inflammatione vera renum, ſine calculo. *Furfures* naſci queunt a concreto muco in iſchuria ſpuria; aut, ut GALENUS ait, a ſcabie veſicæ aut venarum; *orobum toſtum*, ruffum, a concretis globulis ſanguineis. *Arenæ* centies viſæ in rheumate, catarrho. Novi hominem, qui ingentem copiam rubri ſabuli ſæpius in vita minxit, ſanus, & jam quotidie ex anni integri ſpatio; absque vel minimis ſignis, ſive calculi, ſive læſæ ſanitatis. *Thrombi* provenire poterunt ex ſola hæmorrhagia renum, a motu, a conpreſſione externa; tum & ab hæmorrhagia ureterum; *pili* a mucoſa materie in ductibus bellinianis formata in ſpeciem pilorum; ſi longiores & craſſiores, in ureteribus; tum a calculo piloſo, qualem DENYS eduxit, qui Leidæ ſervatur; *filamenta* eodem modo, ut & *anguillulæ*; anguillulas has habent multi a curata gonorrhæa, laxis manentibus osculis mucoſis in urethra. *Vermes*, ſive falſo dicti, ſive veri & vivi, aliunde denuo repeti queunt, quam a calculo; nam obſervati etiam in his, qui nullam calculi ullius ſuſpicionem habebant. A renibus non tantum calculoſis, ſed & ſubpurantibus *caruncullæ* venire poſſunt: *membranulæ* a vitio ſine calculo æque, quam cum calculo. *Mucus* ponderoſus, fœtidus, copioſiſſimus quamvis calculum ſæpiſſime denotet, aliquando tamen adeſt ſine calculo, & calculus nonnunquam adeſt ſine hoc muco. *Sabulum* in acutis ſubin prodit, ſubin in ſanitate.

Videbimus ergo, an quintum ſignum aliquid certi adferat.

5) *Ex ſymptomatibus &c.*; hinc video hominem non poſſe mingere, & aliquando mingere difficulter: ſcio, eſſe veſicam, in quam omnis fit urinæ collectio: renes, ureteres, mihi videntur ſani; homo quaſi gravitare quid ſentit aliquando in poſtica veſicæ parte & ad

perinæum. Novi, calculum id ſæpius feciſſe; ita, ut calculo, aut emicto, aut educto, homo id incommodi ultra non percipiat. Homo ille quandoque alvi tenesmos habet; digito explorans ſentio corpus durum incumbere extrinſecus in rectum illudque conprimere: calculo extra veſicam ducto hoc incommodo caruit. Novi ex ſcientia anatomica, veſicam eſſe obductam muco; mucus etiam hic prodit; videtur mihi idem ille eſſe, qui veſicam obducit. Ulterius in hominibus cum calculo veſicæ mortuis novi, veſicam hoc muco, aliquando deraſo, penitus deſtitutam fuiſſe; pariter hic concludo, calculum in veſica eſſe, qui continuo hunc mucum abradat. Sic magna veriſimilitudo nascitur, quam in hoc morbo plerumque confirmat catheter. Dico, plerumque: nam vidi calculum enormem, eductum ex veſica urinaria Belliducis mortui; circa cujus præſentiam bini annoſi Medici (Doctor DU PERRON, & Profeſſor SCHWENCKE) perpetuo belligerati fuerant, quum catheter nihil doceret. Calculus formaverat ſaccum in veſica, cui ita incluſus hærebat, ut cathetere non potuerit detegi, vel percipi. — Alium caſum novi. Juvenis, ſymptomata calculi habens, cathetere exploratur, & in ſiniſtro latere prope collum veſicæ, manifeſto calculus deprehenditur. Dies præfinitur ſectioni. Vidi præſens, neque Lithotomum, neque Medicos, atque Chirurgos tunc potuiſſe calculum cathetere invenire: unde, re infecta, Lithotomus abiit. Moritur plures poſt menſes juvenis. Adfui cadaveris ſectioni, vidique calculum magnum in fine ureteris ad veſicam. Probabile admodum, prima exploratione niſus naturæ adfuiſſe, ut premeretur in veſicam calculus: tunc ſuo extremo in veſicam penetrante fuiſſe illum perceptum, auditum tactu inſtrumenti; fuiſſe vero calculum ma-

jo-

jorem, viresque naturæ minores, quam ut transmitteretur in veſicam: unde, deficientibus naturæ conatibus, retroceſſit in locum non reſiſtentem, in finem nempe ureteris; quo factum, ut poſthac cathetere ultra tangi nequiverit.

De induſtria, A. A. volui hoc exemplum ſumere, in quo tot tantæque difficultates oriuntur, ut ſciremus ſaltem, quouſque artis regulæ ſe extendant, & ubi deficiant. Quod certum, pro certo dedi; dubia ut dubia tradidi: ſed oportebat in incertis eo certa perducere, quo poterant.

21) Urethræ. Canalis a veſica ducens urinam extra corpus, patitur varios eosque diriſſimos morbos a calculis quandoque illi inhærentibus, in ſtranguria varia, maxime in gonorrhœa; quod poſtremum, quomodo fiat, agite videamus!

1) *A natura &c.;* homo cum inpuro ſcorto rem habuit.

2) *A functione &c.;* primis diebus guttatim ex urethra effluxerat illi albidus, utcunque tenax, liquor, cum titillatione ingrata glandis & anterioris urethræ partis; at vero poſtea materiem factam denſiorem, flavescentem, cum ardore & lancinante dolore in reddenda urina, præcipue verſus glandem, excrevit. Dein materies facta penitus flava, cum augmento dolorum: tandem colorem induit virideſcentem, reddita putrida, ichoroſa, dolores nati intolerabiles; penis, quaſi chorda tenſa, ſe incurvavit.

3) *A natura &c.* gonorrhœa talis morbus eſt, in quo homo, ab inpuro ſcorto infectus, virus venereum inſinuatum gerit intra urethram, & quidem ex hominis hujus narratione intelligo, illum laborare prima quidem gonorrhœæ ſpecie, ſed neglecta. Virus occupat hic glandem & principia urethræ, ubi lacuna maxima Morgagnii habetur; & ſi corruptio pergat,

tota urethra quaſi convellitur & contrahitur, chordæ inſtar, unde neceſſario penis incurvatur.

4) *Ab excretis &c.*; glandulæ cowperianæ, lacunæ majores minoresque morgagnianæ in ſtatu ſano leviſſime plorant liquidum ſuum, ut urethra, citra mictum & coitum conlapſa, non concreſcat; tum, ut muniatur contra acrimoniam urinæ, & etiam contra vim, qua in coitu ſemen & liquor proſtatæ violenter ejicitur. Eo in ſtatu non effluit extra urethram: at vero venereo veneno lacunæ hæ irritatæ, inflammatæ, plorant incredibilem copiam materiæ, primo albæ, ſed pro gradu corruptionis flavæ viridisque & ichoroſæ; maximamque ejus copiam in hoc dato ægro invenio, ſi, antequam ille nocturnam urinam eminxerit, ego mane ejus penem conprimo parum infra glandem. Etiam plerumque, dum mingit, urinam habet hac materie infectam, quia adeo eſt copioſa. Ab *excretis* concludo, ita irritari glandulas & lacunas a viru venereo, ut centuplo plus ſecernant, quam alias ſolent; uti faciunt omnes glandulæ irritatæ: virulentia hæc ſe multiplicat, ut una gutta virulentiæ varioloſæ; hinc omne liquidum in gonorrhœa eſt acre, & inde tanti dolores.

5) *A ſymptomatibus &c.* Video in glande ſtigma, inſtar morſus pulicum; dum premo infra glandem, educo materiem albam, denſam, pinguem. Dico, glandis tota ſuperficies ſub epithelio papillis ſcatet, & poſt glandem in urethræ inferiori parte magna illa crypta habetur, in quam multa oscula tubulorum patent: hinc virus adfecit glandem, ita, ut, notante SYDENHAMO, RUYSCHIO & BOERHAAVIO per hoc epithelium transiens, totam glandem adficiat, ſicque malum pergit in cryptam ibi ſub glande in urethra poſitam, exſudatque per punctulum in glandis ſuperficie, quod inflammatum primum ſtigma varioloſum, vel morbillo-

ſum,

ſum, aut pulicum morſum refert. — Dicit mihi homo, quod perceperit, adparente illo ſtigmate, quaſi urethra ſibi conſtringeretur moleſtiſſimo cum ſenſu: urethra inflammata ſenſilis, nervoſa, ſumme ſe conſtringit, ut & glans tota. Cogitur ipſe homo manu ſæpe conprimere partem: cur hoc? Sic ſuffocat ſenſum exquiſitum, ut pro momento minus doleat.

Si vero homo dicat, ſe poſt inpurum coitum conſtringi urethrà, dolere, conprimere illam debere, neque ſtigma adpareat in glande, neque preſſu digiti ex illa magna crypta pus educatur, ſuſpicor, eum laborare ſpecie gonorrhœæ alia. Prehendo penem altius ad primam ejus curvaturam, & jam educo materiem (purulentam). Novi ex ſcientia anatomica, hic magnas eſſe lacunas, currentes inter ambas urethræ membranas, & effundentes in cavum urethræ mucilaginoſum humorem copioſum, ut urethra conlapſa a concretione defendatur, & contra urinæ acrimoniam muniatur. Ergo virus venereum, hucusque penetrans, oscula harum lacunarum ingreſſum eſt; eritque proinde gonorrhœæ ſpecies ſecunda, priori pejor, & fluxus materiæ copioſior, ſymptomata omnia pejora.

Verum, hic homo habuit ante 1, 2, 3 ſeptimanas gonorrhœam primæ ſpeciei; jam video & audio ſigna etiam ſpeciei ſecundæ, mox deſcriptæ. Dicenti mihi, quod iterum ſcortatus ſit, hoc per Jovem negat. Forte mentitur & pejerat; forte ita, ut eſt, dicit. Libidinoſi homines, ſi gonorrhœa primæ ſpeciei laborent, ſi ſæpe tentigine venerea penem tendant, conprimunt ſimul totam urethram. (Dum enim corpora cavernoſa penis turgent copioſo ſanguine, intermedia urethra valde conprimatur neceſſe eſt: ponite jam, materiem gonorrhœæ ex lacuna magna morgagniana effuſam hærere in urethra; conprimetur ergo illa materies, & tum deor-

ſum tum ſurſum verſus pelletur). Id quod ſurſum facile inpellitur in oscula lacunarum, a MORGAGNIO, & TERRANEO deſcriptarum, easdemque inflammat, corrumpit. Unde ſine ullo contagio repetito poteſt ex prima ſpecie ſecunda naſci.

At vero venit ad me homo, qui ait, ſe jam a longo tempore gonorrhœam paſſum, ab eademque curatum ſe dictum eſſe a ſuo Medico Chirurgove, & nihilominus ſe primum laboraſſe dolore magno verſus perinæum, deinde ulcere non curabili, & ex Medici medicamentis id modo lucratum, ut extra penem, vel parum, vel nihil, effluat; urinæ autem ſe laborare ſimul difficultate.

Ex ſymptomatibus collatis cum ſcientia anatomica partium novi, virus venereum intraſſe ad curvaturam penis, per oscula duo lateralia glandularum COWPERI. Ubi lacunæ MORGAGNII & TERRANEI deſinunt, habentur duo orificia glandularum COWPERI ad curvaturam penis, ſub oſſe pubis.

In gonorrhœa primæ & ſecundæ ſpeciei materies mala effluebat deorſum extra urethram, & quamvis inflammatæ hæ lacunæ in prima & ſecunda ſpecie copioſiſſimam materiem funderent, decuplo forte copioſiorem, quam in ſtatu naturali, omne tamen extrorſum fluebat. Hic vero orificia glandularum COWPERI retro eunt, ſecundum ductum urethræ, verſus proſtatam & discedunt lateraliter verſus perinæum, ad latera urethræ, ubi proſtatæ deſinunt.

Si ergo virus hæc orificia ſubeat, adeo longa, & tam profunde terminata, facile capimus, quid fiat.

Glandulæ hæ cowperianæ videntur raro emungi, ſed parare mucilaginoſum humorem, qui videtur ex lacunis modo exprimi, dum muſculi acceleratores urethræ bulbum conprimunt, in expellenda urina, vel in

eji-

ejiciendo ſemine. Ergo virus, ſubiens has lacunas, eas inflammat, perpetuo ſtillantes reddit, ac tumidas; unde difficultas emittendæ urinæ hic loci percipitur. Stillat materies per lacunas ad ipſas glandulas, unde oriuntur. Hinc dolor moleſtiſſimus, ac tumor manifeſtus ſub proſtata, in perinæo, id eſt, ad latera penis, loco fere eodem, quo penis ultimo adcreſcit inteſtino recto. Poteſt abeſſe dolor in reddenda urina, quamvis hic tumor & dolor ad glandulas ab hac tertiæ ſpeciei gonorrhæa quandoque abeſt. Unde fallitur Medicus, ſi concludere vellet ex abſentia doloris in urina reddenda, tertiam hanc ſpeciem non obtinere.

Tamen emungunt acceleratores muſculi has turgentes, dolentes glandulas in ſingulis emiſſionibus urinæ ad finem, quam ob rem etiam ſequitur materies (gonorrhoica): unde etiam hæc ſpecies noſcitur, quod in prioribus materies præcedat urinam, in hac ſequatur. Novi ex natura partium & materiæ, glandulas has cowperianas integre quandoque conſumi; exedi membranam eas inveſtientem; ulcus naſci in membrana adipoſa circa urethram; dispergi tunc malum per celluloſitatem usque ad inteſtinum rectum, cui & urethræ finis & collum veſicæ nexa ſunt. Hinc tunc ulcus fiſtuloſum in perinæo, & ſi pergat malum, pervadit & inficit ſcrotum, proſtatas, urethram, penem, veſicam, inteſtinum rectum, ipſaque femora. Hucusque de tertia ſpecie.

Sed vocat me homo, cui a longe prægreſſa gonorrhœa non modo hæc mala deſcripta, ſed & tetriora contingunt; ita, ut ipſa urina, immo & ipſæ fæces, perinæo exeant, inmani cum fœtore ichoroſæ materiæ. Ex ſcientia anatomica partium novi, quodſi virus venereum eo profunditatis intret in urethram, ut demum ſubeat proſtatæ oscula, aut oscula veſicularum ſemina-

li-

lium ad caput gallinaginis, quod demum erodantur, conſumantur, proſtata, veſiculæ ſeminales, vas ejaculatorium, epididymis, teſtis, veſica urinaria, inteſtinum rectum, & malum ſit incurabile, licet homo mercurio totus inpleatur. Mercuriali ſalivatione, fumo cinnabarino externe adplicato, levantur quidem ſymptomata hæc, non vero curantur. (*)

(Inmutatum hic dedi Haenianum textum, utut multum ſane potuiſſet, aut debuiſſet, ſi ullibi, hic moneri. Conſulo plurimum Medicis junioribus, qui nec frequentiorem adhuc exercere queunt praxin, nec ampliorem tenent operum, huc facientium, cognitionem, ut inprimis volvant revolvantque *Cel.* TODE ſcripta, circa gonorrhœæ indolem, & practicam hiſtoriam edita.

Mereri, ut hic inſerantur, quum minora ejusmodi ſcripta facile ex oculis ſeſe ſubducant, mihi viſa ſunt ſequentia obſervata circa uſum mercurii ſublimati corroſivi in curandis adfectionibus ſiphyliticis, excerpta ex Diſſertatione inaug. *de mercurii ſublimati corroſivi in ſiphylide efficaci tutoque uſu* (quam in *Univerſitate Vindobonenſi* defendit 1780. *D. Wenceslaus* WYKISSALY). Præterii autem collectionem ſat amplam felicium curationum, quas Viri plurimi celeberrimi remedii hujus ope perfecerunt, alibi expoſitas; & recepi potiſſimum obſervata AUCTORI

(*) Non loquor nunc de verrucis & cancris glandis, freni, penis externi, urethræ internæ; nam non ago hic de lue venerea ex profeſſo. Volui Vobis modo regulæ textus noſtri adplicationem ad unam urethræ morbi ſpeciem adplicare.

ri *propria*; quæ Ipſius paſſim verbis hic adferre lubet.

Perill. & *Cl. Thaddæus de* Bayer, in Univerſitate Carolo-Ferdinandæa Pragenſi Pathologiæ & Praxeos clinicæ antea Profeſſor, nunc Protomedicus militaris primarius & digniſſimus, utilitatem mercurii ſublimati corroſivi indicans, inflammationem chronicam, ex lue venerea ortam, eodem a ſe ſanatam retulit; nocturni viſûs debilitatem emendatam in milite vidit. Exophthalmiam in milite ex gonorrhœa ante duos annos paſſa natam, cum viſus abolitione, mercurio, cum cortice peruviano juncto, intra breve temporis ſpatium, una cum viſûs reſtitutione integra ſanatam vidi, teſtis autoptes, a Præceptore meo. Solebat in infuſo flor. papav. rhœad. ſpiritum mercurialem dare & grato ſyrupo edulcorare.

Ab *inluſtri Prof.* Stoll curatos vidit Auctor ſequentes:

a) Vir 50 annorum, ſcabie cruſtoſa, elephantiaſin mentiente, laborans, lotione ab hac liberatus eſt ſequente:

℞. Merc. ſublim. corroſ. gr. iij.
ſolv. in lib. ij. aquæ commun.

qua ſæpius per diem æger ſe lavet. Interne illi æque, cum aliis ſanguinem purificantibus, datus mercurius eſt.

b) Puella 19 annorum, menſtruis a longo jam tempore carens, tophum non adquiſititie, Auctor ait, venereum in ſterno habuit; huic externe adplicatum eſt emplaſtrum mercuriale, interne 10. Febr. 1780. mercurius ſublim. corroſ. cum aliis hac ratione datus eſt:

℞. Merc. ſubl. corroſ. gr. iij.

tere

tere in mortario vitreo in pulverem ſubtil.; huic, continuo terendo, adde:

roob ſambuc. ℥iij.
extract. gratiol. ʒij.
—— aconit. ʒj.

exactiſſime miſta dentur uſui; ſumat bis, ter, de die parvum cochl., cum copioſo potu emoll. ac ſolvente: aucta ſolum doſi extracti gratiolæ ad ℥β, & omiſſo in fine aconito, 20. Mart. curata diſceſſit.

c) In aliis, viris lue adfectis, rheumatismis vexatis, & feminis, fluore albo venereo laborantibus, quam plurimis, in uſu habuit (*Cel.* STOLL) ſequens medicamen:

℞. Merc. ſubl. corroſ. gr. iij.

tere in mortar. vitr. in pulv. ſubtil., inter terendum adde:

roob ſambuc. ℥iij.
extract. aconit. ʒj.; miſta exacte dentur uſui:

ſumat ter de die parvum cochlear, cum ptiſana communi, copioſa.

Therapeiam, pergit AUCTOR, noſocomii, ad *S. Marcum* dicti, quam a Cel. loci Phyſico & doctiſſ. Adſiſtentibus communicatam poſſideo, & propria experientia firmatam vidi, paucis hic præmittere prodérit; ut curationibus, paullo poſt a me enumerandis, eo major habeatur fides. — Hora matutina, ac vespertina, ſexta, porrigitur ægris cochleare unciæ ſemis, in libra una decocti emollientis, de ſolutione mercurii ſubl. corroſ. ſequenti:

℞. Merc. corr. ſubl.
ſal. ammon. aa. gr iv.

ſolv. in aq. commun. deſtillat. ℥vj.; ſine, vel cum, aliquo ſyrupo, pro diverſo ſtatu ægrorum.

Po-

Potui communi inſervit decoctum ex hord., liquirit. & rad. althææ. In quibus liquor contraindicatur, vel qui eum non ferunt, quod raro obvenit, ſubſtituitur interim decoctum antivenereum ſequens:

℞. Antim. crud.
lapid. pumic., pulveriſat. & in petia ligator. aa. lib. j.
ſarzaparill.
lign viſc. querc, aa. ℥iij.
ſaſſafr.
liquirit. aa. ℥iß.

conſciſſ. coque in menſuris viij aq. com. ad remanentiam menſ. v.; colat l. a. expreſſæ dentur duo vascula mane & vesperi tepide. Cibus conſuetus noſocomialis eſt, jusculum bubulum, farinacea tenuiora & caro alba. Ægris inpuris datur purgans ex jalappa; ſanguineis v. ſ. adminiſtratur, & ſub uſu liquoris omni octava die evacuans ex jalappa repetitur. Liquoris doſis pro varia ætate, ſexu, temperie & ſtatu ægri, augetur, vel minuitur. Æſtivo tempore balneum omni die, quod mirum in modum (curam) accelerat, adeunt ægri. Ad ulcera ſordida, putrida, eluenda, aqua vegetomineralis Goulardi adhibetur.

Methodo hac a peſſimis luis ſequelis ſanos præſtitos ann. 1780. Auctor vidit ſequentes.

a) Puella 4 ann. labe venerea coitu adquiſita, fluore albo & condylomatibus genitalium onuſta, ſex ſeptimanarum ſpatio curata eſt ſolo liquore; ex relatis D. Adſiſtentis Zeller.

b) Ann. 18 alia puella ex condylomatibus & ex cancro venereo labii pudendi dextri, per duos menſes liquore uſa, curata abiit.

c) Puella alia 19 ann. ex herpete tuberoſo & ſquammoſo ſex menſium intervallo liquore ſanata eſt.

d) Alia

d) Alia 24 ann., quæ in fronte tophos exulceratos, ozœnam habuit, ſumto per tres menſes liquore, noſocomio valedixit curata.

e) Femina 21. ann. in ſextum menſem gravida, hyſtericis obnoxia paſſionibus, eodem liquore, diutius quidem, quum ſubin deſiſtere deberet, uſa, curata eſt a condylomatibus & fluore albo; absque vel minimo inminentis abortus metu.

f) Alia femina 24 ann., die 14. poſt puerperium ſolo liquore a ſcabie, fluore albo, condylomatibus venereis liberata; quatuor menſium ſpatio.

g) Puerpera 23 ann., quæ genitalia exulcerata habuit, $\frac{3}{4}$ anni liquore uſa, & reſtituta abiit.

h) Femina 35 ann. a carie oſſium naſi, naris dextræ fiſtula lacrymali & palati mollis (ulceribus) intra ſex menſes liquore ſolo reſtituta eſt.

i) Alia femina 27 ann. cœlebs, tophum in dextro crure; clavicula, fronte, verrucas in pudendis gerens, liquore a 27. Febr. uſa, 12. Maji diſceſſit ſana.

k) Alia 44 ann., nupta, tota quanta exulcerata, liquore uſa; conſolidatis ulceribus, breviſſimo tempore domum ſe contulit.

l) Lanio 28 ann., capite toto nodis exulceratis obſeſſus & quorumdam oſſium carie, topho in dextro crure; conſolidatis & reſolutis a ſolo liquore tophis, intra quinque menſes ſanus eſt præſtitus.

m) Pellio 28 ann., in fronte tres tophos, alium in lævæ manus carpo, in lævo pede alium habens, liquore per quatuor menſes uſus, tophis reſolutis, ex ſuperveniente febri putrido - inflammatoria 12. Maji occubuit.

n) Vir 30 ann. verrucis venereis toto obſitus corpore, liquore intra quatuor ſeptimanas eſt reſtitutus.

o) Alius

o) Alius 43. ann., ab exophthalmia ex topho orbitæ enata, ſex menſium ſpatio curatus eſt.

p) Alius vir a gangræna narium, palpebra inferiori exulcerata, liquore ſeptem menſium intervallo uſus, feliciter curatus eſt.

In viris, Auctor demum ſubnectit, facilius & citius curam abſolvi obſervavi; feminas vero longiori indigere mora nemo mirabitur, quum menſtruorum tempore a liquoris uſu abſtineanti.

22) Uteri. Exemplum ſumamus a puerpera, quæ habet in hypogaſtrio dolorem.

1) *A natura &c.;* peperit hæc femina haud ita pridem infantem feliciter; at vero nimium adhærentem placentam obſtetrix non citra dolorem avulſit.

2) *A functione &c.;* dum reſpirat, dum tuſſit, dum loquitur, dum ſe erigit, dum flatus multi extendunt inteſtina, dum alvum egerit aut urinam, dumve crura extendit, dolorem habet, inmaniter auctum, ut vix auſit reſpirare, vix ſe movere, vix alvum, aut urinam dimittere.

3) *A natura &c.;* morbi uteri cum inflammatione tales ſunt, ut ſi diaphragma & muſculi abdominales premant in pelvin, ille uterus tumens, dolensque inmanem ſuſtineat dolorem a tanta conpreſſione. Novi, morbi uterini naturam eſſe talem, ut ſi velit mulier ſeſe erigere, ejulet præ dolore aucto, quia muſculi abdominales, maxime recti & pyramidales, tunc ſe adcurtant, & anguſtant ventrem.

4) *Ab excretis &c.;* ut in puerpera omnia fortunate contingant, neceſſe eſt, uterum & totum ſyſtema hypogaſtricum ſe evacuare copioſiſſimo ſanguine a tot menſibus in illis coacervato: hic vero lochia vix, vel non omnino excernuntur; nulla aliquando alvu alisquando autem diarrhœa.

5) *Ex symptomatibus &c.*; hic ex scientia anatomica novi, uterum nexum vaginæ, tubis, vesicæ urinariæ, intestino recto, & ope peritonæi fere cum toto abdomine; posse mirum in modum, ubi inflammatione magna tumet, doloris sensum extendere per totum abdomen & pelvin. Hinc in genere intelligo ex scientia anatomica, cur talia adpareant symptomata. At vero, si profunda meditatione in fabricam uteri descendam, fateri debeo, quod scientia anatomica hic haud ita in omnibus adjuvet, quam quidem in plerisque priorum. Est uterus ζῶον ἐν τῷ ζωῷ (animal in animali) conpositum vasis nervisque ac cryptis miris peculiaribus, cum multa intermedia cellulositate. Potest inflammari omni tempore, etiam citra puerperium. Verum ex scientia anatomica novi, mira Creatoris dispositione vasa esse certe alius generis, quam alibi in toto corpore. Si arteria parva inpleatur aliquo in loco ita, ut multum repetitisque pulsationibus extendatur, oritur anevrysma; si vena, inmensa varix: mala utique tam sæpe lethalia. Ad uterum vero per anatomen novi, venire vasa vix setam capientia in virgine; ea sensim ita distendi, ut digitum minimum capiant, idque haud uno, sed pluribus in locis. Vasa illa sic distensa a parva distensione in maximam per novem menses, denuo recipiunt vim suam contractilem, &, si incidatur mulier, quæ vigesies in vita peperit, totus uterus vix pugni excedit magnitudinem.

Quia inconprehensibile id mihi est, & contra reliquas naturæ leges, hinc video, in toto utero esse aliquid inconprehensibile, quod nempe inflammatio ejusdem tam diriſſima sit. Si membrana pleura inflammetur, si membrana tympani, si membrana tegens tendines digitorum, facile conprehendo, quodsi tensa pars adhuc magis tendatur ac vibret continuo pulsu febrili eam

eam debere acutiſſime dolere: at vero uterum in puerpera video ex Anatome, eſſe corpus minime membranaceum, ſed totum fungoſum, ſpongioſum, ut lien, ut hepar; quæ viſcera quoque vehementer non dolent: & tamen dolor uteri inflammati eſt adeo magnus. Habet ecquidem nervos, ſed haud ita copioſos, quam quidem alia viſcera in corpore humano, & tamen eſt inflammatio fere ex peſſimis, unde calore exustum corpus convulſum perit: ita, ut HIPPOCRATES in *Coacis* linguam igne quaſi exustam propriam pronuntiet in utero inflammato.

Hinc incipio adſcendere ad altiora, & conſiderans, quod Auctor naturæ uterum cum ſuis adpendicibus facere voluerit ſedem voluptatis, ut hac ratione femina diras geſtationis & partus labores cum voluptatibus conpenſaret, adeoque nervos per uterum diſperſos donârit ſenſatione, cui alia nulla pars detur par; intelligo, inquam, hinc, cur dolor hic tantus, tanta in corpore toto mutatio; cur ſæpiſſime tam cita mors, niſi vi venæſectionum, & antiphlogiſticorum internorum ac externorum cito ſubflaminetur.

Sed vocor ad feminam, quæ omnia habebat uteri inflammati ſymptomata, & jam tumidum gerit admodum ventrem, dolentem, cum pulſu celeri, parvo, febricula vespertina, poſt prægreſſas horripilationes; cum alvo, olim fluida, jam plane conſtipata; ſæpe cum nauſea ac vomitu, tandem alvo argillacea. Novi cauſam, prægreſſam inflammationem, ſine ſignis reſolutionis. Video 2) læſas functiones, nempe, alvum, quæ prius fuerat liquida, copioſam, maxime conſtipatam, flatus retentos, vires animales ac vitales multum projectas, motum crurum inpeditum. Video 3) naturam inflammationis uterinæ, non reſolutæ, eſſe, ut in abſceſſum abeat, qui hic ſæpe ingens, antequam perrumpatur;

conprimens adeoque inteſtina, ne flatus, alvusque moveantur, & tenſionem muſculorum abdominalium ac peritonæi, inde ortam neceſſario. Unde capio, cur venter ita doleat. Video 4) excreta non eſſe ex hoc utero lochia; alvum liquidam, copioſam, multam, dein nullam ſucceſſiſſe; aliquando illam fuiſſe albam, aliquando aut flavam, aut fuſcam. Tandem 5) ex conparatione ſymptomatum cum ſcientia anatomica partium, intelligo, eum hujus uteri pure turgentis ſitum eſſe, ut premat inteſtina ſupra ſe poſita contra ventriculum & hepar: unde intelligo, tumorem abdominis, anxietates ad præcordia, vomitum. Cur alvus, jam adeo inmorigera, in principio diarrhœica fuerit, intelligo, ex lochiis retardatis ſyſtema meſentericum fuiſſe magis repletum, irritatum, hincque tenuiora ex hoc ſanguine per ora ultima in inteſtinis patentia, continuo depluiſſe. Quod aliquando ſalutare, ut in morbis mulierum alio loco videbimus; ſed ſæpe aut funeſtum, aut nihil juvans.

Vocor denuo ad feminam, quæ poſt omnia prægreſſa jam habet in peculiari abdominis loco eminentiorem tumorem pulſantem, dolentem maxime & acuminatum. — Dico: ex cauſa prægreſſa, ex functione læſa, ex natura morbi, ex deficientibus excretis, ex ſymptomatibus collatis cum ſcientia anatomica partium, adparet uterus, abſceſſu turgens, continuo adcubitu ad peritonæum, cum eodem coaluiſſe; peritonæum hinc inflammatum eſſe, ut & muſculos abdominales, & cutim; purulentam materiem nunc abire per hunc locum, & prodire foras. Tale reſponſum do 1) experientia fretus, 2) auctoritate HIPPOCRATIS, qui ait *lib. I. de morb. mul.* „Poſtea quibusdam ineunte quinto, aut ſexto, menſe, ſubpurata uteri ſupra inguen eruperunt.“

Ta-

Tales casus notabiles quatuor vidi. Primus contigit anno 1757. Inpositis cataplasmatibus quum non prodiret sponte pus, volebam, ut Chirurgus faceret aperturam. Negavit veniam aperiundi, quumque erodentia & maturantia cutim duriorem penetrare non possent, neglectu debitæ aperturæ hectica periit; quamvis sub mortem pus incipiebat extrorsum verti.

Cadaver cum Chirurgo aperui. Pus tertio a morte die, quo sectio fiebat, enormiter adhuc pergebat fluere ex apertura sub mortem nata. Tumor erat in dextro inguine: specillum primo foramini, ex quo pus fluebat, indidimus leniter, tam profunde, quam potuimus, eoque ibidem relicto sectionem fecimus. Pus non erat in abdomine; sed uterus concreverat cum omento, hic valde longo, hujus vero ope adcreverat peritonæo, & erat via patula ex uteri sacco purulento per omentum & peritonæum. Neglectus debitæ aperturæ effecerat, ut pus cuniculos egerit sub, & supra abdominales musculos ad costas usque spurias. In inguine omentum, peritonæum, ligamentum rotundum, nervus & vasa cruralia penitus in unum coaluerant; hinc diu crus tumidum & inmobile. In internum uterum stylus non penetraverat. Duravit morbus ultra tres menses.

Alter casus contigit anno 1743. Puerperæ, cui difficillimus quidem partus fuerat (*), sed tamen pla-

(*) Huic mulieri a principio artis auxilia non sunt adhibita. Ægrotaverat senior ejus Medicus, nec alium illa volebat: unde Medicus in suo lecto consilium tantum dabat ex relatu mariti, aut custodis. Hinc illa femina neglecta est, quum de ejusmodi morbo ex relatione cura bona non fiat. Subpuratio dudum adfuerat, antequam ego advocarer. De H.

centa ſine ulla vi ſoluta, tertio die ſiniſtra uteri parte inflammationem concipit, ſine ulla cauſa manifeſta; niſi, ut dixi, a partu laborioſo. Ceſſarunt mox lochia, alvi fluxus factus abundantiſſimus: lac, in mammis jam abundans, mox disparuit. Alvo poſt aliquot dies ſucceſſit urina copioſa, & ceſſavit alvus. Tumuit ſenſim venter, pulſus mutatur ex frequenti, inflammatorio in parvum frequentem; dolor ſe jam & in altero uteri latere extendebat, ſitis, calor, alvus conſtipata, tumor per univerſum abdomen, dolorque. Tandem materiæ videbatur collectio fieri major ad umbilicum, isque a materie extendi: aucta obpreſſione circa ſcrobem cordis.

Dum per ſex ſeptimanas ita res in incerto hæſerant, ſera vespera, ſine vel minimo in pulmonibus incommodo antea percepto, incidit in tuſſim moleſtam, quam breviſſime ſubſequitur ſputum vere purulentum, craſſum, copioſum, idque duravit per menſis ſpatium, cum inminutione quotidiana tumidi ventris, cum abſentia dolorum & anxietatis verſus cordis ſcrobiculum, cum incremento virium: vix uſa medicamenti titulo toto hoc tempore, niſi multo lacte cum aqua & melle, & ſyrupo diacodii ad noctem. Atque ita tandem eſt reſtituta, ut ſaniſſima inde vixerit, & feliciter poſthac pepererit.

Tertius caſus eodem anno accidit. In puerpera, cui avulſa ruditer placenta, tertio inminuere lochia, uterus inflammatus, ſequenti die lochia penitus ceſſavere, inſequente mox alvo liquidiſſima, albeſcente. Res non fuit ab initio pro inflammatione habita a Medico. Tamen verſa in abſceſſum eſt, & poſt varia discrimina ſponte ex umbilico effluxére decem libræ puris, boni odoris & coloris, & exinde per varias vices intra multas ſeptimanas adhuc libræ octo. Tamen hæc femina febri tabeſcebat ac tandem purulenta materies co-

pio-

pioſa pulmone excernebatur, diuturno tempore. Sed mœrores animi inſignes nec mutandi, aut emendandi, quia ſtulto & infra dignitatem contracto matrimonio ſe penitus & perpetuo perditam videbat, effecere forſan, ut materies, acris nimium facta, ſanguinem diſſolverit, & bonam, ſed infortunatam, feminam de medio ſuſtulerit.

Cum binis Medicis & Chirurgo obtinui veniam a Marito, incidendi cadaver, ea lege, ut modo abdomen examinare liceret, non alias partes, ipſeque in angulo cubiculi invigilabat, ne thoracem adtingeremus. Induximus ſtylum in umbilicum, verum ille in vacuum abdomen, ſupra omentum, ducebat ad uterum excavatum exeſum pure, in ſiniſtra parte: puris autem in abdomine & ima pelvi paucum amplius aderat; cæterum uterus reliquus plane ſcirrhoſus totus, intus non purulentus, foramine non penetrante. Ovarium dextrum ſcirrhoſum, ſiniſtrum partim pure conſumtum, partim ſcirrhoſum. Hepar, lien excoriata, indurata. — Semianni ſpatio cum his miſeriis conflictata eſt femina hæc. Juvâſſet, videre pulmonem; nam conſumtus ille; an vero transitum modo dediſſet materiæ metaſtaticæ? Sed vetitum erat. Tamen clam diaphragma prudenter pertudimus, & exſiliebat magna copia aëris ex dextro thorace, in quo, inducta per diſſectum diaphragma manu, pulmo deprehendebatur ſcirrhos plures habere, ſine multa adcretione; in ſiniſtro vero latere pulmo undique adcretus.

Quartus caſus circa idem fere tempus contigit. A primo partu rudiori femina uteri inflammatione laborat, (*)

(*) Hæc quarta femina ancilla erat, ab Hero ſuo gravidata, quæ junceo corpore omni modo gravi-

quæ vertitur in ſubpurationem, brevi in dolores magnos ventris tumoresque tendentem. A ſiniſtro latere umbilici, diſtantia quatuor digitorum ab umbilico, tumor eminet, & ſponte aperitur, effluente pure copioſo per plures menſes; ita, ut quandoque ceſſaſſe videretur omnino, poſteaque denuo copioſe reflueret. Aquis ſpadanis cum lacte, balſamo peruviano uſa, tandem poſt ærumnas ſemianno durantes convaluit integerrime, & ſanam ſalutavi Hagâ-Comitum diſceſſurus.

LA MOTTE, *l.* 5. *obs.* 413. ſimilem ſubpurati uteri exitum habet, poſt quem feliciter & aliquoties femina peperit.

Sic videtis, A. A., quid praxis ſit. Volui regulas ſignorum morborum uteri inflammatoriorum & ſubpuratoriorum paullo latius excutere: tum, ut doctrina ſignorum rite adplicata abſconditos hos morbos intelligeretis; tum, ut me poſtea caperetis, quando in matutinis (lectionibus ad lectos ægrorum habitis) ad morbos puerperarum deveniemus. Videbimus ibidem artis bene adplicatæ auxiliis ſæpe præcaveri hos teterrimos uteri abſceſſus. — Si inflammatio non reſolvitur, nec ſubpuratur, abit in ſcirrhum & cancrum. Feminæ caſu tertio uterus partim ſcirrhoſus, partim ſubpuratus erat. Sed, ſi nulla ſubpuratio, abit in ſcirrhum & cancrum. PARÆUS deſcribit, *l.* 24. *c.* 41., ſcirrhoſum ute-

---

ditatem celaverat, abdomen conprimendo vehementer; dolores partus etiam ſubpreſſerat, in quantum poſſet, quumque ob ejulatum vicinæ feminæ intrarent, dixit, ſe colica laborare: bonæ illæ feminæ jubent enema injici. Cum enemate prodit ſimul infans. Herus adhuc in puerperio duxit eam in uxorem. De H.

uterum, novaculâ vix disscindendum, superantem pondere novem libras.

23) Genitalium. Sumamus hic pro instantia morbum feminarum, prolapsum uteri.

Si prolapsus ille sit mox a partu factus, ex rudiori avulsione placentæ, cognoscitur facile; nam tunc uterus inversus extra pudenda hæret: si mox obstetrix, errorem agnoscens, molli manu prolapsum uterum reprimat, ut, quæ superficies extrorsum spectabat in prolapsu, jam iterum introrsum spectet, & mulier junctis cruribus diu jaceat, sæpe salva res est: sed, si non adtenderit obstetrix, & per diem sic uterus extra sedem suam hæserit, inflammatione & gangræna intra paucos dies mortem infert, ut Ruyschius, casus tales in *Obs. anat chir.* & in *Dec. 2. Advers.* describens, toties vidit.

Sed alia res est, si citra puerperium contingat prolapsus. Videamus, an cognoscere possimus talem prolapsum

1) *a natura &c.*; Femina, aliquod pondus in altum elevans, vel cadendo se brachiis sustinens, deprehendit, sibi aliquid lædi ad pudenda. Potest esse uterus, potest esse vagina: ergo adhuc est incertum.

2) *A functione &c.*; paullo post dolere cœpit, & ubi lotium emittere vult, habet difficultatem a corpore pendente intra vaginam, vel inter labia pudendorum. Hoc potest esse ab utero, potest esse ab ipsius vaginæ ingenti relaxatione.

3) *A natura &c*; uteri prolapsum novi esse talem, ut oriatur a violenta pressione diaphragmatis & abdominalium musculorum in uterum, & ut propendens impediat sæpe effluxum urinæ. Verum novi, etiam vaginæ prolapsum hoc eodem modo nasci; hinc nondum certo scio, utrius prolapsus adsit.

4) *Ab excretis &c.;* Menſes fluunt, & videntur ex apertura elapſi corporis effluere; unde forte concluderem, eſſe uterum, qui ſit prolapſus. Sed prudenter! mox patebit, & hisce ſubeſſe poſſe errorem.

5) *A ſymptomatibus &c.;* mulier hæc vim ingentem edidit, unde preſſio in pelvin maxima. Novi ex anatomicis, in abdomine plena omnia. Si nunc fiat, ut v. g veſica plena urina ſit, inteſtina plena flatibus & excrementis, & chylo; novi, ſolum uterum & vaginam non habere reſiſtentiam ab ima parte, adeoque facile poſſe de corpore expelli. Dicit mihi mulier, quod audiverit ſtrepitum & habuerit ſubitum dolorem, dum prolapſum pateretur. Ex ſcientia anatomica novi, uterum nexum ſuis tubis, & tubarum fimbriis cum peritonæo, nexum eſſe ligamentis latis atque rotundis peritonæo, & ſic oſſibus pelvis; novi, vaginam quoque nexam & veſicæ, & inteſtino recto, & celluloſitati miræ, quæ vaginæ & recto, cæterisque his circumjacentibus partibus circumpoſita eſt: unde, ſi valida abdominis preſſione deorſum verſus vel uterus, vel vagina pellatur extra corpus, ſtrepitum oriri, dolorem percipi poſſe, ac debere intelligo ex dilaceratione fibrarum, quibus uterus vaginaque cohærent cum vicinis: ergo, neque ille ſtrepitus, aut dilacerationis dolor, alterutrum determinat. — Ex cognitione anatomica præterea novi, uterum prolapſum inpedire mictionem poſſe, quia corpore ſuo inplet tam profunde vaginam, ut obpleat exitum urethræ, qui eſt in anteriori vaginæ parte, paullo ſupra clitoridem: immo, etſi tam profunde non deſcendat, novi ex anatomicis, vaginam ex ſuperioribus ab utero deſcendentem plicari poſſe, & hac ſua plica poſſe ſe ipſam obturare exitum urethræ. Tamen & ipſa vagina citra uteri opem ſimilia quandoque patrat

trat & ingenti plica, a relaxatione orta, poteſt obturare exitum urethræ in vaginam.

Menſes fluunt rite, & videntur ex corpore acuminato procedere; unde ipſum os uteri hinc repræſentari videretur. At vero, novi ex ſcientia anatomica, quod aliter credidiſſem nunquam, etiam vaginæ prolapſum ex ſatis magna altitudine coire inferius & repræſentare acuminatum uteri orificium. Dum ergo res ita conparata eſt, falli poſſumus etiam, ubi menſes fluere ex ipſo utero pronuntiamus.

Concludo itaque, rem eſſe plerumque ambiguam, tamen praxin non ferre exin detrimentum; nam utrovis in caſu reponendum eſſe prolapſum, ac primo vapore roborante atque adſtringente roborandas partes, interna ſimul danda roborantia; quibus irritis, peſſario ab obſtetrice indito prolapſum eſſe retinendum.

Cæterum ſi remitti non poſſit, parte prolapſa jam penitus tumida, emollire primum adnitamur, ut ſic remitti poſſit: ſin vero ſcirrhoſa indurata, & maxime tumida pars conlapſa ſit, cura palliativa modo inſtituatur, ut ſcilicet defendatur corpus elapſum ab excoriatione ob motum, acrem urinam, &c.

Verum caveamus a litigiis, quum res incerta ſit: ſi alii dicant definitive, nos ſcimus, eos loqui talia, quorum certitudinem dare non poſſunt. Rem itaque declaramus ut dubiam.

Attamen, ſi corpus ipſum uteri prolapſum ita eſſet, ut mox ab initio ejus veluti orificium conſpiceretur, & digitis perreptando inter illum & vaginam poſſemus ad ſummitatem ejus devenire, cognoſceremus rem clare. Occaſio vero talis rarior eſt, & plerumque pars undique ita tumet, ut non niſi vi inlata intra vaginam queamus adſcendere; unde tunc a dolore mox ceſſamus

ab

ab ulteriori disquisitione. Hinc dicamus, plerumque obscuram esse rem totam, utrum sit vagina, an uterus.

24) INGUINIS. Adjungo hunc morbum, quia est sæpenumero ambiguus admodum. Habet homo tumorem subitum in inguine: volo scire, qualisnam sit? & num forte hernia esset?

1) *A natura &c.;* homo cecidit; terrore ingenti adfectus est; vim edidit maximam, estque cæterum humidi frigidi temperamenti.

2) *A functione &c.;* homo non potest incedere, quin doleat; non potest se movere sine incommodo: alvum olim bonam habere solebat, jam vero nullam, nisi vi coactam remediorum; nauseas habet & vomitus, quos antea nunquam; est tumor in inguine satis notabilis.

3) *A natura morbi &c.* dum tumorem hunc video & examino, non possum illum retroagere; dum illum agito, homo leves ac vagas anxietates per ventrem conqueritur; dein nauseas habet & anxietates ac vomitus: alvum habet nullam, nisi vi coactam, & tunc sæpe adhuc irrito conamine. Video omnia hæc symptomata in hernia; immo natura herniæ tota talis est; ita, ut casus præsens mihi videatur hernia incipiens intestinalis esse, cum incipiente incarceratione.

4) *Ab excretis &c.;* homo hernioſus alvo non reddit, & vomitu rejicit, quæ ore ingesta; idem & meus homo per vices facit: ergo

5) *ex symptomatibus &c;* ex anatomicis novi, omentum, & intestinum quodcunque esse talis naturæ, ut si in hernia incarcerentur, efficiant anxietates summas, nauseas, vomitus, alvum inmorigeram &c. Intestina maxime id faciunt, quum mirum inperium videantur exercere per suos nervos; ita, ut si alicubi intercipiantur, motus eorum non dirigatur versus anum, sed sursum,

ver-

ſus ventriculum: unde nihil per alvum, ſed omnia per ventriculum (& os) ejiciuntur; niſi forte per alvum prodeat illa materies, quæ a loco ſtrangulationis ad anum usque hoſpitatur. Nonne Vobis clare adparet, hic herniam deſignari? Nonne omnes meas quinque regulas bene adplicui?

Tamen nihil minus quam hernia in illo homine adeſt. Videte, quibusnam difficultatibus ars noſtra obnoxia ſæpe ſit. Caſum dabo.

Vir quinquagenarius, temperamenti utcunque phlegmatici, ineunte anno 1744. ab Ordinibus Hollandiæ, cujus Nuntius erat, mittitur ad quasdam provinciæ urbes, litteras laturus. Sera veſpera caliginoſa Roterodami ad promontorium errore viæ cecidit in Moſam, quæ ibidem latiſſima eſt, inſtar parvi maris: quum Nautæ in propinqua navi id audirent, hominem eripuere undis, & duxere in continentem. Ab illo momento percepit parvum admodum tuberculum in inguine ſiniſtro: a quo quum magnum non haberet incommodum, illud neglexit, nec cuiquam revelavit.

Ineunte anno ſeq. 1745. cruris ſiniſtri ſtuporem doloremque expertus, Chirurgo famoſo rem exhibuit, qui emplaſtro reſolvente locum texit. Cæterum domeſtico enemate, citra Medici conſilium, alvum ſibi ſæpius ſolvit.

19. Jan. 1745. primum vocor. Audio ea, quæ per anamneſin ſcire oportebat. Sed jam nauſeæ accedebant & vomitus. Tango locum, & reperio tumorem durum $2\frac{1}{2}$ pollic. latum, $1\frac{1}{2}$ pollic. altum; tactu non quidem dolentem; at miras in ventre anxietates producentem: quas anxietates quandoque citra adtactum patiebatur, ut ſæpe lecto continere ſe non potuerit.

Dubius, fateor, circa diagnoſin mali fluctuavi, & mecum colligebam omnia ſigna, quæ adſeverarent, om-

omnia, quæ negarent, herniam esse, ut ex conparatione utriusque classis, negantium, & adfirmantium signorum veritas forte erueretur.

1) Causa sufficiens præcesserat ad hérniam. Homo ille, cadere ab alto promontorio se sentiens, tremore ingenti pavit, & fecit, ut omnes cadentes faciunt, motus ingentes se sustinendi, aliquid, quod adriperet, quærendi, antequam longe infra sitam aquam adtingeret: unde valide aër retentus pulmonibus fuit, auctaque vis ingens diaphragmatis in pelvin — At vero homo sæpe talia, & plura, facit, sine insequente hernia.

2) Adparuit illico tumor in inguine. Ita post casum magnum tumor mox adparens, locus tumoris, pro hernia militabant.

Verum tumores in inguine adparent post susceptam gonorrhæam; immo sæpius homo rem habuit cum scorto, nec gonorrhæa adfligitur, sed venenum mox ingentes facit bubones. Tumores glandularum nascuntur quandoque subito in febri; quale exemplum habuimus in nosocomio practico in custode ægrorum nostrorum, qui synocho non putri laborans, ita habuit in febri has glandulas tumidas, ut per aliquot dies de hernia suspicio adesset.

3) Homo ille, postquam in aquam ceciderat, tumorem habuit in inguine: qui, si tangebatur, anxietates toti ventri conciliaret. Ita hernia quoque solet; nam, dum agitatis palpando nervos in elapsa intestini parte, illa agitatio per totum tractum intestinorum & mesenterii propagatur. Verum, in morbis peritonæi vidimus dolores & anxietates ortas a solo peritonæo inflammato & tacto; ergo potuerat hic peritonæum in causa esse.

Ve-

Verum, homo hic nauſeas habet ac vomitus, alvumque conſtipatam. Hæc ſane ſunt herniæ ſymptomata. — Sed idem vidimus in illo, qui nulla hernia, ſed ſolo laborabat peritonæo inflammato.

Si contradicatis, hominem hunc per annum geſſiſſe tumorem & occultaſſe; quia inpedimento haud erat, neque vomuiſſe, niſi longe poſt tumorem natum, adeoque haud adfuiſſe herniam, ſed alium tumorem; dico: hernias aliquando inculpate ferri per decem, viginti, annos, & tandem, orta conſtrictione, mala ſubſequi ſymptomata: ergo & hic ſic fieri potuiſſe.

Si dicatis, hernia conpreſſa dolet; homo autem hic non dolebat, ſed angebatur, reſpondeo: herniam liberam, non conſtrictam, dolere non ſemper ſolere, quia flatus & ſtercora per viam liberam reprimuntur: ergo hernia etiam adeſſe ſine dolore poteſt.

Hiſtoria morbi brevis eſt; nam, ex quo malum indicaverat, ſex vel quinque modo elapſæ ſunt ſeptimanæ, quando poſt varias leipothymias, poſt cruris ſiniſtri triduo ante mortem tumorem, leipothymicus obiit.

Vidua dabat mihi veniam, cadaver luſtrandi: cum tribus ſociis rem examino, ſed nihil minus quam herniam detego.

Tumor in inguine inæqualis, craſſus; perſciſſa hac craſſitie erat intus cavus, pure & ichore repletus. Supra vaginam tendineam femoris, & ſupra expanſionem tendineam musculi obliqui inferioris, ſive ſupra ligamenta Poupartii extenſus. Omentum & inteſtina libere per abdomen hærebant. Subſtantia autem illi, qui tumori inguinali erat, ſimilis, pergebat ab inguine, explebat fundum pelveos ſiniſtræ, donec interferens ſe inter veſicam urinariam & rectum ibidem terminaretur. Ceterum ventriculus, hepar, lien, inteſtina bona; ren

ſini-

ſiniſter hinc inde abſceſſulis, hinc inde hydatidibus refertus; hydatidum maxima ovum columbinum referebat.

En morbi, en ſimul mortis hiſtoriam. Quis conſenſus ſymptomatum fere hernioſorum cum inſpectione cadaveris? Quid tumores in inguine pelvique cum adſtricta alvo, cum anxietatibus abdominis, cum nauſea, cum vomitu, cum leipothymia? Quæ tandem hic mortis cauſa? fateor, illam difficulter eruendam eſſe. Nam videtur adhuc diu ſubſiſtere potuiſſe cum talibus in inguine & pelvi tumoribus. Neſcimus ſæpe, quam virulenti ſint humores alicubi collecti. An forte virulentus talis, cancroſus, ſemiichoroſus humor, qui in tumore inguinis variisque aliis tumoribus, in pelvi inventis, reſorptus intra ſanguinem adtulit lethum? Sane non intelligo aliter cauſam mortis, quia vitalia viſcera, animalia, naturalia, inlæſa. Quod in rene, poterat morbum facere diuturnum: conpreſſio in inguine poterat cruri obeſſe, & demum adfluxum refluxumque ſanguinis, lymphæ, ſpirituum, intercipere, ut crus gangræneſceret; ſed nondum erat conpreſſio talis, ut cauſa mortis vix intelligatur, niſi forte, ut dixi.

In *Diſſertatione inaug. med. chirurgica D. Mart.* LANGE, *de ophthalmia in genere & in ſpecie*, quæ *Tyrnaviæ* 1777. prodiit, refertur, *p.* 76. *&c.* (*) caſus ſequens, notatu omnino dignus, circareſolutionem teſticulorum venereorum ope inoculationis materiæ gonorrhoicæ malignæ. — Miles, AUCTOR ait, 30. annorum, laborans ſcirrho teſticuli ſiniſtri, æquante duorum pugnorum magnitudinem, & gaudente duritie lignea, ad tactum

(*) Dum de morbis inguinum agitur, ſequentes inſeruiſſe juverit obſervationes, Exteris nondum, uti quidem videtur, adeo cognitas. —

ctum tantum dolente ex gonorrhœa ante quatuor annos ſubpreſſa cauſſato, poſt varia in variis noſocomiis tentata remedia acceſſit anno 1775. menſe Nov. ad *Cl.* ODENKIRCHEN, meritiſſimum Chirurgum præfectum noſocomii militaris Gumpendorfenſis, quod Viennæ eſt ejusque manum auxiliatricem petiit. Tentavit ipſe quoque varia in hoc morbo laudata remedia, ſed fruſtra. Ergo incertus quidem de felici ſucceſſu in tam inveterato malo, an ab inoculatione ſalus ſperari poſſit, tamen eam ſuaſit Chirurgis adſtantibus & militi bacillum venereum inmiſit in urethram ibique per 7. horas reliquit; quo temporis ſpatio interjecto ipſa ſane cum ſingulis ſuis ſymptomatibus adparere incœpit gonorrhœa, quam altera die binis novis bacillis inmiſſis ita auxit, ut rivi inſtar flueret, nuncque eam lege artis tractavit; & vere ſub ejus decurſu minui animadvertit teſticulum; novam ergo fecit inoculationem, eamque jam ad finem vergentem tam ſæpe repetiit, donec decem hebdomadum ſpatio teſticulus ſiniſter adfectus ita reſolutus fuerit, ut ſano perfecte ſimilis eſſet. Hoc experimentum dein ſæpiſſime in vitiis teſticulorum, modo recentibus, modo antiquioribus, in eodem noſocomio repeti vidi & ſemper optimo cum ſucceſſu.

Sat encomiis ornabat etiam *cel. Prof. Chirurg.* LEBER in collegiis ſuis in ſcirrhis teſtium ex gonorrhœa ſubpreſſa hanc inoculationem, ea tamen differentia, ut materiam gonorrhœæ benignam pro contagio ſumendam ſuaderet. Facta ſunt inde experimenta etiam cum hac benigna materia in noſocomio Gumpendorfenſi; verum in permultis nulla oriebatur gonorrhœa, in aliis vero mucoſa tantum, morbum plane non tollens. Nec video, quid obſtare poſſet, virulentam ſumere materiam, quum ex tot inoculatis nullum viderim damnum. Notandum autem circa in-

oculationem eſt, differre tempus reſolutionis teſtis ſecundum morbi vetuſtatem vel novitatem, & in duro at vetuſto teſticulo aliquoties repetendam eſſe inoculationem; uti ex caſu ante memorato patet; in junioribus vero unam ſæpe inoculationem ſufficere: nec non bacillô venereô plus ternis vicibus urethræ inmiſſo, ulcera ſequi viſa eſſe. Monere pariter debeo, obſervari etiam homines, ubi nulla ratione, materia etiam virulentiſſima, gonorrhœa excitari poteſt; ita vidi menſe Aug. militem, ubi ob teſtem venereum ſepties fruſtra bacillus gonorrhoicus injectus erat: plerumque tamen primo, ſecundo, aut tertio bacillo venereo excitatur gonorrhœa.

Quum vero, AUCTOR demum ait, in praxi privata non ſemper habeat Medicus ægros gonorrhoicos, adeoque talibus ægris morbis ex gonorrhœa ſubpreſſa laborantibus hac methodo ſuccurri ſtatim non ſemper poſſe viderem; cogitavi, num non etiam virus gonorrhoicum, ut varioloſum, (quum tamen varioloſo multo fixius ſit) conſervari, & poſt aliquod tempus eo gonorrhœa excitari poſſet. Fecit idem *Cl.* ODENKIRCHEN ſeptem bacillis bombyce obductis, quorum quinque priores per 5. duo poſteriores per 4. menſes vitro bene obturato ſervati erant; ſed ex unico poſteriorum tantum gonorrhœa levis adparuit, quæ penitus teſticulum reſolvere non potuit. Reiteranda ergo ſunt experimenta.

Monuit autem non abs ratione *Cl.* LANGE, non ſolis teſticulis venereis, verum etiam aliis morbis, gonorrhœæ ſubpreſſæ ortum debentibus, inprimis ubi aliis remediis nullo modo revocari gonorrhœa poteſt, mederi inoculatione poſſe, ſuadere analogiam. — Experimentis ſane conſtat, hac ratione fugatos morbos, & brevi temporis intervallo, & remediis aliis diu incaſſum adhibitis omnibus, morbis ipſis pro conclamatis jam

ad-

adſumtis: verum & illud non oberit obſervaſſe, methodum hanc medendi ſequiores hinc inde producere poſſe effectus, dum vel ab inperitioribus adhibetur Chirurgis, quibus ſub conditionibus, quonam in morbi ſtatu, ea tuto liceat uti, non advertentibus: vel dum diu nimis protrahitur, exhauſto, ſcorbutico, cacochymico, plethorico, non rite antea præparato, inprimis in corpore: aut dum fluxus materiæ inpuræ, ad urethram deductus, citius, quam par eſt, & mali ſaburra exigit, ſubflaminatur. Hoc ſane in caſu, aut morbus antea præſens tantillum nonniſi minuitur; aut prorſum non mutatur; aut exacerbatur; aut novo, pejori fors, augetur; aut recidivæ demum ingruunt. Adduxi hæc, ſubfultus experientiæ fide.

§. 908. *Signa morbi acuti (*) in humoribus nati habentur*

1) *ex velocitate, & violentia, incrementi ipſius morbi.* Homo ait, ſibi male eſſe, & jam fuiſſe a 3. 4. ſeptimanis, laborare dolore aliquo ad thoracem, quo cogatur ſubin lente & prudenter reſpirare, lente ſe movere; velle ſe carere hac incommoditate. Pulſus ipſi eſt moderatus, urina non rubra, ſed forte aliquando turbida; tuſſim multam non habet. — Dein alius me vocat, qui tantum per decem horas eodem loco habuit dolorem, ſed omni momento increſcentem, inſpiratu auctum; cum tuſſicula moleſta; reſpiratione maxime læſa; pulſu frequenti, duro. Concludo, hunc poſtremum vexari dolore pleuritico, acuto; priorem, lento, rheumatico.

(*) Acuti morbi hic generali nomine conprehenduntur 1) *morbi acutiſſimi*, qui intra quatriduum ter-

2) *Ex vehementia ſymptomatum.* Qui rheumatico dolore adfligitur tolerabili, vix febricitat. — Qui vero adfligitur dolore pleuritico, ille ſe dolori ferendo vix eſſe ait, febrim habet acutiſſimam pulſumque durum.

3) *Ex functionibus læſis.* Rheumaticus vix debilitatur, vix læſam habet reſpirationem. — Pleuriticus vix poteſt ſe ſuſtinere extra lectum, adeo eſt factus debilis, & habet ſimul læſam ſummopere reſpirationem.

4) *Ab excretis.* Rheumaticus vix tuſſit, vix excernit quid tuſſi; alvum habet bonam, urinam non malam, niſi aliquando parum turbidam. — Pleuriticus perpetuo tuſſit, & vel nihil, vel lympham tenuem, vel ſputa glutinoſa, ſanguine miſta, excernit; urinam habet fuscam, aut rubram, aut flammeam, alvum liquidam, fœtidam, ſymptomaticam &c.

5)

---

terminantur; 2) *morbi peracuti*, qui intra 7. vel 9. vel 11. diem; 3) *morbi acuti*, qui terminantur die 14. 17. 20. 24. 27 31. &c.

Eſt quarto aliud genus acutorum morborum, quibus febris inflammatoria comes non eſt, ut v. g. lethargus; apoplexia frigida; epilepſia, *acuta* dicta ARETÆO. Tales morbi ſunt ſæpe *acutiſſimi*, vel *peracuti*; ſed tamen non *inflammatorii*. Pulſus enim celer & magnus, qui quandoque ante mortem advertitur, eſt tantum, quia cerebellum jam ſanguine obruitur. Ergo hoc quartum genus acutorum huc non pertinet.

Hos porro morbos Medicus debet poſſe diſtinguere a morbis *lentis*, *chronicis* dictis, quia cura paſſim toto cœlo eſt diverſiſſima. De H.

5) *A conſtitutione epidemica.* Si graſſentur pleuritides & homo incipiat modo laborare, ita, ut primo bihorio dolor vehementer augeatur, febris valide increscat; concludo, jam pleuritidem adeſſe.

6) *A tempeſtate anni.* Mediâ hyeme & mediâ æſtate pleuritides frequentiſſimæ: rheumatici atque arthritici dolores ſolent ad finem hyemis & æſtatis verſus æquinoctia, paſſim ingruere; hinc, ſi ſit in utrisque primum morbi principium, habeo jam, ſi æſtas, aut hyems, media ſit; habeo, inquam, rationem magnam concludendi, fore pleuritidem: vice etiam verſa, ſi hyems, aut æſtas, jam finita ſit. In primo principio res ambigua eſt; ſed ex hocſolo ſigno non concludam, quin potius ex antedictis & ſequentibus ſimul.

7) *A ſexu.* Viri in acutos morbos ſunt magis proni, quam feminæ &c.

8) *Ab ætate.* Juvenes & mediæ ætatis homines ſunt in morbos acutos pueris, ſenibus, procliviores.

9) *A vita.* Qui ſedentariam in muſæo vitam degit, minus acutis eſt obnoxius eo, qui in aëre continuo motu ſe defatigat.

10) *A temperie ægri.* Phlegmaticum temperamentum minus inclinat in acutos, quam ſanguineum, aut cholericum.

Verum, poſſunt tamen multa contingere contra has ordinarias leges; nam & phlegmaticus homo, & tenera puella, & infans ipſe, & quovis anni tempore, poteſt in morbos incidere alieniſſimos & a temperie, & ab ætate, & a ſexu, & a tempore anni, & a prædominante epidemico. Ita variolis & pueros & teneras puellas, & phlegmaticos homines, videmus adfligi. Hinc lex illa nobis firma ſit, nunquam concludendi ex

una obſervatione, ſed ex pluribus, idque adhuc debita adhibita prudentia; monendo in morbi principio, probabile eſſe, ut talis morbus ſequatur, tamen poſſe fieri, ut ſit alius; id ſequenti viſitatione clarius cognitum iri. Sic, ubi variolæ regnant, regnant quoque febres varioloſæ, quæ habent omnia, quæ variolæ in ſtadio inflammatorio, citra tamen eruptionem varioloſam. Unde prudentia jubet monere, ſi juvenis v. g. ſanguineus jam ſymptomata habeat febris varioloſæ, illum *vel* habiturum variolas, *vel* febrim varioloſam. Si febres epidemicæ incipiant cum vomitu, aut diarrhæa, aut dyſenteria, aut kephalalgia; intercurrunt ſæpe vomitus, aut diarrhæa, ſine juncta epidemica febri, hinc moneantur homines, *vel* adfuturam communem epidemicam febrim, *vel* ſaltem epidemicum vomitum, aut diarrhæam, citra febrim.

§ 909. *Si omnia hæc ſigna* (*§.* 908.) *valida admodum ſint, denunciant periculum ingens; ſi leviora, promittunt adhuc aliquid boni.* Condemnavit ſemper HIPPOCRATES, ab initio habere extremos labores: ſi v. g. pleuriticus habeat prima, vel ſecunda, die jam a magnitudine dolorum & ſuffocata reſpiratione validam peripneumoniam, brevi actum erit. Si ſecunda, tertia, quarta, die, licet valde doleat, tamen reſpirationem aliquantum bonam habeat, & pulmo necdum multum obſeſſus adpareat, plus ſpei eſt.

§. 910. *Signa rurſum morbi acuti in fluidis, quæ definiunt, & præſagiunt, ſtatum, periculum, durationem eventum, intelliguntur ex obſervatis effectibus, pendentibus a vitiatis noſtris humoribus* (§. 760--766. 781--792). Sanguis eſt inflammatorie ſpiſſus; quamdiu talis obtinet, conditio morbi mala eſt, eventus dubius: ſi enim non

mu-

mutetur, vel mors, vel ſubpuratio, orietur. — Sanguis in morbo acuto prodit per nares, aut hæmorrhoides, aut uterum, diſſolutiſſimus: intelligo ergo, eſſe inſtans mortis periculum; eo, quod jam non bona criſi talia fiant; ſed, quod ſanguis adtenuatus fere per anaſtomoſes vaſorum transfluat: vel ſanguis non eſt ſolutus, ſed craſſus, in minimis vaſis hæret obſtructus (obſtruens) & circulum non niſi tenuior obit.

§. 911. *Signa acrimoniæ in humoribus ſunt inprimis,*

Dolor ſine ſignis motus aucti: Si homo habuerit febrim, cum laſſitudine & gravitate magna membrorum, poſteaque conqueratur de dolore per omnia membra; examinamus, num forte febris auctior vaſa omnia plus extendendo in diaſtole magisque replendo, cauſa doloris ſit? Sed ex pulſu, reſpiratione &c. video, febrim non eſſe auctam: dico, quia copia & inpulſus ſanguis in vaſa dolorem haud excitat, nulla cauſa mihi ſupereſt doloris, quam idem ſanguis, olim dolorem vix excitans, jam vi morbi adeo acer factus, ut pungat, lædat, agitet, fibras nervoſas.

Et ſine adparente obſtructione majori: Si pars aliqua, aut plures, valide obſtruantur, tunc inpetus a tergo arietans in validas magnasque obſtructiones, poteſt dolores excitare: verum, ex motu, calore, pulſu, in eadem arteria, non video obſtructiones auctiores, quam olim, dum vix doleret; ergo cauſa doloris ab acrimonia.

Ut & eroſio partium ſine tumore ſimul præſente. In variolis, morbillis, petechiis, primo ad cutim adparentibus, eſt macula a ſanguine erodente ultima, vascula ſub epidermide. Tunc tumor non adeſt in illo punctulo ſtigmatis. Acrem igitur oportet illum ſanguinem eſſe,

qui ſic effuſus in cuti hæret. Scorbutici ſæpe dolent per artus ſine tumore, effuſo latiſſime cruore eroſis ex vaſis. Podagra acutiſſima quandoque absque tumore eſt. Acrimonia porro omnis intelligitur (vel potius ſecundum ideam mechanicam concipitur) mutatione figurarum in particulis noſtrorum humorum a figura ſphærica in anguloſam. Ex *Leeuwenhoeckianis* obſervatis deteximus, conſtare elementa noſtrorum humorum globoſa, ſphærica, figura, ne inpulſu læderent, & ut in oblongum poſſent efformari, dum per anguſtias transeundum eſſet: tum, eadem elementa ſphærica, rubra, dum in minores ſeries eſſet humor vitalis amandandus, in plures minores, eosdemque flavos, globulos diſſilire; & ſic forte per plures ſeries; quia vero vacuum ſic inter ſphærulas relinquitur, acria hæc ſpatia explere, quibus efficitur ſal illud naturale animalium.

At vero, vi morborum acutorum & chronicorum, vel diæta, augetur ſæpe, vel corrumpitur, & in alienam naturam abit, acre illud naturale; unde projectus in arterias liquor, auctis ſtimulis, dolorem creat nervoſis vaſorum ſtaminibus. Vel ipſa ſphærica figura elementorum in anguloſam mutata, inpingendo in vaſorum latera, excitat, tot aculeis auctis, dolorem. Globum chalybeum innocue volvo manibus; globum hunc in cultrum mutatum ſi volvam, perſcindere mihi potero manus.

Prout nunc vel ipſa ſphærica figura elementorum mutatur in variæ acutiei figuram; vel, ſive a morbis, ſive a diæta, acria varii generis in interſtitiis inter globulos producuntur & augentur, acrimonia nascitur varia, variis inſignienda nominibus: alia enim eſt figura anguloſa ſalis alkalescentis, alia acidi, alia oleoſi empyreumatici, alia muriatici.

Ut

Ut varia eſt acrimoniarum harum origo, ita & varii ſunt earumdem effectus, quos *Textus* hic recenſet, quosque in AETIOLOGIA *Pathologiæ* examinavimus. Ne itaque cramben recoquam eamdem, transibo ad ſequentia.

§. 916. *Signa fluiditatis nimiæ &c.* Sepoſita jam omni idea acrimoniæ mens nunc tantum eſt, conſiderare morbos natos a nimia humorum fluiditate. Si id in acutis ſit, tunc videmus, cute, urina, alvo, ore, tenues eosdemque copioſos, effluere humores; quibus effluentibus corpora marcescunt, contrahentibus ſeſe vaſis, liquidis vix inpletis; unde debilitas, quia per vaſa minima nutritio debebat fieri; quæ jam ſunt contracta & exinanita: liquidis deperditis omnia arida redduntur, unde, ſi homo mentis conpos ſit, inexplebilem patitur ſitim, & tandem, quia & tendines & ligamenta eadem ratione contrahuntur, perit partium mobilitas, a ſola earum flexibilitate dependens. (*)

Juvamen ab inſpiſſantibus. Inſpiſſantia ſunt duplicis generis, vel *adſtringentia* vel *mucilaginoſa*. In acutis rarius *adſtringentia* proſunt, niſi tempus demiſſionis

(*) Unde in praxi intelligimus, cur initio morbi homine ſudoribus diffluente, ob nimiam tenuitatem humorum, quinta, ſexta, ſeptima, die omnia ſigna adſint contraria; nempe nimiæ ſpiſſitudinis. SYDENHAMUS adverterat, quod, ubi initio ſudoribus homines diffluxerant, ſe poſthac, dum ſudores neceſſarii fuiſſent, non poſſe eosdem producere ulla arte. Fluida nempe ita exiverunt, ut craſſa modo ſpiſſaque ſuperſint. De H.

nis concedant ; ut in hemitritæis : in his tempore remiſſionis febris exhibitus cortex miraculoſa præſtat. Qui *theſin inauguralem* habent *Cel. Viri Prof.* STÖRCK *de hemitritæis* invenient hac de re obſervata pulcra. Etiam in diatheſi hydropica plus cortice effectum, quam evacuantibus prius datis; in femina enim 30. annorum, cui amputata mamma fuit menſe Septembri 1755. uſu $3\frac{1}{2}$ libr. corticis peruviani, & denſati ſunt humores nimium tenues, & relaxatis ſolidis vis addita, qua effuſas reſorberent aquas, reſorptas alvo expellerent, urinis. (*)

Inſpiſſantia ſecundo *mucilaginoſa* ſunt omnia farinacea ex hordeo, tritico, fagopyro, oryza, milio; ova ſorbilia, cremor lactis, gelatinæ ſuccorum animalium, ex cornu cervi, ichthyocolla; rad. ſalep, ſiſari germanor., paſtinacæ; pulvis tragacanthi; ſperma ceti; ſem. melon., cucum., pepon., lini, pſyllii, cydoniorum; amygdalæ dulces, piſtachiæ; piſa, fabæ, ciceres &c.; prout acidum, aut alkali, dominatur, ex his electio fiat.

§. 917. *Signa tenacitatis auctæ nimis ſunt* 1) *tumor;* quum enim tenaces nimium humores per ultima vaſa penetrare nequeant, neceſſe eſt, ut innumera vaſa tumeant diametris auctis.

2) *Dolor*; ab extenſis vaſorum tunicis.

3) *An-*

(*) Attamen cortex adeo abundans non domavit virus cancroſum, ubi enim curata videbatur, cancroſa cutis tota reddita, ubi mamma amputata fuerat, & miſere eſt mortua, non curata a cancro; licet curata ab hydrope, nec eo redeunte. De H.

3) *Anxietas*: ponite id, quod nunc diximus, fieri ad anguſtias ſyſtematis venæ portarum & pulmonici: antequam vis cordis arteriarumque eo pervenerit, ut transprimat id craſſum per ultima vaſa, magna adeſt anguſtia.

4) *Circulatio, ſecretio, excretio, inpeditæ:* poſita ſemel inpedita circulatione, neceſſe eſt, ut & inpedita ſit ſecretio, quæ in ultimis vaſis fiebat; nec jam, niſi parum difficulterque, ob inpenetrabilitatem (vaſorum, ſpiſſitudinem humoris) fit. Si jam læſa ſit ſecretio, non fit excretio ejus, quod vel vix, vel non, adeſt.

5) *Lentor humorum circulantium, ſecretorum, excretorum. Lentor* 1), quia ad omnia, eaque infinita numero, capillaria, humores illi retardantur: 2) quia reſiſtentiam majorem cordi faciunt; cor enim ad ſingulas ſyſtoles illam ad capillaria reſiſtentiam experitur, adeoque defatigatur & debilitatur: 3) arteriæ plus accipientes a corde, quam per ultimos ſuos fines transmittunt, extenduntur, debilitantur; ita, ut etiamſi humores nec nimii, nec ſpiſſi transfluerent, illos vix promoverent: 4) a ſanguine ſpiſſo quoque vaſa corticis cerebri cerebellique infarciuntur, minoremque faciunt ſpirituum ſecretionem. Hinc, corde adhuc debiliori, lentor humorum circulantium plus denuo intelligitur. Sed & humores ſecreti ſunt lenti, quum diametri ſecernentium vaſorum auctæ craſſiora ſolito ſecernant; hinc neceſſario craſſiora excernuntur. Id ad omnia excretoria & ſecretoria loca, ipſumque cerebrum & cerebellum, eſt verum.

Si cum hiſce ſignis frigus ſimul manifeſtum, tum deſignat pituitoſum. Habetis hac distinctione hujus paragraphi perfectam ideam morborum a pituita frigida, &

ca-

calida. In morbis cephalicis multus fui in differentia horum demonſtranda.

Solent morbi cephalici a cauſa lenta, pituitoſa, v. g. apoplexia, lethargus, a quibusdam Auctoribus ad acutos referri, quum etiam paucis diebus perimant hominem, æque cito ſæpe, quam apoplexia calida: verum, quum morbus acutus non niſi cum valida febri, ingenti calore, adtritu magno, adeſſe intelligatur, idque haud ita in apoplexia frigida & lethargo obtineat, viderentur potius ad acutos non pertinere. Proprie igitur loquendo neque ob cauſam poſteriorem ad acutos pertinent, neque ob cauſam priorem ad chronicos.

* 917. *Inde etiam ſigna prædominantis aquæ, ſalis, olei, terræ, habentur nota.* *Aqua* prædominatur, ſi nimium aquoſi & lenti humores: id obtinet in temperamento humido, aut frigido; id eſt in phlegmatico, quod ex nunc dictis conponitur.

Sal prædominatur, ſive alkalescens, in acrimonia alkaleſcente, putreſcente; ſive acidum, in acrimonia acida; ſive muriaticum in muriatica.

Oleum prædominatur, in acrimonia oleoſa; ſive illa orta ſit ab acribus aromaticis, oleoſis, nimium adſumtis; ſive in morbis acutis a fuſa pinguedine.

Terra abundat in temperamento melancholico, ſcirrhoſo, cancroſo, calculoſo.

§. 918. *Si vero una cum prædictis &c.* hoc facile conprehenditis. Adſint variolæ; præciſe eodem confluentium genere adfligatur 1) virgo 20 annorum, temperiei aquoſæ, in acidum vergens; 2) homo ſanguineus, craſſus, pinguis; 3) homo melancholicus; 4) homo ſanguineus gracilis: nonne illico, cæteris paribus, alius ab alio plus periculi habet? Virgo illa

aquo-

aquoſa vel forte indigebit generoſo cardiaco, ut virus varioloſum circa quartam diem pellatur ad cutim; vel ſaltem ob laxitatem vaſorum fluidorumque tenuitatem, inflammatoria denſitas erit moderata; ut benignæ admodum in illa prodeant & matureſcant variolæ.

Sanguineus, pinguis homo eſt in ſummo periculo. 1) a ſpiſſo valide inflammatorio; 2) ab oleo fuſo vi caloris & adtritus: quod oleum miſtum humoribus, præ calore ranceſcens & vehementer ſtimulans, vaſorum deſtructionem, liquidorum putredinem minatur.

Melancholicus vaſa rigida, ſpiſſaque fluida, gerens, metuendum habet, ne ſpiſſa materies, mota vi febris, deſtruat tenella, rigida, ſolida: quin & melancholici humores fuſi acerrimi ſunt facilemque faciunt deſtructionem: unde ſæpe ipſis quartana maxime lethalis.

Homo ſanguineus gracilis facile ſpiſſum, denſum, inflammatorium generat; verum; quia gracilis, immunis eſt a metu, ne pingue fuſum & acre factum, cito omnia deſtruat. (*)

Ve-

(*) Attamen, ſi phlegmaticum hominem æque gravis & acutus morbus adfligat, quam ſanguineum, tunc res morbi in priori, quam in poſteriori, gravior. Ut enim minus diſpoſitus erat, debuerat vis & inpetus vitæ ac morbi eſſe minor. Si jam ſit æque fortis pulſus & celer & durus, novi vehementiam cauſæ: quia etiam is eſt natura debilior, & eſt majus periculum, ne ſufficiat. Ergo verus *Aphor.* 2—34. "In morbis minus periclitantur, quorum natura & ætati, & habitui, & tempori, ſimilior, quam quibus horum nihil ſimile." De H.

Verum ex textu adhuc aliud concludendum. Sint humores in omnibus æquales omni dote; ſed adſint in uno ægro inpetus vitæ atque circulationis maximi; ſint inpetus illi in alio moderatiores; in hoc ultimo periculum eſt minus. Ecquidem citius judicabitur prior, ſed etiam ſuſtinendum habet certamen infinito durius, quam alius, qui tardius judicandus quidem, temen forte æquo Marte cum morbo dimicabit. Hinc acutiſſimis in morbis, ut peſte, periculum majus, quam in peracutis; in his autem, ut multis inflammatoriis morbis, apoplexia, febri ardente, periculum majus, quam in acutis.

§. 919. *Quin etiam ex omnibus his bene perpenſis intelliguntur ſigna* MALIGNITATIS *in acutis.* GUARINI, Italus Poëta laureatus, egregie perſtrinxit Medicos ob vocabulum hoc *malignitatis*. Inducit Medicum ſic loquentem: „Nomine malignitatis morbi baptizo omne malum, quod non intelligo: accipio pecuniam pro mercede, & miror homines mercede tanta perſolvere id, quod ne ego quidem intelligo.“

Videte SYDENHAMUM, *ſect. V. cap. V.* de hac malignitate ita differentem, ut putet, plures homines hinc mori, quam a pulvere pyrio, exploſo bombardis. Mox enim audito malignitatis nomine homines curam methodicam dimittunt & ad cardiaca, atque venenum ſudoribus pellentia confugientes, occidunt homines. *V.* & BAGLIVIUM *Prax. med. L. L. c. 5. §. 9.*

Quid igitur *malignitas* morbi?

Jam expoſitum habetis in mox dictis. Morbus malignus eſt, ubi omnia gravia ſunt ſymptomata; ubi contra optimum regimen, contra optima remedia, omnia in contraria ruunt; ubi continuo vel adſunt prava ſymptomata, vel prava pravis pejoribusque commutantur.

tur. Morbus malignus eſt, in quo functiones vitales, animales, naturales, multum læduntur, neque ullis reparantur remediis. Morbus malignus eſt, in quo aliquando externe ſigna mitia adparent, dum interea deſtruuntur interna.

Medici vero ſolent malignitatis aliam habere ideam, quam ajunt, ſe uſu potius & experientia, quam ſtudio, noſſe. Vocant ſic omnes morbos, qui cutaneis efflorescentiis ſtipantur, variolas, morbillos, petechias, ſcarlatinam, miliaria rubra & alba, morbos peſtilentiales, acutos, qui maculas lividas, purpureas, ſæpe ad finem habent.

Verum variolæ, morbilli, petechiæ, miliaria, ſi conſueto ordine prodeant, non ſunt pejores morbi, quam conſueto ordine prodiens febris ardens, continua putrida; nam non plus inde moriuntur, quam ab his febribus; moriuntur ab illis, uti & ab his febribus.

2) Multi Medici malis remediis, malo & calidiore regimine ægros fere ſuffocantes, efficiunt, ut humores reddantur acriores & ut ſæpe bonæ criſeos loco petechiæ, miliaresque puſtulæ exoriantur. Augent periculum petechiarum ac miliarium, dum homines lecto perpetuo addicunt, unde demum peſſima nascitur diſſolutio omnium humorum, omnia deſtruens.

Igitur malignitatem tunc intelligimus adeſſe, quando omnia tendunt in citiſſimam deſtructionem, ſi ſic perdurent ſine cita mitificatione; haud tamen ita, ut nulla ſpes ſuperſit: nam tunc ſigna malignitatis & mortis eadem forent, id quod ita ſe non habet, multis a morbo maligno ad ſanitatis integritatem redeuntibus.

Malignitas in acutis ex ſententia etiam Hippocratis & Galeni, ſignificat celerrimam morbi mutationem in mortem; ſi ita perdurent, ſi prava pravis continuo cumulentur & bona ſigna ſenſim exulent.

1)

1) *Ex cauſis validis velocibus, corpori adplicatis, ut ſunt peſtis.* Peſtis primæ ſpeciei, dicta peſtis ſpirituum, unico temporis ictu homines necat. Ingruente peſte ſæpe ſolet ita in principio eſſe: ita & erat illa peſtis Londinenſis, de qua SYDENHAMUS. 2) Peſtis macularis, hominem maculis adficiens, inſtar granorum milii, aliquando inſtar granorum piperis: hæc etiam celeris, ſed priori minus. 3) Speciis, quæ ſolet cita cum partium ſyderatione contingere, ideo dicta ἀνθρακώδης, uno momento feriens quemdam locum, qui mox fit durus, dolens rubensque ita, ut totus tandem excidat. Si locus ille ſyderatus in extremis corporis ſit, homo ſæpe evadit; ſi ad nobiliora, interit. Hæc febris peſtilentialis durans 1, 2, 3, 4 dies.

Venena; arſenicum corpore adſumtum, quod, antequam Medicus oleo, lacte, aqua, opio, ore & ano exhibitis, ſopire involvereque potuerat & expellere, jam nimios progreſſus ad vitam tollendam fecit; oenanthe, mercurius ſublimatus &c.

Ignis; actualis, ſi quis in ignem fuerit conjectus, aut flagrantibus ædibus multum læſus, inde acutam febrim habeat. Si quis, ut braxatoribus contingit aliquando, in ebullientem cereviſiam inciderit; quamvis extrahatur illico, cutis criſpatura & gangræna per totum corpus plerumque deleteria eſt. Idem, ſi quis in fervidam aquam inciderit.

Futredo; ſi corpus laboret jam a putrida gangræna, v. g. brachii, pedis, quam amputatione auferre oportuiſſet, plerumque ſigna maligna adſunt, ſummum, citum, periculoſum, denuntiantia: ſi ſub cruſta varioloſa denſa pus ichoroſum putridum factum jam reſorbeatur: ſi homo pleuriticus citra rationem dolore omni caret, locus gangræneſcit, & miasma inde in ſanguinem exceptum paſſim lethale fit.

2)

2) *Ex cognita per obſervationes violenta naturæ prædominantis epidemici.* Si noverim, epidemiam eſſe plerisque lethiferam, video in omnibus, qui deinceps laborant, ſigna nonnulla, quæ aliter forte maligna non forent, nunc in hoc epidemico maligna eſſe. Habuimus ſic epidemias, ubi peribant, qui vomebant, alias in quibus vomitus ſolus curabat; idem de diarrhæa, dysenteria, hæmorrhagia &c. valet.

3) *Ex cognita temperie naturali, atque morboſa, ægri:* melancholicus eſt, & febri acuta correptus; ſcorbutico putrido infectus, lueque venerea laborans: phlegmatico temperamento qui eſt, incipit in apoplexiam cadere &c.

4) *Ex reſiſtentia pertinaci contra omnia genera remediorum, licet valida vi mutante præditorum.* Pleuriticus ſicca tuſſi laborat & quidquid fiat, tuſſis manet ſicca. Nullis evacuantibus, aut ſtimulantibus apoplexia obaudit. Hydrops non cedit medicamentis evacuantibus &c.

5) *Ex ſymptomatibus malis, quæ vitales actiones præcipue admodum læſas eſſe teſtantur.* Jam nunc recenſendæ veniunt præcipue actiones vitales, actiones naturales, læſæ; quæ morbi malignitatem, i. e. periculum maximum prædicant. Vitales autem id prænuntiant potiſſimum: dum enim cæteræ actiones læſæ ſunt, vitalibus nondum admodum læſis, ſpes nonnulla manet, fore ut functiones cæteræ redigantur in meliorem conditionem. Sed, cæteris functionibus aut parum, aut multum læſis, ſi etiam vitales multum lædantur, ſpes nulla ſupereſt, ni brevis mutatio ſubſequatur. Actiones vitæ ſolæ poterant cæteras emendare.

Quum hæc tum Vobis ex collegiis ad lectos ægrorum habitis in recenti memoria ſint, tum in decurſu SEMEIOTICES ſæpius recenſenda veniant, maxime, quando de pulſu,

de reſpiratione, & urina peculiariter agemus; inpræſentiarum ad alia licet transire.

§. 920. *Morbi acuti ſuperabilis natura &c.* Si igitur homo acuto morbo laboret, ut v. g. in noſocomio quondam ille juvenis, qui omnia ſigna bona, nulla mala haberet; dicimus nihil adeſſe maligni. In pleuritico, qui interiit, erant ſimul juncta maligna ſigna & lethalia: in homine alio, qui febri acuta, continua, putrida laboravit, ſigna certe multa malignitatis animadvertistis.

§. 921. *Cruditas, coctio, criſis, eventus &c.* Hic demum in intimos receſſus praxis clinicæ penetramus. Hic nobis nunc in memoriam revocanda, quæ circa omnia hæc per $1\frac{1}{2}$ annum in noſocomio viderimus ad lectos ægrorum, & in defunctorum cadaveribus. Quibus omnibus in memoriam revocatis & ad hanc doctrinam, quam nunc adgredimur, adplicatis, boni demum Practici evadetis.

§. 922. *Morbi materia..... adpellatur cruda.*

1) Peſtis, morbilli, variolæ, aliæque contagioſæ adfectiones habent ἄγνωστόν quoddam, quod corpore ſuſceptum ita inmutat humorum maſſam, ut fiat ipſa hæc maſſa, forte una cum ſtimulo contagioſo, materies morbi cruda.

2) Lentor humorum in phlegmatico homine a longa die copia ſpiſſitudineque auctus, tandem facit pituitoſam apoplexiam. Cruditas ſic ſenſim nata, demum ita aucta eſt, ut morbum fecerit: pulſa enim ad corticem cerebri & cerebelli infarcivit eum, & inpedivit ſpirituum generationem.

3) Homo ſaniſſimus ſanguineus, caleſcens motu frigidum aërem haurit, frigidum potum, pleuriticus fit.

Ra-

Ratio hinc morbi, quod valido motu cruore denſato & frigore conſtrictis vaſis ſanguis nequeat per pleuram transire. Eſt igitur ibi nata quædam cruditas, quia continuo inſpiſſatur, condenſatur ſanguis corde pulſus in obſtructa arteria. At vero præterea in hac pleuritide pergente oritur in ſanguine toto dispoſitio talis, ut coriaceus evadat, & ut per omnia minima corporis vaſa fiat inpenetrabilis. Ea conditio non erat prima hora, qua jam pleuritis haberet materiem crudam in vaſis intercoſtalibus, aut pleuræ, ſed violentia inflammationis demum nascitur. Igitur ſanguis talis ἐπιγινόμενος pleuritidi, cruditatem morbi auget, eſtque tandem cruda pleuritis, quamdiu hæc ſpiſſa materies in ſanguine eſt.

Si in eadem pleuritide ſputa nulla prodeant, ſcimus, id quod in pleuræ vaſis inpactum hæret, crudum manere: ſi ſputa prodeant leviter mucoſa, plerumque aquoſa, ſpumoſa, eſt cruda materies pleuritica: nam, quod ſputis prodit aquoſum ſpumoſum, id modo prodit, quia in pleuritide adeſt ſemper tuſſis: vi tuſſis illius abraditur tenuis mucus, pulmonis veſiculas & bronchia inliniens; hinc ſputa mucoſa ſunt. Violentia tuſſis ex ultimis osculis arteriarum exhalantium lympha exprimitur; hinc ſputa aquoſa ſunt; quum etiam aër ibidem ſemper præſens, hac aqua mucoſa inviscatur, hinc ſunt ſpumoſa. Dico, materiem morbi in pleura crudam, immobilem eſſe nihilque ſecerni ejusdem: ob cauſas dictas prodire materiem mucoſo-aquoſam malum omnino; 1) quia lympha vi tuſſis expreſſa erat neceſſaria ne etiam ſanguis pulmonum in vaſis hærens incraſſesceret; jam avolante illa ſanguis in pulmone pronior eſt ad ſuſcipiendam inflammationem; hinc metuo a pleuritide peripneumoniam. 2) Dico, etiam hoc mucoſum abraſum malum eſſe, quia exſiccatur pulmo & hinc aër irritat illum magis, unde tuſſi acriori excitata dolor pleuriti-

cus facile in abscessum abiturus est, aut in gangrænam scirrhumve.

Si vero sputa prodeant prorsum sanguinea, dico itidem, materiem morbi esse crudam: ejus enim excernitur nihil, & qui sputando ejicitur sangu, eis illo modo violentia tussis, aut anastomosi aut diapedesi, excernitur.

Idem omnino verum de materie cruda in peripneumonia.

Videamus cruditatem in phrenitide — quamdiu aut alvinæ fæces albæ urinaque pallida est, aut alvus fusca, liquida, fœtida, urina rubra, flammea; tamdiu cruditas adesse dicitur in illa materie, quæ membranas cerebri obsidet.

Igitur materia morbi prædita ea mole; globulis sanguineis, sive serosis, in unum conpactis; ut in crusta inflammatoria.

Figura; in acrimonia, v. g. alkalescente, manente semper eodem modo acri.

Cohæsione; ut in crusta inflammatoria.

Mobilitate; ut aquosa facile secedant a sanguine, & specie sudoris avolent; quod in crudis, non mistis, non subactis, nec ita obtinet.

Inertia; quamdiu materies phlegmatica, inflammatoria, aut pituitosa, in meningibus cerebri manet inmobilis, iners, tamdiu cruda est.

Igitur ex omnibus his videtis, quid sit, esse *crudum* in morbis. Ὠμα dixit HIPPOCRATES ea, quæ nos cruda vocamus; voce desumta ab horræis fructibus; quæ, quamdiu non matura, ὦμα dicuntur. Est ergo conditio materiæ talis, ut plus recedat a statu sano, vel saltem a statu in eo morbo naturali. Habet v. c. homo gravedinem; quamdiu exstillat naribus materies inflammatæ membranæ Schneyderianæ, est cruda: quando est mucosa, flava & alba atque spissa,

tunc

tunc eſt cocta; nam tunc eſt naturalis, ut in ſtatu ſano ſolebat mane poſt nocturnam quietem excerni.

Hinc cocta demum eſt materies, quando 1) iterum fit naturali ſimilis; 2) vel quando talis fit, ut minus noceat, & ut multum adlevet morbum, dum excernitur. In acutis morbis febrilibus urina aut rubra ac flammea, aut fuſca, aut aquoſa, aut penitus tenuis ac limpida eſt cruda; quia maxime aliena a ſtatu ſano: urina eadem mutata die indice, ut ſit colore fere naturalis, cum nubecula ſubrubra, eſt cocta, ſequenti die critico ſalutem promittens, ſi cætera ſigna bona adſint. Verum, die ſequenti critico urina cum ſedimine albo, levi, æquali, licet naturali diſſimilior, quam præcedente die indice, tamen eſt melior, quia onerata materie ita cocta, ut minus ſit in loco inflammato noxia, ut mobilis ſit, ut expellatur.

§. 923. *Ille autem ſtatus morbi, in quo hæc ita ſe habent, dicitur cruditas morbi.* Expoſui.

§. 924. *Quod idem de ſolidis, quatenus vitio humorum ægrotant, verum eſt.* Cruda dicitur inflammatio tota pleuræ; tum expoſita de cauſa, tum quia vaſa rigida, in ſuis minimis vasculis tunicarum ſuarum infarcta materie ſpiſſa a ſtatu ſano degeneraverunt: ſi emollita transitum dent materiæ, etiam a cruditate illa recedunt.

§. 925. *Cruditas illa* (922. 923. 924.) *cognoſcitur* 1) *ex vigore &c.* Hic nunc adtentione opus eſt; nam paragraphus hæc non tantum docet, ſed demonſtrat cruditatem in morbo præſentem: ut, ſi hæc cruditatis ſigna bene teneamus, nunquam poſſimus de ejus aut præſentia, aut abſentia, dubitare.

1) *Ex vigore morbi durante vel increſcente.* Homo pleuriticus nullum habet levamen doloris, immo dolorem pejorem ait, videorque mihi ex ſuffocante reſpiratione idem concludere: non opus eſt, ut rogem, quomodo ſputa ſe habeant, quomodo urina ſit, quomodo alvus? Novi a priori, ea cruda eſſe. Id in genere ſic verum; tamen poſſem falli duplici de cauſa.

1) Si ex abuſu rerum naturalium facto aut aliquo errore, ſputa paullo ante coqui cœpta, jam ob iram, ob vini hauſtum, ob frigus inprudenter captum, iterum cruda eſſent.

2) Si motus criticus inſtaret ita, ut cocta materies inflammatoria tota jam moveri cœpta, vi vitæ in pleuram dolentem majori vi arietaret; unde tunc pro aliquo tempore poteſt dolor augeri.

Hinc, antequam ex ſymptomatibus morbi iisdem, auctisve, concludam cruditatem morbi, oportet primo noſſe, num aliquis error conmiſſus haud fuerit: vel an ſignis coctionis prægreſſis inſtanteque die critico, doloris augmentum haud ortum ſit ex materie mota, cocta.

2) *Ex augmento adſiduo ſymptomatum.* Eſt homo in continua putrida vomens, licet emeticum habuerit, immo augentur vomendi conatus: deliraverat heri, jam fere furit. Heri bis, ter, liquidam, fuſcam ſymptomaticam alvum habuerat; hodie decies. Heri urinam parcam reddiderat, hodie cum magno ardore & dolore. In cruditate ſudare heri cœperat ſine levamine, hodie innatat ſuis ſudoribus. Hæc omnia, dum nihil cocti adſpexerim, me docent, ſummam adeſſe cruditatem.

3) *Ab exercitio functionum adhuc valde læſo.* Laborat v. c. quis peripneumonia: quamdiu video anheloſam illam, & fere ſuffocantem reſpirationem, quamdiu illas anxietates, novi cruditatem adeſſe.

4)

4) *Omnium optime ex receſſu humorum circulantium, ſecretorum, excretorum & excrementorum, a ſtatu ſano quoad copiam, vel qualitates; unde* 1) *in ſudore*; ſudor ille peccat 1) quia non eſt morbus forte, qui ſudore judicatur; ut multi inflammatorii topici.

Peccat ſudor 2) ſi copioſior, quam ferri poſſit ſine magna humorum exſiccatione, & adſiduus.

Peccat 3) ſi die ἀκρίσιμῳ.

Peccat 4) ſi ſine horrore præcedente, qui bonum criticum, vel levantem, ſudorem indicaſſet.

Peccat 5) ſi non univerſalis, ſed ad caput & pectus: notat in inferiori ſyſtemate arterioſo validum inpedimentum; unde copia ingens petit ſuperiora; vel inpedimentum magnum ſanguinis venoſi ad cor dextrum.

Peccat 6) ſi poſt illum morbi omniumque ejus ſymptomatum gravamen ſequatur.

Peccat 7) ſi fœtor adſit putridus, humorum denotans corruptionem.

Peccat 8) ſi prorſum fœtore careat; id quod & in urina peſſimum; nam notat effœtas naturæ vires.

Peccat 9) ſi frigidus; nam ceſſante motu & calore interno, laxantur ſolida ante ſtricta, & aquoſa tantum effluunt de corpore laxatis ſphincterulis.

Peccat 10) ſi ſit viſcoſus.

Peccat 11) ſi ſit ἐφίδρωσις deſudatio, ſudatio tenuis.

2) *In lacrymis.* Eſt v. c. inflammatio dira adnatæ; quamdiu lacrymæ & copioſæ adſunt, & tenues, & mordicantes, cruda inflammatio eſt. Exprimitur modo ex vaſis tenuiſſimum, & inpactum inflammatorium plus incraſſatur: ob dolorem quoque major undique fit lymphæ ſecretio, ut abluat illum humorem. Si enim dolor inminueretur, minus lymphæ adflueret & exſtillaret ex oculo, & tandem transſudaret ex exhalantibus

adnatæ oſculis relaxatis humor tenacior, ſpiſſior, coctus.

3) *Muco:* exemplum mox dedi in gravedine. Pertinet huc etiam mucus veſicæ in ſtranguria, mucus inteſtinorum in dysenteria &c.

4) *Saliva*: vel non excernitur, ob ſiccitatem univerſæ maſſæ humorum, & intolerabilis ſiccitas & ſitis adeſt. Vel eſt ſaliva aut amara, aut corrupta, aut viſcoſa; uno verbo, abludens a natura & uſu naturali: aut copioſior, ut futura phrenitide ſputatio frequens denuntiat phrenitidem. — Copioſior ſaliva notat vel ad has glandulas ſtimulum majorem, vel laxitatem horum organorum, vel diſpoſitionem putridam in ſanguine, uti a mercurio, ut omnes liquores hinc fere exeant. Effectus eſt penuria humorum, ſiccitas ſanguinis & vaſorum, augmentum cruditatis, uti in variolis confluentibus copia, qualitate, peccat. — Sputatio frequens raptum humorum ad caput denotat; carotis externa plus accipit, quam ſolet, unde major ſecretio ſalivæ; ergo & carotis interna plus accipit.

5) *Sputo*; quamdiu aut nullum eſt in morbo, in quo eo opus erat, aut aquoſum eſt, aut mere glutinoſum, aut ſpumoſum, aut ſalſum, aut dulce, aut magnam partem ſanguineum.

6) *Redditis per vomitum*; dum adeſt copia magna corruptæ bilis ad præcordia & tantum aquoſa redduntur; dum vomitus oriuntur plane virides aut meraci, flavi, aut penitus nigri, nam nihil damnoſius & crudius, quam illi vomitus *ἀκρήτοι*, meraci: itidem vomitus ſanguinei.

7) *Bile*, ut mox dixi: ſignificat totum bilioſum ſyſtema veluti emulgeri, atque evacuari in duodenum, inde pars forte inferiora pergens aut ſtimulos nimios faciendo alvum nimiam producit; aut adſumta lacteis

ſti-

ſtimulum febrilem auget: pars commodius per ſuperiora duodeni pylorum ſubiens, vomitibus meracis prodit. — Vel nulla bilis eſt, ut alba fiant excrementa, & tunc phrenitis metuenda, vel copioſior & ſincera prodit, ut ſecretione nimia ejus vires omnes pereant, quemadmodum obſervatur in omni ſecretione. — Variat etiam bilis coloribus variis ex rationibus; v. g. poſt percuſſionem capitis, agitationem inſuetam in rheda, aut navi, vehementia animi pathemata; concludimus ergo, a cauſis internis mutationem tam enormem factam in hoc ſyſtemate.

8) *Fæce alvi;* ſi nulla alvus ulla ratione prodeat, eſt cruditatis ſpecies in tota fabrica meſenterica & inteſtinali, quod humores alvum ſtimulantes, ut bilis, ſuccus pancreaticus, entericus, non adſint ad ſtimulandum; quod ſpiritus ad fibras inteſtinales non ſufficienter adpellant, ut in contenta agant. — Si alvus liquida, eſt cruditatis ſpecies in fibris inteſtinalibus & laxitas magna: in gandulis Peyerianis, Brunnerianis inteſtinorum, in tota enterica & gaſtrica fabrica interna magna laxitas; irritatio magna ad pancreas, unde illud continuo emulctum dat alvum liquidam. Vel etiam, quod peſſimi ominis, magna laxitas in arteriis meſentericis & meſocolicis, quibus jam eodem modo pars tenuior & aquoſior ſanguinis effluit ad alvum, ut aliter per nimios ſymptomaticos ſudores. Vel denique magna acrimonia in cavo inteſtinorum, irritans perpetuo & ſic ad inteſtina copiam lymphæ incredibilem provocans & reliquum ſanguinem exſiccans.

9) *Urina*; vel urina nulla, cruditas in hoc ſyſtemate, unde peſſima mala; vel limpida, denotans aut conſtringi arterias renales, ne a ſanguine aliud ſecernant, quam aquoſiorem lympham, quod malum; quia

acriora reliqua oleosa, salina, biliosa, terrea, sanguini conmista manent; aut denotans, massam humorum conpactam adeo, ut diluentia, quæ potantur, ultra non miscéantur cum spissis humoribus, sed inmutata a renibus excernantur.

Deinde urina rubra absque sedimine cruda est, quia notat motum validum adtritus, tum inter ipsa humorum elementa, tum inter vasa humoresque: notat rubra talis urina intimam & tenacem permistionem olei, salis, terræ, aquæ, in nostris humoribus, unde gangræna, mors, aut magnum saltem prævidetur periculum. Eo autem magis rubra hæc denotat, si veluti flammea adpareat. Urina flava cruda est, quia bilis jam adfusa sanguini, qua durante nulla coctio. Urina quæ conquassata diu retinet spumam suam, cruda est, notans olea & salia in lixivium saponaceum mista, soluta tenacia, difficulter separanda, coquenda. Fœtida sponte notat salia & olea adtenuata, soluta, fere putrefacta; ergo discrimen summum. Urina inodora & insipida cruda, clamat naturæ vires effœtas, mortemque propinquam.

10) *Ichore;* habebat homo excretionem puris per aures; habebat ulcera in tibiis pus fundentia; jam in acuto morbo vel nihil prodit, quod signum pessimum; vel ichor loco puris, quod signum cruditatis.

11) *Pure*; prodit vel ex auribus, aut ex ulceribus antiquis pus, sed pus ilud vel tenuius est, vel crassius, vel cœnosum, viride, lividum, fœtidum: omnia notant, non fieri hic coctionem bonam. In magnis vulneribus, quibus magna febris juncta, eadem vera: maxima cruditas in variolis, si loco puris tantum ichor in pustulis.

12) *Sanguine*; quamdiu nimia spissitudo ejus animadvertitur, sive dum mittitur ex vena, sive dum narium stil-

ſtillicidio prodit, aut lochiis repreſſis menſtruisve, aut hæmorrhoidibus: ita, ut per omnia hæc evacuationum loca conatus naturæ ad hæmorrhagias ſalutares obſervati, ſimul irriti fiant præ nimia ſanguinis ſpiſſitudine; cruditas indicatur ſanguinis. Sanguis ſolutus, ut cum alvo, urina, tuſſi exeat, vel infra cutim effuſus petechias, maculas rubras faciat &c. (*)

13) *Menſtruis;* videbimus poſtea in evacuationibus criticis explicandis ſalutares criſes per menſes: ubi autem in ſubpreſſis menſibus natura in morbo acuto evacuationem molitur per uterum & irrita tantum ſunt conamina, metuendum eſt, ne hic idem obtineat, quod in narium ſtillicidio diximus; adeſſe conamina, & præ ſanguinis nimia ſpiſſitudine, i. e. cruditate, irrita reddi. Semper in feminis varioloſis gaviſus ſum menſtruos fluores adparere quocunque variolarum ſtadio; quia mihi ſanguinem minus crudum oſtendebant; licet veterani Medici paſſim id lethale dicerent. Sed hi calida methodo adhuc tractabant varioloſos; inde mors ipſis obſervabatur fluente menſtruo: mei ægri ſervabantur ſub hoc fluxu temperate tractati. Hinc illi cruditatem inveniebant in eo ipſo, in quo ego coctionem. Ergo vario adſpectu idem vel crudum, vel coctum eſſe poteſt.

14)

(*) Ipſæ petechiæ an non oriri queant a ſanguine craſſiori per vaſa cutanea ultima in venas tranſire inepto? Toties vidimus v. ſ. eductum in petechiis ſanguinem ſpiſſum, immo inflammatorium. Hinc *Cl. de* Sorbait olim docebat, nunquam v. ſ. aliqui indicatam, omittendam eſſe propter prodeuntes, jamve exſtantes, petechias. Ergo crúditas ſanguinis nimis adtenuati, & nimis ſpiſſi ad petechias producendas conferre valet. De H.

14) *Lochiis;* ſi v. c. nulla ſint, ubi eſſe debebant. Morbi acuti puerperarum cum ſubpreſſione lochiorum crudi ſunt, ſi vel aqua rubella modo transeat, vel ſanguis quidem ruber, at paucus, qui præ inflammatoria craſſitudine nequeat osculis arteriarum transprimi. Cruda lochia denuo vel a nimia ſpiſſitudine, vel tenuitate.

15) *Lacte* ; ſi acuto morbo nutrix laborans infanti moroſo mammam præbeat, infans forte illud abominatur, quia amareſcit & putret ; ut ipſum lac in inflammatione ipſarum mammarum ſæpenumero fœtidum reperitur. Cruditas certe hinc denotatur. Si pro lacte modo ſerum flavum acre prodeat, crudus adhuc eſt acutus ille morbus; alioqui ad naturalem conditionem lac rediret.

16) *Abſceſſu;* natura molitur materiæ morboſæ expulſionem per abſceſſum ad aures, ad tibias ; ſed abſceſſus hi retroëunt ; eſt cruditas. At vero aperiuntur ſponte, nec dant bonam coctam materiem, ſed ichoroſam, fœtidam, nec continuo manant; eſt ſignum cruditatis. Vel ſi homo primo alicubi habeat abſceſſum cum bono pure, & jam febri acuta correptus pus malum, ichoroſum habeat, in cruditate dicitur eſſe. Vel ſi ſcirrhoſe indureſcat.

17) *Aphthis*; aphthæ, microſcopio luſtratæ, ſunt parvæ puſtulæ in labiis, gingivis, lingua, buccis, palato oſſeo & mobili, columella, faucibus, ventriculo, inteſtinis, reperiundæ; natæ ab humore viſcido facto, nec amplius fere inflammatorio, in corpore ab acuta febri nimis debilitato. (*) Naſcitur in hac debilitate lentor ſpiſ-

(*) Sunt ſymptomaticæ paſſim, quandoque criticæ. Criticæ ſunt raro, ut petechiæ, & miliaria; pluri-

ſpiſſus humorum, infarciens extrema vaſorum per totas primas vias, eorumque oscula eminentiora reddens. Si albæ ſint, cruditas minor; ſi flavæ, ſi fuſcæ, ſi nigræ, eo major cruditas. Olim in Belgio morbus erat frequentiſſimus & maxime lethalis, dum chemica methodus paſſim prævaleret, potum ægris prohibendi & calidis remediis utendi: ex quo vero illam methodum reſtituta doctina Hippocratica profligavit, vix amplius viſuntur in Belgio aphthæ; ita ut integros deguerim annos, quibus vix bis vel ter aphthas videre contingeret; niſi forte hinc inde in infantibus, lactantibus, quibus ſæpe redeunt, &. tamen, ſi bene bibant, & bona remedia ſumere non recuſent, adhuc plerumque curantur.

At

---

rimum, ut hæ, ſunt ſymptomaticæ. Docet id mutata ars medica in Hollandia. Hinc audivi magnum noſtrum Boerhaavium ultimis vitæ ſuæ annis, dum caput de aphthis nobis explicaret, vehementer exſultantem, quod Hippocratica methodo acutos curandi nunc multum propagata, regio Batava aphtharum infamia pro magna parte careret. Hoc adeo verum, ut ultimis meis praxeos in Hollandia annis vix bis, aut ter, aphthas in acutis viderim, idemque mihi alii Medici Hippocratici teſtarentur.

Jure ergo cruditatem morbi etiam ex petechiis & miliaribus concludo; tum, quod videam optimos etiam in Germania Practicos ſic centere, ut paullo de *Cl.* Sorbait adhuc memini, & ut in *Tractatu de febrium diviſ.* demonſtravi; tum, quod videam iis nos bona methodo plurimum carere; tum denique, quia video toties has efflorescentias iter ad mortem facere. De H.

At vero cruditatem ex aphthis videmus tum maxime, quando non hinc inde primo una alterave puſtula in ore adparet, ſed quando ſenſim ex faucibus adſcendit cruſta aphthoſa denſa, lata, & tandem creſcens verſus anteriora oris. Cruditas maxima tunc eſt in hac materia, quæ cruſtæ inſtar adhæret œſophago & ori. Hinc os ventriculi obſeſſum eadem cruſta in aſſiduos ſingultus erumpit; hinc oris obſeſſis lacteorum omnis nutritio impeditur, & fit diarrhæa peſſima, ſive leienteria.

§. 926. *Si autem &c.* hæc nunc idea coctionis. *Textus* deſcribit 1) inſtrumenta quibus cocta fiant ex crudis; 2) qualitates enarrat, quibus illa materia jam cocta differat ab ea cruditate, quam ante habuerat.

1) *Inſtrumenta* videamus. 1) *Per actiones vitæ*; ſi vita labaſcat, nullam exſpectamus coctionem. Vis cordis & arteriarum nec nimia, nec nimis parva, ſic ſubigit demum repetitis ictibus illam materiam crudam, ut cocta evadat. Hinc in omni morbo præcipua indicatio eſt a functionibus vitalibus; quibus bonis ſpes vitæ manet; quibus ſuccumbentibus ſpes omnis evaneſcit.

2) *Aut propriam indolem*: ex chemicis novimus, ſanguinis per artem in placentam redacti naturam eſſe, ut tepore abeat in liquamen. SYDENHAMUS deſcribit morbos acutos, in quibus ægri ſenſim ſomnolenti, comatoſi facti, tandem ſaneſcerent, ſi inportunitate Medicorum non occiderentur. Vidiſtis Ipſi virum quemdam in noſocomio ægrotantem, cui comatoſa diſpoſitio talis aderat in morbo acuto putrido: quum cætera ſigna mala non eſſent. Quotidie Vobis dixi, non eſſe inquietudinem habendam ex hoc comate, quaſi apoplexia indicaretur, tunc enim fore ut cætera ſigna mala adeſſent; hic vero eſſe illum caſum, ubi per bonitatem naturæ phlogiſtica materies ſponte tandem reſolvitur; cujus rei cæ-

te-

tera bona ſigna teſtes erant: atque ita hominem illum poſt ſeptem dierum coma ſanitati ſenſim reſtitutum vidiſtis. Huic reſolutioni multum conferre videtur laxitas conciliata vaſis liquido diluente, humido aëre, tepore lecti: dum enim non ultra ille ſanguis ſpiſſus conpingitur, facilius conpacta ejus elementa ſecedunt, diſſiliunt.

3) *Vel per medicamenta apta*; ut ſunt decocta hordei diluentia, & involventia omne acre; nitroſa, acida, ſaponacea, diluentia, quæ dividunt ſpiſſos humores, quæ æſtum refrigerando tollunt nimium adtritum & actionem vaſorum fluidorumque reciprocam: paregorica, quæ vim nimiam dolorum & motus ſopiendo reddunt circulationem blandiorem: aquoſa, ſaponacea, quæ efficiunt, ut ſanguis nimio ſudore aut alvo ſpiſſior redditus, jam iterum ſecum conmiſceri permittat aquoſa, quibus diluatur: balnea, fomenta, cataplasmata, enemata, quibus inbibitur aquoſus vapor, & ducitur bibulis vaſis in ſanguinem, quibusque emollitur nimia fibrarum nervorumque tenſio & durities. Atque hæc de inſtrumentis coctionis; videndæ nunc coctæ materiæ qualitates.

Si mutata eſt quoad 1) *molem*; alvus liquida ſimptomatica fuerat, jam fit pultacea: conpactiſſimus fuerat ſanguis, ut v. g. naribus, aut hæmorrhoidibus effluere non poſſet; jam libere effluit.

2) *Figuram;* alvus liquida fuerat, jam fit ſanorum inſtar figurata: ſudor guttoſus fuerat; jam lenis mador eſt.

3) *Cohæſionem*; in alvo erat quaſi minutal rerum ſolidarum cum fœtido liquore nullatenus miſtum; jam vero eſt aliquid homogeneum, inter ſe cohærens.

4) *Mobilitatem;* antea homo vix bibebat, quin alvo potus diffluereet, cum fœtidis liquidis, aut ſudo-

re;

re; jam debito tempore retinetur alvus & cocta prodit; & non ſudat inde.

5) *Inertiam;* antea alvus nulla, quaſi aut feriaretur natura, aut ſaltem inteſtina; ita ut nihil prodiret; jam bona incipiunt prodire excrementa.

Ut minus recedat a ſtatu ſalubri; ſanguis non coriaceus naturalis eſt, coriaceus præternaturalis; ergo, dum coriaceus non amplius eſt, dum jam poteſt per hæmorrhagiam ex naribus commode effluere, unde antea præ nimia ſpiſſitudine non poterat, ille ſanguis coctus eſt.

Alvus erat aut alba, aut nigra, aut minime miſta; ergo cruda, quia maxime contra naturam; jam eſt pultacea, miſta, ergo cocta, quia magis accedens ad conditionem naturalem.

Urina erat tenuis, aquoſa, aut flammea; ergo contra naturam: jam fit ſtraminei coloris & habet nubeculam rubram, vel albam; ergo fit naturali proximior.

Sputa fuerant aquoſa, ſpumoſa; ergo contra naturam: jam alba, craſſiora, ergo magis naturalia, ut homo ſanus ſæpe mane exſpuit.

Minus lædat; ſanguis ſpiſſus denſus arietans in vaſa tenella dolorem enormem excitabat; immo ſolvebat eadem, ut hæmoptoë fieret; jam blandior & tenuior citra incommodum transit.

Alvus acris adeo fuerat, ut in transitu eroderet inteſtina, & cruſtam mucoſam tunicæ villoſæ auferens intolerabiles crearet dolores ipſumque produceret ſanguinem; at vero jam blande deponitur.

Urina urebat in transitu & ſtranguriam efficiebat: jam vero ſine ardore copioſa prodit.

Adeoque inpetum morbi inminuat; ita, ut ille ſanguis, qui ſpiſſus olim valida vi in vaſa inpactus, vi ingenti a vaſis repreſſus æſtum vehementem in corpore excitaverat, jam ſine multo calore, cum pulſu minus fre-

frequenti, cum arteria minus dura, circulum ſuum abſolvat.

Cocta jam adpellatur; id eſt, a præternaturali ſtatu, in quo ante fuerat, remotior; ad naturalem ſtatum, a quo receſſerat, propior. Adeoque & *crudi* & *cocti* jam idea Vobis adcuratiſſima menti inpreſſa, ut arbitror, inhæret.

§. 927. *Status autem &c.;* hoc per ſe patet. Mox ubi vel incipiunt modo adverti ſigna in urina, ſputis, ſanguine, ſudore, minus ab illo magno receſſu a naturali conditione aliena, dicimus in morbo hoc incipi *coctionem*, ſive *maturationem*, i. e. πεπάσμον.

§. 928. *Cognoſcitur ille ſtatus morbi & materiæ* 1) *ex quiete morbi, ejusque decremento*; ita, ut haud ultra adſit ille validus motus & adtritus tendens in deſtructionem.

Hic vero peſſime falli poſſemus: etenim aliquando fit, ut prima, altera, morbi die ſint omnia ſymptomata violentiſſima; tertia, quarta die autem mitiſſima: unde, ſi tunc Medicus ſalutem promittat, & ægri, & ſui, & familiæ totius, exhilarat animos; aliquando invenit ægrum ſuum ſeptima die, aut citius, mortuum. Ratio ex ſequentibus verbis patet; quare, quæſo, bene ad hæc verba adtendatis.

Ex quiete morbi, ejusque decremento; viribus vitæ interim conſtantibus, vel & increſcentibus; etenim morbus adparet miteſcere aliquando, non a cocta materie, ſed a defectu virium. In variolis, morbillis, aliisque morbis exanthematicis, uſuvenit, ut videatur vis febrium multum miteſcere; non a cocta materie, ſed a defectu virium: hinc bene monet *textus*, morbi ſive quietem, ſive inminutionem, oportere ſimul

conjunctas habere vires, ſive easdem, ſive auctas, ut inde de coctione judicare Medicus poſſet. Hinc, ſi cum mitiori morbo vita multo minor, ſummum periculum adeſt, ne vires debiles coquendis crudis non ſufficiant. In priori caſu vires modo ſunt conſervandæ & fovendæ; in ultimo cardiacis debitis cum genio morbi convenientibus augendæ.

2) *A ſedatione inminutioneque ſymptomatum:* æger præ dolore vix loqui, vix reſpirare, potuerat; jam tolerabile habet. Inflammatorius dolor intolerabilis inteſtinorum adfuerat; jam gaudentem offendit ægrum Medicus, quod adeo miteſcat; & alvus, qui inmorigera fuerat, jam ſponte fluat. Si hinc Medicus illico bonum præſagium formet, cras forte ejus pœnitebit illum; nam gangræna incipiente in pleuritide, dolor mox miteſcit; in ileo quoque, & quia paralytica jam fiunt inteſtina, alvus ſponte effluit. Quomodo ergo poſſum ſcire, an revera hoc ſignum miteſcentis morbi ſit ſimul ſignum pepaſmi?

Textum conſulite: *concomitante vitæ robore;* ſi incipiat gangræna, fit pulſus parvus, debilis, & inde mors. Unde caveat Medicus a prognoſi, niſi antea ex pulſu, ex motu membrorum expedito, ex voce, viſu &c. vires omnes conſtantes viderit. Si itaque ſymptomata miteſcant, & vires vitæ æque magnæ, vel & majores, adſint, bonam fieri coctionem neceſſe eſt.

3) *A reſtitutione functionum in integrum;* læſa erat functio pulmonis in reſpiratione; jam cum ſputis bonis, cum bonis viribus reſpiratio emendatior adparet; bona ergo coctio. Alvus nil retinebat; jam retinet, & craſſiora debito tempore reddit; vitæ viribus interim bonis; bona coctio. Adtendite modo, nihil bonum dici mereri, vitæ viribus conlabentibus.

4) *Ex*

4) *Ex ſimilitudine humorum circulantium;* ſanguinis, ſeri, lymphæ jam ultra non concreti, ſed diſpoſiti, ut poſtea, dum criſis facta eſt, commode per nares, uterum, hæmorrhoides, fluant. Sanguis ille antea præ ſpiſſitudine vi valida inpulſus in vaſa, vaſaque valide in illum renitentia, ſimul effecerant motum ingentem, adtritum validum, urentem calorem: jam idem ſanguis placidior totus in ſuo motu eſt.

Secretorum; bilis acris calore facta inteſtina & ventriculum ad ſymptomaticos vomitus alvosque incitaverat; jam, ceſſantibus hiſce ſymptomatibus, oportet, ut bilis ſit reddita naturali ſimilior.

Excretorum; humores in oculo & palpebris fuerant acres & copioſi excreti continuo; ita, ut oculi inde inflammarentur & eſſent ſponte lacrymoſi: jam oculi neque ab acrimonia humoris ultra læduntur, nec copia major ſolito adeſt; unde oculi jam minus rubri, minus madidi.

Excrementorum, cum naturalibus; confer (919.) Urina ardore moleſta ſtranguriam fecerat & acris rubicundaque fuerat: jam & calore magis ſtraminea, fulva; acrimonia minus urens; copia longe major; prodit facillime. Alvus ſanguinea fuerat, aut meraca bilis, aut nigra: jam colore, conſiſtentia, naturali fit propior.

§. 929. *Cauſa mutans cruda in cocta, eſt actio vitæ ſuperſtes, inmutatio - - - - - auxilians:* ut bene AUCTOR inculcaret nobis hanc veritatem, repetivit ea, quæ §. 926. dixerat de inſtrumentis coctionis; quæ, ibidem ſatis explicata, non repetam.

§. 930. *Materies morbi eo usque cocta per cauſas ſuas &c.;* multæ conditiones requiruntur, ut fiat talis perfecta reſolutio, citra ullam reliquiarum morbo-

ſarum evacuationem. Vix videtur obtinere poſſe, niſi in febri continua dicta ephemera, aut ephemera protracta.

1) *Materiam benignam;* ut forte parum quidem ſanguis condenſetur, ſed non fiat inflammatorie ſpiſſus: ut, licet vehementior moveatur, tamen inde non ſpolietur ſua liquidiori portione; aut, ſi ſpolietur, novis liquidis mox reficiatur; quibus fit, ut nullam acrimoniam contrahat ſibi ſanguis ille; aut, ſi aliquam inciperet contrahere, ſaltem inſenſili perſpiratione hanc amandaret. Unde febri ceſſante corpus illud brevi fruitur inlibata ſanitate. Dubitandum modo, an unquam benigna talis reſolutio fiat ſine ulla omnino evacuatione, ſtricte loquendo; quum in his hominibus perſpiratio ſanctoriana ablata non ſit, adeoque via proxima aperta ſit ad eliminandum omne noxium.

Optimam naturam; ante talem febrim corpus erat ſaniſſimum, febri laborat mitiſſima, functiones vix lædente: ergo vires vitæ præſto ſunt ad coquendum id paucum, quod aderat crudum.

Bona medicamenta; non deſumta ex calidis alexipharmacis, ex chemicis ſpiritibus & volatilibus, quibus mitiſſima febris in maximam mutari queat: non deſumta ex emeticis; ut quibusdam moris eſt, ab initio morbi totum corpus ſusque deque vertere: non ex purgantibus, methodo talium, qui in morbis mox in vias primas expurgandas advolant: ſed tantum medicamenta fere nulla; decoctum hordei cum melle & nitro; aqua ſambuci, roob ſambuci, ribium, moror., ceraſor.; ſyrup. violar.; ſucc. citri, veronicæ, borraginis, cum tantillo nitri, ſalis polychreſti, prunellæ &c. ſufficiant. Abſtinentia ab omni nutrimento gravante; cautela a provocatione ſudorum calore aëris, lecti, ſtragulorum. Verum reſolutiones tales benignæ rariores quum ſint,

mox

mox ad consuetas naturæ vias describundas convertit se *venerandus* Præceptor.

§. 931. *In morbis acutis &c.*; nam secludimus febrim acutam, quæ a vulnere facto orta forte per illud vulnus se expurget; quanquam tamen etiam possit depravatis per febrim humoribus, consueta via egere ad curationem; sed tamen his missis, qui morbi acuti in humoribus sedem habent, in his *disponitur ut plurimum certo tempore materies morbi ita &c.:* hæc tempora observare summi momenti est, in eoque elucet *divi* Hippocratis sapientia. Non in omni morbo coctio fit integra; non in omni morbo coctio fit eodem tempore iisdemque cum legibus. Immo fiunt in eodem morbo diversis decumbentibus ægris symptomata similia, quæ in uno ægro eodem morbi die erunt conpescenda, in altero fovenda dimittendaque sibi. Igitur qui hic bene dividit, bene imperat.

Quum res hæc periculis scateat, adtenta ad omnia antiquitas latentes naturæ vias hic detexit, hincque ortæ leges illæ divinæ de cognoscendis criticis diebus, & antequam adessent, & dum jam inlucescerent.

Videte nunc *Comment. Inl. nostri* Præsidis *T. II.*, duobus potissimum in locis, *cap. de febri in genere*, & *cap. de febri ardente;* ibi ex tota antiquitate collectum omne id, quod circa hanc rem dici queat. Hinc dicam breviter, quod ordo *textus egregii* Boerhaavii a me exigit.

Definivit maxime Hippocrates tales dies locis sequentibus:

1) *Aph.* 2—24. „Septimorum quartus est index: alterius septimanæ 8. est initium: notandus vero 11., is enim 4. est alterius septimanæ: notandus rursum

ſum 17., hic enim 4. eſt quidem a 14.; ſeptimus vero ab undecimo."

2) *Aph.* 4—36. „Sudores febricitantibus ſi inceperint, boni ſunt die 3. & 5., & 7., & 9., & 11., & 14., & 17., & 21., & 27., & 31., & 34.: hi enim ſudores morbos judicant. Qui vero ita non fiunt, laborem ſignificant, & morbi longitudinem & recidivas.

3) *Epid.* 1. *ſect.* 3. *p.* 965. „Circuituum autem, qui diebus paribus judicant, primus eſt decretorius quartus, ſextus, octavus, decimus, decimus quartus, vigeſimus octavus, trigeſimus, quadrageſimus octavus, ſexageſimus, octuageſimus, centeſimus."

„Circuituum vero, qui diebus inparibus judicant, primus eſt tertius, quintus, ſeptimus, nonus, undecimus, decimus ſeptimus, vigeſimus primus, vigeſimus ſeptimus, trigeſimus primus."

„Conſiderandum autem eſt, quod ſi quid aliter extra hos præſcriptos dies decernat, recidivas fore, perniciemque portendi. Animadvertere quoque & noſſe oportet, his in temporibus futuras judicationes ad ſalutem aut perniciem tendere, vel momenta in melius aut deterius facere."

Habemus hic textus tres, qui ſimul collecti nobis dant criticos: 3., 4., 5., 6., 7., 8., 9., 10., 11., 14., 17, 20., 21. 24. 27., 28., 30., 31., 34., 40., 48., 60., 80., 100.

Ergo criſis poteſt incidere in omnem diem a 3. ad 11., omnes enim illi 9 ſibi ſubſequentes dies critici ſunt. Quid ergo opus eſt adeo inquietum eſſe, ſi quis 6, vel 7., vel 8., vel 10., judicetur? Sunt enim omnes critici. Videmus præterea 20. & 21., 27. & 28., 30. & 31. æque criticos dici: cur ergo anxii erimus, ſi potius 21. quam 20., ſi potius 28. quam 27.?

Verum

Verum, præterea contra doctrinam hanc dierum criticorum multum facere videtur ipſa HIPPOCRATIS inconſtantia in iisdem recenſendis: alios enim omnino dies in *Epidemicis* recenſet, quam aut in *Prognoſticis*, aut in *Aphorismis*, quin & *prognoſtica*, atque *bini* de his agentes *Aphorismi* haud conveniunt inter ſeſe.

Unde, qui rident cum CELSO & ASCLEPIADE aliisque delectum hunc dierum, videntur palmaria habere argumenta ex ipſa hac recenſendi hos dies inconſtantia.

Inquirendum, undenam orta illa fuerit?

GALENUS, qui hic omnino conſulendus in *libris* ſuis *de diebus decretoriis*, nobis ſubpeditat duo reſponſa:

1) In *Epidemicis* HIPPOCRATEM modo ſine diſtinctione quaternariorum ordinem ſcripſiſſe quo ſe mutuo omnes dies critici ſequuntur: in *Prognoſticis* vero adcurate proſequutum eſſe periodos, quæ quaternario numero fierent.

2) *Epidemicorum libros* ante *Prognoſticos* & *Aphorismos* fuiſſe conſcriptos: in *Epidemicis* notari omnes omnino dies, in quibus unquam criſes obſervatæ fuerant; in *Prognoſticis* vero & *Aphorismis* tantum notabiliores, ſpectabiliores, ſecuriores. Hos GALENUS voluit proprie *criticos* dici, omnes autem reliquos, in *Aphorismis* & *Prognoſticis* non recenſitos παρεμπιπτούσας ἡμέρας, *coincidentes* dies criticos vocavit. Ita etiam FOESII ſententia eſt.

Si hoc exacte ſe ita haberet, ablatam difficultatem magnam lætaremur.

Verum novam difficultatem parit *Aphorismus* 4—36., alios omnino dies numerans, quam *Aph.* 2—24, & quam *Prognoſtica*. Videtur ergo adhuc in recenſendis his diebus HIPPOCRATES vagus & inconſtans ſibi.

Ergo non eſt multum fidendum doctrinæ adeo vagæ.

Fateor, mihi hos numeros dierum ſuſpectos eſſe: variant enim inter ſeſe exemplaria. Nam noſtis, quod Græci ſoleant litteris exponere numeros; α cum accentu gravi ′ denotat unum, β′ duo, γ′ tria &c. a jota ι incipiunt numeri decimales; a ε centenarii. Millenarii in numero accentum non ſupra litteram, ſed infra, poſuere.

Facile capitis, poſſe errari ſæpius a Scriptoribus manuſcriptorum, dum unam pro altera littera ponerent: facilius adhuc errari potuiſſe, dum manuſcripta vetera, vieta, exſcripſere, ubi litteræ hæ minus perſpicuæ. Unde etiam FOESIUS in *Epidem.* HIPPOCRATIS teſtatur, in Epidemicorum exemplaribus variis varie notatos hos numeros eſſe: tria antiquiſſima exemplaria omittere vidit diem octavum; duo alia nullam facere mentionem diei 10., ſed addere 20., & 24., omittere vero 28. Iterum alia exemplaria omittunt 48., & ponunt 44; addunt alia 120.

Porro ex varietate exemplariorum videmur poſſe *Epidemicorum* recenſionem plane ita reformare ſecundum exemplaria, quæ cum *Prognoſticorum* textu & *Aphorismo* 2—24. maxime conveniunt, tuncque magna difficultas incipit evaneſcere. Exciderent ergo fide horum exemplarium dies 8., 10, 28., 48.

Eodem modo facile intelligimus, cur dies maxime critici in una recenſione omittantur, in alia probe notentur. Omiſſio unius litteræ, ſive characteris, facile potuit conmitti. Nec mirum, hic magnos errores eſſe conmiſſos, ſiquidem etiam in ſacris litteris hinc vitia inrepſerint.

Miremur proinde minime, in *Hippocraticis* codicibus tantam adverti diverſitatem dierum criticorum.

Sal-

Saltem id verum eſt, multa in integrum reſtitui oportere ex ipſis obſervatis HIPPOCRATIS ad lectos ægrorum in *Epidemicis* & deinde ex doctis GALENI in HIPPOCRATEM *Commentariis*; quibus binis auxiliis *Aphorismus* 2—24, & textus *Prognoſticorum* & alius ſimilis textus mox *in initio libri* HIPPOCRAT. *de criſibus*, maxime confirmatus videtur; ita, ut enumeratio illa in Epidemicis minus adpareat genuina HIPPOCRATIS eſſe, quippe ejus ipſius contraria obſervatis.

Quod vero adtinet *Aph.* 4—36, is ubique non habet eamdem lectionem; nam, quia de 21. die nullam mentionem GALENUS facit, quaſi contrarium ipſius recenſioni, ubi 20, & non 21. diem ſcripſerat, manifeſtum eſt, GALENUM legiſſe 20. Omiſſus quoque ibi videtur 24 Quin & ipſe hic Aphorismus recenſetur quoque *libr. de criſibus* ab HIPPOCRATE alio modo: „ ſudores febricitanti ſi 3, 5, 7, 9, 11, 14, 21, 30. morbos judicant.“ Ubi 30. ponitur, & in *Aphorism.* 31, & omittitur iterum 17; in utrisque deeſt 24.

Ergo videtis ibi conmiſſos errores ab Exſcriptoribus; nam AUCTOR ipſe eamdem obſervationem non diverſimode narraſſet.

Tales ergo aphorismi & textus quicunque, ubi is error deprehenditur, exponendi erunt, ut dixi, ſecundum exempla ægrorum, quorum hiſtorias ipſe HIPPOCRATES in *Epidemicis* deſcribit; & deinde ſecundum GALENI *Commentarios.*

Ex his patébit, *Aph.* 2—24, & textum *Prognoſticorum* maxime convenire cum mente & experientia HIPPOCRATIS & GALENI, illosque dies in judicando vim poſſidere maximam, cæteros vero coincidentes dies aliquando quidem criticos eſſe; at vero tum rarius, tum minus tuto.

Patebit 2) epidemicas esse constitutiones, in quibus natura ob causas nobis ignotas variat nonnunquam consuetas suas leges; ita, ut quandoque hæmorrhagia narium magis die 5. salutifera sit, quam die 4.; quæ tamen alioqui, & passim, die 4. salutaris. Videbimus constitutiones epidemicas esse, in quibus 6 die omnes ægri judicabantur, sed dein patiebantur recidivas, tumque bono critico die alio remotiore perfecte judicabantur.

Patebit 3) morbos esse, qui alterno inpari die exacerbantes, aliquo ex his inparibus judicentur, si id ante undecimum: id quod maxime verum in his, qui judicentur sudoribus.

Si sic presse sequamur *magni* HIPPOCRATIS vestigia, videbimus, iniquum esse judicium, quod de eo tulerit ASCLEPIADES, CELSUS aliique bene multi, etiam hodierni; quasi vir ille magnus *Septenario* eoque mystico PYTHAGORÆORUM numero deceptus, tam enormiter errasset. Cur ergo sæpius notavit non 21. sed 20. esse criticum? Certe septenarius ejus numerus id passus non fuisset. Cur toties dies coincidentes, 3 5. 9. notavit criticos, ubi certe nihil inest Septenarii? Cur omni 20. die post 20. notat criticos? Ibi enim semper ex septenario unus deest.

Utique vir magnus notavit dies, quia sic rem inveniebat, non vero, quod systemate aliquo infatuatus sic scriberet. Quia vero, & quod consuetissimum, quod minus consuetum, quod raro, quod nunquam, tam exacte notavit & exemplis ægrorum suorum innumeris demonstravit, videtur, si quis mortalium, fidem mereri maximam. Videamus paucis, quæ ille de his diebus habeat: id modo adtendentes, criticos dies in bonam & malam partem sæpe poni; ita, ut judicia bona & funesta die critico passim notentur.

2.

2. Die.

Coi soror, tumido hepate, 2. febris die obiit. Criton in *Thaso* quoque.

3. Die.

Thaso fuit febris judicata 3. aut 4. die. Ancilla Onesidemi tertia die dysenteriæ periit. Aſt lene purgans ſumſiſſe eam Hippocr. ait; quod forte non indicabatur: nam citra rationem hoc non addidit.

Timochares a febri cum catarrho & kephalalgia ſudoribus 3. die judicatus. *Epid.* 7. *Ægr.* 80.

Mulieri, quæ in *Thaſo* poſt multas convulſiones die 3. judicata ſudoribus eſt, muliebria ſub judicium copioſa profluxere. Cæterum ad 3. diem urinæ nigræ, tenues, habentes in medio ſuſpenſum quid innatans, rotundum, nec ſubſidens. *Epid.* 3. *p.* 1108. 1109.

4. Die.

1) Calvus homo in *Lariſſa* ardente febre obiit.

2) Philiscus poſt narium hæmorrhagiam moritur.

3) Phreniticus quidam obiit.

4) Pericles acuta febri judicio abſolvitur.

5) Quidam ex iis, qui apud Leocidem erant, 4. die judicio abſolutus.

6) Mulier *Tenedea* 4. die masculum 30. dierum, ὡς ἔφη, abortivit, alvus liquida tenuia demiſit, lingua exuſta eſt; quarto judicata eſt.

7) „ Urina craſſa, alba, qualis Archigenis pue-
„ ro aderat, interdum in febribus, quæ ſunt cum laſſi-
„ tudinis ſenſu, 4. die prodit & abſceſſu vindicat.
„ Quod ſi præter hæc etiam ſanguis de naribus abunde
„ profluat, etiam prorſum liberat.

8) Uxor Cleomenis a pleuritide 4. die per menſes judicata *Epid.* 7 1235.

9) Epicharmi puer 4. die obiit, *ibid.* 1238.

10)

10) PISISTRATUS a febri pleuritica cum vera hæmoptoë ad 4. vel 5. diem judicatus. *Epid.* 7.

11) TESIMI uxor a medicamento abortivo vomitu, febri, convulsione, 4. die mortua.

12) Hæmorrhagiæ 4. die malæ, nisi aliud bonum signum simul adpareat. Laudat plus 5. 7. 14. dies, ut decretorios. Cur id? Ab experientia. *Epid.* 2. *Text.* 9.

5. DIE.

1) ERASINUS obiit.

2) METON judicatus; habuit tamen longam posthac hæmorrhagiam narium.

3) PHILISTES cum urina non mala obiit.

4) Anginosa apud ARISTIONEM obiit.

5) „ Post vergilias tempus placidum, nubilosum, „ caliginosum fuit. Indicationes 5. 6. 7. die fiebant, „ itemque aliæ tardiores. Febrium reversiones ade„ rant, quæ ad inerrantes vergebant.

6) „ A vergiliarum occasu australis flatus spira„ bant. Quæ judicabantur 5to, unum diem dimitte„ bant & iterum prehendebant.

7) „ Post vergiliarum occasum lienis adfectus „ aderant & ad 5. usque diem sanguinis e naribus „ profluvium: judicatio obtigit.

8) „ Plurimis autem 5. die decrevit. Septem „ intermisit, & post reditum die 5to judicatio facta est.

9) PISISTRATUS ad 4. vel 5. diem convaluit.

10) „ *Epid.* 7. *p.* 1226. Tusses hyeme fiunt, ma„ xime vero australis cœli statu; crassa & copiosa scre„ antibus febres succedunt, 5. die cessant.

11) „ *Epid.* 7. *p.* 1230. Æstate magis cholera „ morbus & febres intermittentes vigent, & quibus „ horrores succedunt; hæ interdum κακοηθαι maligni, „ aut mali, moris fiunt. Sed & ab his cavere oportet.

„ Hu-

„ Hujusmodi autem morbos 5. 7. 9. judicant: præ-
„ ſtat vero ad 14. cautum eſſe.

12) Anginoſa apud Metronem 5. aut 6. obiit. *p.* 1215.

13) Olympiadæ uxor videtur 5, aut paullo poſt, obiiſſe. *Epid.* 7.

14) Tuſſes in hyeme cum febribus. Tuſſes 5. ceſſant; tuſſes 40, ut Hegesipoli.

6. Die.

1) Aglaidæ filiæ febris 6. die decrevit: ſeptimo intermiſit, & ex repetitione die 4. ſalus.

2) Evagon, Diatharsis filius, 6. judicatur: ſex dies liber eſt, 13, 14 15. febricitat: 16. liber eſt: 17. febris & judicium abſolutum.

3) Duo fratres ad Theatrum Epigenis erant. Idem morbus acutus, eadem hora, adortus eſt ambos. Seniori 6. decrevit, juniori 7. reverſus: utrique eadem ſimul hora: dies quinque intermiſit; atque ex reverſione uterque ſimul in totum die 17. eſt judicatione liberatus.

4) „ Virgini cuidam 6. die judicium fiebat. 6 * morbus revertitur: judicata vero eſt per 6. diem. „ Videtur ergo febris rediviſſe 12. & judicata eſſe 18. — „ Addit porro Hippocrates 1121. " Hisce tempo-
„ ribus omnia 6. & 8. judicabantur. "

5) Euryanactis filia 6 judicata: 13. riguit, ſudavit: 14. non multum riguit, ſed friguit: 23. deliravit: 25 intermiſit, deſipuit, alvum omni modo malam habuit: 32. mortua eſt. Toto morbi tempore ab initio faucibus doluit, omneque alimentum averſata eſt. Forte textus Hippocr. poteſt ſic intelligi, ut 6. judicata; 7. riguerit, ſudaverit; 8. non multum riguerit, ſed friguerit: 17. deliraverit: 19. intermiſerit, deſipuerit, alvum malam habuerit, 26. mortua ſit. Verum judici-

um

um ſemper ſexta die, & mors die aut 32 aut 26, utrisque *ακριτιμοις*.

6) PHANAGORÆ famulus 6. die ictericus; periit.

7) PHILISCUS 6. die obiit, poſt prava ſymptomata, & urinam nigram.

8) SILENUS 6. periit.

9) TELEBULI filia 6. a partu die mortua,

10) HERMOCRATES 6. icterum habet; 27. obiit.

11) „ MEANDRI cœci uxor, ſtatim quid viride „ flavens, ſtatimque purulentum circa 6. diem ex„ ſpuit. Jecur in tumorem ſublatum eſt; deorſum pauca „ demiſit. Carnium purulentarum inſtar ſputa pauca, „ alba, lata, ore rejecit, cibos averſata eſt; mortem „ obiit circa 20.

12) EX vicinia THESTORIS famulæ domeſticæ ex „ uſtione alvi dejectio bilioſa, copioſa; cum hypochon„ driorum diſtenſione. Ipſi 6. die, poſt ſubpreſſionem, „ ex alvo tenuia, copioſa, ſemel prodiere ſtatimque ſu„ doribus judicata eſt; alvus reſtitit. Sub eamdem „ autem horam rigore correpta febricitavit & rurſus ſub „ idem tempus ſudoribus judicata.“ Obſcurum, qua die judicium contigerit: veroſimiliter die 7. ſaltem patet, judicium diei 6. non fuiſſe ſufficiens, aut bonum.

13) EPAMINONDAS 6. obiit.

14) HERACLIDES 6. ictericus; ſervatus eſt.

15) *Lariſſæa* virgo 6. judicata a febri ardente: habuerat die 4. urinam tenuem, paucam, quæ *ἔιχεν ἐναιώρημα μετέωρον*, ſuſpenſum quid in medio, vel ad ſuperiora natans, habebat, neque ſubſidebat. 6. Larga hæmorrhagia narium, horror, ſudor, fluxus menſium incœptus, etiam continuans, & eſt judicata. Dolores diebus paribus invadebant.

„ *Epid* 1. *p.* 956. 957. Aliquibus die 6. mor„ bus decrevit, atque ubi dies 6. intermiſiſſet, tribus „ die-

„ diebus prehendit; quos etiam, ubi uno die reliquiſſet, „ altero rurſus prehendit & judicati ſunt; quemadmodum Evagonti, Diatharsis filio, contigit. [*v.* „ *No.* 2. *diei* 6]

„ Aliis 6 decrevit, 7. intermiſit, & ex repetitione „ die 4. judicati ſunt; quale quid Aglaidæ filiæ uſuvenit [*v. No.* 1. *diei* 6]

„ Plurimi igitur eorum, qui tunc ægrotarunt, „ hunc habuere morbi tenorem: atque haud ſcio, an „ eorum cuiquam, qui ſuperfuerunt, rite factæ mor„ borum reverſiones, non recurrerint: omnesque, quod „ ſciam, ſervabantur, quibus hoc recidivæ genus conti„ git [2do] neque hoc modo ægrotantium cuiquam „ morbum rurſus repetiviſſe memini.

„ Moriebantur autem plurimi ex his morbis 6. „ die; velut Epaminondas, Silenus, Philiscus „ Antagoræ filius. „

16) Dromeadæ conjux 6. periit

17) „ Sub vergiliarum autem occaſum auſtrini fla„ tus & pluviæ aderant. Tuncque Adoleſcens muco„ ſa, aliquantum bilioſa, cocta, glutinoſa, & crebra, „ alvi recrementa demiſit: febris adſidua aderat: lin„ gua arida. Sexto die judicatione eſt abſolutus: 7. „ rurſus febris illum prehendit eodemque die demiſit „ cum tremore. Sexto in aurem ſiniſtram fluxio glu„ tinoſa, craſſa, decubuerat. “

18) Philistis, Heraclidæ conjux, febri acuta correpta, 3. die riguit, ſudavit & aliquantum icterica facta eſt. 4. largam hæmorrhagiam ex nare ſiniſtra habuit & pauca menſtrua ſuo ordine conparuere. Omnia ingraveſcunt. 5. die ſudor effuſus & copioſi menſes. 6. die urinæ copioſæ, criticæ; poſtea rigor, ſudor. 7. die urinæ probe coloratæ, ſudor: judicium

bo-

bonum. Quamvis 6. die bonæ urinæ, tamen videtur ſudor potius ad 7. pertinere.

19) LARISSÆ HYPOSTENES 6. die largam narium hæmorrhagiam ad 4. fere heminas: moritur 11.

20) POLEMARCHI uxorem 6. die dimiſit febris: ad 20. peſſime habuit & obiit poſtea, die non notato ab HIPPOCRATE: ſaltem ubi per 3. aut plures menſes poſthac febricitaverat.

21) THEOCLIS adfinis femina 6. judicata, veſperi 6. magna febri & ſudore integre judicatur. *p.* 1216.

22) In conſtitutione quadam plerique 6. die cum ſudore perierunt. *Epid. p.* 959.

23) Anginoſa apud METRONEM, 5. aut 6. die mortua eſt

7. DIE.

1) Adoleſcens ad *mendacium forum* obiit.

2) PHILONIS filia poſt bonam hæmorrhagiam narium 7. obiit; poſtquam intempeſtive cœnaſſet.

3) PHANOCRITUS 7. judicatus.

4) EX his, quæ apud PANTIMIDEM erant, una ex abortu febrim ardentem habet multamque alvum: 7. obiit.

5) Altera ex abortu, ardente febre correpta, alvum multam, intempeſtivam habuit: obiit 7.

6) „ Qui in *ſutrina* erat, bile plurimum abundans, „ ſanguinem naribus profudit, alvi dejectio pauca ade„ rat, 7. die cum rigore judicatione abſolutus eſt

7) Puer ad *extremam cauponam* 4. narium habet hæmorrhagiam, ingraveſcunt tamen ſymptomata. 7. multis cum ſymptomatibus videtur judicatus

8) Sutor quidam 7. judicatione abſolutus; ubi per unum diem reliquiſſet rurſumque altero prehendiſſet, 4. dein judicatus eſt.

9)

9) Quidam ex his, qui apud Leocidem erant, 7. judicatus est.

10) Cuidam 7. die urina ervi loturæ similis, sibi ipsi persimilis, deinde pura: illi, inquam, recidiva facta est.

11) Scompus 7. obiit.

12) Polemarchi uxor angina inflammatoria laborans, respirationem instar ventriloquæ læsam habuit: circa 7. vel 9. alvus adfuit copiosa, liquida, prava, & mortua est.

13) Qui 7. κράμβην comedit, quum difficulter adhuc respiraret, circa abdomen emolliebatur, recte spirans effectus est, eique alvus est exagitata.

14) Philistis Heraclidæ conjux in febri ardente primo urinas reddidit, quæ conpacta quædam innatantia, nebulosa, divulsa, habebant; ut & 2. at 3. die urinæ paullo coloratiores, parum sudsidentes, sub vesperam post rigores color ictericus oritur &c. [*v. sub fin. diei* 6. *n.* 18.] sed pertinet potius ad 7.

15) Unus ex fratribus, de quibus Nro. 3. *ad diem* 6., judicatur 7.; habuit tamen cum fratre, qui ad 6. judicatus, recidivam, unaque cum eo die 17. judicatus est.

16) „ *Epid.* 1. *p.* 956. Quibusdam 7. die de-„ crevit, diebus septem intermisit, & ex recidiva die „ 3. judicatio facta est.

17) „ Nonnullis quoque morbus die 7. judica-„ tus est, quumque diebus tribus intermisisset, 7. de-„ crevit.

18) Hippiæ soror a phrenitide 7. mortua.

19) *Epid.* 7. *p.* 1234. Nicolai filius febri acuta post judicantia non decernentia mortuus 7.

20) Adfinis Theoclis 6. judicari visa; 7. febri & sudore judcata.

21) THEODORI conjux acúta febri 7. mortua.

22) SIMONIS conjux pleuroperipneumonia post 7. mortua.

23) Choleras judicat 5., 7., 9. dies, sed præstat ad 14. cautum esse. (*v. Nro.* II. *die* 5.)

24) *Libr. de intern. adfect. c.* 41. CHARTER τύφος 7. 14. 24. die judicatus, in mortem vel sanitatem.

25) Erysipelas pulmonum ad 7. vel intra 7. dies mortem adfert, *l. de intern. adfect. c.* 8.

8. DIE.

1) „*Epid.* 4 *p.* 1121. Hisce temporibus omnia „ 6. & 8. die judicabantur, [sed recidivas habuere.]

2) „Qui ex pacto asinum sustulit, illico febrici- „ tavit; 3. die sanguinem naribus profudit, & 4. & „ 5 & 7. & 8. similiter: judicatione est absolutus cum „ alvo lubrica.

3) POLEMARCHI uxori angina post v. s. videbatur cessare; sed pulmo exin laboravit, ad 8. aut 9. diem alvus copiosa & moritur.

4) PHERECYDES febri acuta 8. obiit.

9. DIE.

1) Vix notatur in *Epidem.*, nisi quod MOSCHUS die 9. habuerit largam hæmorrhagiam; crisis tamen in 14. differebatur.

2) *Epid.* 7. *p.* 1230. PHERECYDA videtur 9. mortuus.

3) BALIS filius febri acuta 6. die, nonnihil ictericus, 9. obiit.

4) POLEMARCHI uxor angina periit, ait HIPPOCRATES, 8. vel 9. die.

10. DIE.

1) PYTHIO in *Thaso* habuit 1. & 4. die urinam nigram & 7. oleosam; 10. obiit. Toto morbi tempore pejus habuit die pari.

2)

2) *Epid.* 7. *p.* 1229. Fullones, quibus 10. die febris remiserat, male habuere; 3. aut 4. exinde mense alvi fluore perierunt.

11. Die.

1) Qui incalescens cœnavit, 11. mortuus est.

2) Melidia judicata 11.

3) Adolescens 8. febris die multum potans, 11. obiit.

4) „Larissæ Hypostenes pulmonis inflam„ matione detineri falso a Medicis credebatur. Erat „ inflammatio dorsi & thoracis; nam luctans ceciderat „ supinus, superincidente adversario: 6. ingens narium hæmorrhagia; 11. mortuus.

5) „ *Epid.* 1. *p.* 958. Nonnullis 11. die mor„ bus decrevit, 14. repetiit, & 20. perfecte judica„ tus est.

6) „ *Epid.* 1 *p.* 954. Multi circa Arcturum 11. „ judicatione absoluti sunt; neque his, quæ ob justam „ causam fieri solent, morborum reversiones, recur„ rerunt.

7) „Phreniticis [*ibid.*] quidem contigerunt de„ scripta non omnia; sed his fere 11. die, quibus„ dam etiam 20., judicationes fiebant.

8) Scopus febri continua putrida judicatus die 11., alvo. *Epid.* 2. *Text.* 21.

9) Antigenis in *Perintho*, *ibid.*

12. Die.

1) Silenus, qui in *Platamone* habitavit, 12. periit.

2) Pythio cum multis pravis symptomatibus 12. judicatus sudore ac sputis; tamen 40. die subpurationem ad sedem habet & stranguriam.

3) Sutor, de quo die 7., etiam die 12. judicatus est.

4) POLYCRATES ad 12. & 14. motus criticos eſt expertus.

5) Quidam poſt cœnam febre acuta corripitur, 12. obiit.

13. DIE.

(Nil notatum in Codice.)

14. DIE.

1) Mulier, quæ in *littore* decumbebat, 14. judicata.

2) Mulier, quæ ad *mendacium forum* decumbebat, 14. obiit; licet continuas hæmorrhagias narium & alvum habuiſſet: ſed adfuerat paſſim horror.

3) ACHELOI uxor ſexto abortivit: febri corripitur; 14 judicatur.

4) MOSCHUS, de quo die 9., judicatur 14.

5) „Is, ad quem me deduxit CYNICUS, 7. in„ graveſcebat; ad 14. vero judicatione abſolutus eſt.“

6) In *Pela* PYTHONIS filius peſſima febri cum comate & defectu vocis, 14. judicio abſolutus.

7) „*Epid.* I. *p.* 958. Sub hyemem vero, circa „ brumale ſolſtitium ad æquinoctium usque, febres ar„ dentes & phrenitides perdurabant, multique per„ ibant: judicationes tamen varie ceciderunt, plurimis„ que quinto ab initio morbi decrevit, quarto inter„ miſit, repetiit & ex recidiva quinto die facta eſt ju„ dicatio, omnino diebus 14. Atque hunc in modum „ pueris plurimis, quin etiam natu grandioribus, ju„ dicatio facta eſt.

8) POLYCRATES 14. judicatus videtur; nam qui 15. ventris dolor, is a medicamento fuit.

9) CHALCEDONIUS dolore ad mammas ex ruptione 14. die febre judicatus. An non perfecte, quod die 40. tubera purulenta habuerit ad aures?

10)

10) Nicolai uxori 14. die parotides citra judicationem conquieverunt, febre jam remiſſa. 20. mortua eſt.

11) *Epid* 7. *p.* 1230. 1231. Is, qui poſt cœnam horrore correptus & ſequ. febre acuta laboravit; 14. mortuus videtur.

12) Caupo peripneumonia plus alvo, quam ſputis 14. judicatus, *p.* 1215.

13) Parmeniscus a febre cum delirio deſperabundo, 14. judicatus.

14) Mirus pulmonum morbus ſpasmodicus, cum tuſſi, febre, ſpûto cruento, dein ſpumoſo; qui 11. pus craſſum habet, & 14. pus bonum, purum; unde brevi ſalus. *Libr. de intern. adfect. c.* 2. Charter.

15) Zoilus circa 9. parotide nata, nono die pus evacuavit, 14. ſudore judicatus. *Epid.* 2. *Text.* 9. *ſect.* 3.

16) *Epid.* 2. *Text.* 4. *ſect.* 3. „Omnia vero circa diem 14. plerumque judicabantur; pauca cum ſudore, pauca cum rigore:“ unde arguit bonitatem judicii die 14.

15. Die.

1) Hieron ad (*) 15. judicatus eſt. *Epid.* 2. *p.* 1015.

2) Hermoptolemus febri acuta 15. obiit.

16. Die.

1) *Epid. p.* 1133. Quæ in Bulagoræ *vico* perpurgata fuit, 15. cum rigore & ſudore judicata; ſed, ut videtur, inperfecte.

(*) NB. *Ad* non ſemper ſignificat *circa*, ſed & *in*: nam Hieronem iterum dicit *Epid.* 2. *Text.* 24. Charter. ipſo 15. judicatum. *de* H.

17. DIE.

1) Mulier in *Cyzico* 17. periit.

2) Judicatus EVAGON; de quo *die* 6. (*Nro.* 2.) ferino eſt.

3) Judicata AGLAIDÆ filia; de qua *die* 6. (*Nro.* 1.)

4) Judicati duo fratres; de quibus *die* 6. (*Nro.* 3.)

5) HEROPHON cum urina nigra 17. judicatus.

6) „*Epid.* 1. *p.* 944. Horum plurimis bene ad„ modum conſtituto judicationis ordine febris ardens „ cum intermiſſione in 17. diebus ſolvebatur: atque „ haud ſcio, an quisquam tunc ex hac ipſa febre in„ terierit, aut phreniticus factus fuerit.

18. DIE.

1) Forte virgo judicata, de qua ad diem 6. (*Nro.* 4.)

2) Fullo phreniticus 18. judicatus. *Epid.* 7. *Aegr.* 94.

19. DIE.

1) Videtur judicata virgo; de qua ad 6. *diem* (*Nro.* 4.)

20. DIE.

1) „Ab ALCIBIADE qui venerat, is 20. judi„ catus, poſtquam teſtis ſiniſter intumuerat, in liene „ magno.

2) CHÆRION criticas perturbationes & evacuationes habuit, diebus non bonis, 20. judicatur.

3) Mulier, quæ tuſſi vix ejiciebat, facta paralytica eſt: 20. judicatur erumpentibus menſibus.

4) PHILENI uxor 14. die a partu febre corripitur; morbi hujus 20 die obiit.

5) MEANDRI cæci uxor ſexto die aliquod judicium habens, obiit circa 20.

6)

6) Thesandri uxor vermibus ore ejectis 20. judicata; sed minus perfecte.

7) Senex, qui una cum uxore ægrotabat, lumbrico crasso ejecto resici videbatur; tamen periit haud procul a 20.

8) Puridamus 20. mortuus.

9) *Epid.* I. *p.* 958. „Quibus tubercula ad au„res enascebantur, ea die 20. decernebant.

10) *Ibid.* Nonnullis 11. die morbus decrevit; 14. repetiit, perfecteque 20. judicatus est.

11) Nicolai uxor 20. mortua, quod 14. non bene esset judicata.

12) Nicoxenus 7. judicari visus, 17. ab Hippocrate invisitur, pessima febre & virium resolutione laborans; 20 judicatus. *Epid* 7 *p.* 1229.

13) *Lib.* I. *Epid.* 941. describens morbum epidemicum „Inter eos, quibus erant breviſſimi morbi, „ii ad 20. judicabantur; plerisque vero ad 40., non„nullis ad 80. judicatio contigit.

14) *V.* 11. *diem*, *Nro.* 7.

15) Nicoxenus Olinthis 7. die judicatur sine sudore; 17. recidivat; intra 20. judicatur.

21. Die.

1) Dealcis uxor periit. Ubinam nunc Celsi criminatio in Hippocratem, quam Mead nostris ingeminavit diebus? Vix de 21. die sermo apud Hippocratem, qui debuisset maxime solemnis esse (si Pythagoræorum *septenario* adeo detulisset numero.)

22. Die.

1) Cleocydi diebus non bonis varia contigere & tandem 22. die morbus desiit.

2) Leophorbides 12, 14, 16. & 21. varia passus, 22. videtur judicatus esse, [*p.* 1216.] sed recidivam passus.

23. DIE.

1) HERMOPTOLEMI uxor hyeme febre & kephalalgia, cum peſſimis ſymptomatibus laborans, 23. die obiit.

24. DIE.

1) MELIBÆÆ adoleſcens acuta febri 24. obiit.

2) ANTIPHON, CRITOBOLI filius, 24. die narium habet hæmorrhagiam; aſt demum 40. judicatus eſt.

3) HERMOPTOLEMI uxor [1212. pag.] ex tota hiſtoria morbi videtur 24. mortua. (*v.* 23. *diem*, 1.)

4) Τυφος 7, 14, 24. judicatur; *libr. de affect. intern. c.* 2. CHARTER.

27. DIE.

1) *Abderæ* virgo ardente correpta, 27. judicata.

2) HERMOCRATES 6. febris die ictericus, 27. mortuus.

28. DIE.

1) AMPHIPHRADIS puer pleuritide 28. mortuus.

29. DIE.

1) *Epid.* 1. *p.* 958. „Quodſi qui 29. die inſu„per rigore corriperentur, iis 40. die febris decre„vit.“ Fuit ſemel peculiaris quædam conſtitutio talis.

30. DIE.

1) ARISTOPHONTIS filia, *Epid.* 4. *Text.* 23. „3. & 5. febricitat; ſicca plurimum manſit; alvus „tamen hinc coſturbata eſt: difficilis judicatio fuit; „Ultra 30. dies ceſſavit.

34. DIE.

1) ANAXIO a pleuritide 34. perfecte judicatus.

2) *Abderæ* APOLLONIUS ictericus 34. mortuus.

40. DIE.

1) ANTIPHON CRITOBOLI filius 24. hæmorrhagiam narium habet, 40. judicatus.

2) Clazomenius alter judicatus 40.

3) Qui in Dealcis *horto* decumbebat, 15. die urinam turbidam reddit: cujusmodi fit ex his, quæ ubi ſubſiderunt, conmoventur. 24. in urina penitus ſubſiderunt contenta; 40 judicatus alvo, ſudoribus.

4) Pythio cum multis pravis ſymptomatibus 12. judicatus per ſudores & ſputa; demum 40. die ſubpurationem ad ſedem & ſtranguriam habet (*v. die* 12. *No.* 2.)

5) Chalcedonius 14. judicatus; 40. tubera purulenta ad aures (*v. die* 14. *No.* 9.)

6) *Epid.* 1. *p.* 958. " Quod ſi qui 29. die „ inſuper rigore corriperentur, iis 40. febris decre„ vit.

7) *Epid.* 1226. Charis poſt inchoamenta judiciorum diebus non bonis videtur 40. judicatus.

8) Cononis ancilla ſub 40. mortua.

9) Timocharis famulus quoque.

10) Meto poſt pleuritidem 40. die pus incœpit reddere per 35. dies, & convaluit.

11) *Epid. l.* 1. *p.* 941. deſcribens Epid. ut „ dixi ad diem 20. „ Inter eos, quibus erant bre„ viſſimi morbi, iis ad 20.; plerisque ad 40., non„ ullis ad 80 judicatio fiebat. Eſt ubi ne ſic quidem, „ ſed errabunde & nulla obſervata judicatione febres „ & tuſſes deſinerent.

12) Tuſſis hyeme cum febre: febris die 5. ceſſat; tuſſis 40.; ut Hegesipoli contigit. *Epid.* 7. (*v. die* 5. *No.* 14.)

51. Die.

1) Pythodoro poſt multas ærumnas videtur 51. judicium factum.

60. DIE.

ANTIPHANIS filius prope 60. morbi utroque oculo fit cœcus, & 7. dein obiit.

70. DIE.

1) ERATOLAI pueri morbum HIPPOCRTES narratione prosequitur, etiam post 70. diem. Dies, quo decrevit, non notatur. Post 70. diem a balneo sub noctem sudor parvus obortus est.

2) *Epid.* 7. *Aegr.* 12. POLYCRATIS uxoris morbum prosequitur ad 70.; brevi post videtur mortua, sed non exacte notavit HIPPOCRATES.

75. DIE.

1) METO a pleuritide subpuratus, ab emetico 40. die morbi abscessum ruptum habet; 75. morbi die repurgatus convaluit.

80. DIE.

1) CLEONACTIS judicatus.

2) EPICRATIS uxor judicata.

3) *Puerpera in Thaso ad frigidam:* tertio puerperii die febre cum accessione lochiorum adfecta; 80. moritur; alvo multa, urinis perpetuo nigris, dilutis.

4) *v. die* 40. *No.* 11.

100 DIE.

1) HEROPITUS post ardentem febrim 100. judicatus.

120. DIE.

1) PARIUS in *Thaso* 6. die urinam oleosam reddidit, ut & 7.; ex alvo biliosa, pinguia. 12. suspensum quid in media urina innatans erat. Alvus illi ab initio continenter biliosis multis diffluebat; aut, si consisteret, fervida & cruda dejiciebat. Urina cæterum per totum morbum non bona: periit 120. die.

Hac ratione habemus 165. ægros, suas diversas dierum in classes digestos; in quibus diebus vel integre ju-

judicati fuerint, vel inperfecte; judicatione perfecta alio critico deinde die sequente; vel in quibus interierint. Addidi simul constitutiones epidemicas singulares, in quibus Hippocrates modo narrat, quid plerisque contigerit, unum alterumve exemplum adferendo contentus: nam vir magnus in his omnibus brevis est.

Studio omisi dies sanitatis aut mortis narrare eorum, qui vulnere laborarent; quum hic de acutis modo morbis ex vitio interno natis, sermo sit.

Neque addere potui multas historias ægrorum, qui cæteroqui scopo conveniissent, quia ipse Hippocr. vel omisit dies addere, vel fatetur, se ignorare, qualem diem ægroti tunc agerent. Cæterum videmur nunc textus illos clare conprehendere, qui dies decretorios nobis definierint.

Igitur 3. 4. 5 7. 11. 14. 17. 20. 27. 34. 40. 80. famosi sunt numero judiciorum; quorum plura bona fuerunt.

2) Diem 9. 24. 51. judicia quoque habuisse; adeoque merito inter criticos recensori.

3) Dies 10. 12. 15. 18. 19. 21. 22. 29. vix videri criticos vocandos esse; quum vix unus alterve casus ex tanto ægrorum numero apud Hippocratem exstet mortis, aut sanitatis, eo die contingentis.

4) Nunc famosus dies sextus examinandus: animadvertistis in recensione dierum 24. historias, aut observationes *Hippocraticas*. Verum 13. & plures in quadam constitutione obierunt eodem, vel alio die: 11. sanitatem recuperarunt, recidivas passi, & alio die critico judicati.

Una supereſt virgo *Larissæa*. Consulamus ipsum *textum*. (Omisi hic insertionem græci textus; quem Tironum *non omnes* callent.)

In *Lariſſa* febris ardens & acuta prehendit virginem: pervigil (ἀγρυπνος) erat, ſitibunda, lingua fuliginoſa, [i. e. nigricans,] arida. Urinas boni coloris reddidit, tenues tamen. — Secundo die moleſte habuit; non dormivit. — Tertio die multa per alvum exiverunt aquoſa, & per ſequentes dies talia commode prodierunt. — Quarto urinam tenuem, paucam reddidit. Urina hæc habebat ſuſpenſum quid innatans in medio verſus ſuperficiem; quod minime ſubſedit: ſub noctem deliravit. — Sexto ex naribus ſanguis abunde multus effluxit; atque, ubi inhorruiſſet, ſudore copioſo, calido, per totum corpus diffluente a febri inmunis judicatione liberata eſt. In febribus autem, jamque peracta judicatione tum primum muliebria, menſtrua, deſcenderunt; virgo enim erat. Prorſus vero faſtidiebat, horrebat, facie rubebat; oculis aderat dolor & capiti gravitas. Huic morbus non repetiit, ſed judicatione eſt abſoluta. Dolores diebus paribus invadebant.

Tota hæc hiſtoria docet:

1) morbum fuiſſe graviſſimum a principio ipſo, cum æſtu violento; ut ex ſiti, lingua patet; 2) corpus fuiſſe plethoricum; ut ex colore, ætate, & ſubſequis hæmorrhagia narium menſibusque patet: 3) ſigna alicujus inminutæ cruditatis, incipientis coctionis, jam a principio adfuiſſe in urina: 4) a tertio die & per ſubſequentes dies, alvum adfuiſſe non penitus ſymptomaticam, ſed utcumque bonam; quia fuit ſemper cum euphoria: 5) ſexto die habuit *a*) largam hæmorrhagiam narium; *b*) horrorem; *c*) ſudorem calidum, multum, univerſalem: 6) jam in morbo menſes adfuere, & ſub judicium, & poſt judicium: tria hæc diſerte Auctor notat. Quis jam concludet, judicium perfectum contigiſſe die ſexto; ab eoque judicio curationem pependiſſe totam? Sane menſibus feminas optime judicari vidimus

in

in recenſione Ægrorum apud Hippocratem: nam vidimus 20 *die. No.* 3. judicium feminæ, quæ naturales evacuationes per pulmones non habuerat, contigiſſe per menſes; ut & uxori Cleomenis quarto die pleuritidis: immo *l.* 1. *Epid. p.* 953. ait, febri ardente feminas multas quoque laboraſſe in illa epidemica conſtitutione; easque multas habuiſſe aut largas narium hæmorrhagias & menſes copioſos, aut alterutrum: idem repetit *p.* 955. Simile quid potuit contingere in virgine *Lariſsæa*; quum ſub ipſis febribus jam adfuiſſe menſes dicantur: ita ut, licet 6. die evacuationes criticas habuerit, tamen inde minus tuto judicata fuiſſet, niſi per menſes quoque etiam aliis diebus judicata fuiſſet. Confirmant incipientis coctionis in urina ſigna; confirmat alvus a 3. die cum euphoria contingens & continuans, coctionem & criſin magna ex parte incœpiſſe ante 6. diem.

Igitur quum die ſexto 13 perierint, 11. recidivas habuerint, (aut alio die judicati) una vix videatur eo die integre judicata; ſupereſt denique pro *ſexto die* nihil, quo inter criticos *bonos* recenſeatur, manebitque ſemper ſuſpectiſſimus.

Videtis igitur, quid ſit *ſtudium Hippocraticum*, nempe nudæ veritatis per obſervationes contemplationem, ſine admiſto ullo ſyſtematico ratiocinio. Si Asclepiades, ſi *latiniſſimus* Celsus aliique intellexiſſent Hippocratem, an inſimulaſſent tantum virum ſtudii Pythagoricorum numerorum? Certe quum obſervationes hæ toties ſeptenarium numerum deſtruant, quumque modo ex ſimpliciſſima hiſtoriæ obſervatione natæ fuerint, cadunt omnia, quæ in contrarium adferri queant, manebitque ſuus ſartus tectus Hippocrati honos per omnia ſæcula.

Sed

Sed contra argumentantur alii, & dicunt, etſi ſubponamus, vera ea omnia eſſe, quæ HIPPOCRATES ſcripſerit, ea tamen noſtris ſæculis haud eſſe ita: unde vilipendunt illi ſtudium *Hippocraticum*; non ex eo, quod HIPPOCRATEM erraſſe crediderint, ſed quod potius ultra haud contingant ea ſigna morborum judiciaque, quam ipſius temporibus: adeoque ſtudium *Hippocraticum* hisce diebus eſſe inutile. Immo ipſa Londinenſis Societas Scientiar. Regia ante aliquot annos præmio cohoneſtaturam ſeſe dixit, qui bonis rationibus exponeret cauſas, cur illas notabiles mutationes HIPPOCRATI in morbis obſervatas, hodie minus obſervemus.

Certe reſpondeo negando ſubpoſitum; 1) enim contra veritatem eſt, quod hodie ea minus obſerventur, quam olim.

2) Contra veritatem eſt, quod olim morbi non eſſent obſervati ſine magnis mutationibus, quod ſimul & ſemel morbi judicarentur ſine criticis ſignis paucis, immo ſine ullis, æque atque nunc. Hæc duo mihi probanda ſunt, incipiendo ab ultimo.

1) Tempore HIPPOCRATIS erant criſes ſine notabili admodum mutatione; nam in hiſtoriis ægrorum in libris Epidemicorum miramur aliquando judicationem fieri evacuatione, quam non ſemper præcedunt omnia illa ſigna, dicta, *perturbationes criticæ*. Sane, qui vellet omnia ſigna exſpectare, paucas criſes videret: maximum ſignum eſt, prægreſſa coctio, dies bonus, morbi in meliorem mutatio poſt evacuationes.

2) Tempore HIPPOCRATIS erant quoque judicationes admodum tardæ. Vidimus enim bis, ter, quater, naturam repetiviſſe circa varios remotiſſimosque dies criticos, ſuam operam, ut materiem morbificam eliminaret. Vidimus id non modo octo exemplis criſeos factæ die ſuſpecto, nempe ſexto, verum etiam

die

die 5. bono, pluribus exemplis die 7., die bono 11., 24., &c. erunt ergo criſes non integræ, ſed dubiæ.

3) Erant tempore HIPPOCRATIS morbi, qui criſi viderentur carere. *Libr.* 3. *Epid. Sect.* 3. *p.* 1085. „Erat autem febrium ardentium, quæ tunc obtinuerunt, conſtitutio hujusmodi: Urinæ multæ, tenues; neque judicatorii, neque boni quidquam habebant: neque his, qui ita adfecti erant, aliud quidpiam decernens aderat. Neque enim rite, & ut debebat, ſanguis de naribus profluebat: neque aliud quidquam eorum, quæ abscedere nata ſunt, judicatione tentabatur; moriebaturque unusquisque vago & incerto modo, prout ſors ferebat; ut plurimum circa judicationes: quidam vero longius producti, cum vocis defectione, nonnulli cum ſudoribus.“

Etiam *libr.* 1. *Epid.* de alio morbo epidemico agens *p.* 941. ait, multos certis quibusdam diebus judicatos eſſe, tum mox addit: „Erat, ubi ne ſic quidem ut cæteri judicarentur, ſed errabunde & nulla obſervata judicatione quibusdam morbi hi deſinerent.“

Pag. etiam 945. de alia anni conſtitutione agens, ita habet, ubi febrim deſcripſerat: „Diuturna itaque & difficilia hæc erant, valdeque inconpoſite & errabunde, atque citra ſolutionem horum plurima; tum his, qui exitialiter valde, tum his, qui nequaquam ſe ita haberent, permanebant: ſi quibus enim aliquantulum intermitterent, in illis celeriter reverſiones faciebant. Eſt, ubi quibusdam, iisque paucis, ad octogeſimum, quum breviſſime judicatione ſolverentur, nonnullis repeterent, ut etiam hyemem eorum plurimi ægrotarent. At vero hæ febres plerosque ægros absque ulla judicatione deſerebant: idque tum his, qui ſuperſtites fuere; tum, qui mortui ſunt, ex æquo contigit. Quumque multaeaque varia in his morbis ἀκρισια, (judicationis abſentia,) maximum ſane

&

peſſimum ſignum plerosque omnes ad extremum usque proſequutum eſt, quod cibos omnes averſarentur, iique maxime, qui cætera quoque exitialiter haberent &c.

Notandum, paullo poſt eumdem HIPPOCRATEM, deſcribentem febres ardentes exortas, easdem ita deſcribere, ut more ſolito judicantes.

Sufficiant porro hæc, ut, quæ Vobis promiſi, demonſtrata habeatis. Ubinam nunc differentia inter morbos tempore HIPPOCRATIS & temporibus noſtris? Erant tunc temporis criſes brevi corpus ex ægroto in ſanum reſtituentes; erant criſes tardæ, aut ſæpe repetentes; erant & morbi ἀκρίσιμοι. Quid aliud nunc? An forte BAGLIVIUS rem acu tetigit, dum dicit, miri nihil eſſe, multos ita loqui Modernorum, quia ſuis v. f., aliisque evucuantibus ita naturam debilitent, ut ſit impoſſibile, obſervare criſes? Immo regimine calido, & calidis, aut ſtulta medicamentorum farragine ita turbant naturam, ut penitus illa ſcopo aberret. Hos ipſos homines ſuo jam tempore HIPPOCRATES arguit, dum cauſam naturæ, in criſin non tendentis, refundit in tales Medicos, qui perverſe medicarentur.

Puto itaque omnibus ſatisfactum difficultatibus eſſe. An, dum id egi, non mirabamini præſtantiam *librorum Epid.* HIPPOCRATIS? Sane non ſapiunt aut redolent conſuetum ſcribendi morem, ſycophantice curas laudare proprias, quas alii ſi imitantur, infortunatas experirentur. Caſus ſuos notabiliores maxime adnotavit HIPPOCRATES, & forte plures ſiniſtros, quam fortunatos; quum ex felicioribus paſſim minus erudiamur, quam ex infortunatis.

Hinc *Th.* SYDENHAMUS, *Præfat. p* 19. 20—22., totus effunditur in laudes HIPPOCRATIS, quem quidem ille non adhibuit, niſi conferendo cum ſuis propriis,

priis, per tot annos factis, obſervatis. (Quum aliunde in cujusvis Medicorum manibus opera SYDENHAMI fore confidam; non neceſſarium credidi, ut longiorem ab HAENIO adlatum *locum cit.* ex *Præfat.* denuo transſcriberem.)

Hinc *magnus* DURETUS *p*, 267. *Coac.* HIPPOCRAT. „ fremant, inquit, licet omnes, dicam tamen, quod ſentio, majorem ſcientiæ & praxeos ubertatem conparari a Studioſo HIPPOCRATIS uno die, quam ab iſtis Pragmaticis uno ſæculo. "

BAGLIVIUS, §. 1. *in Practicen novam*: „ Quum igitur, inquit, conpererim, hac via me nunquam ad optatum exitum perventurum, miſſis cæteris libris, totum HIPPOCRATIS me ſtudio tradidi; aliquam bene medendi rationem inde adſequuturus: & quum eum non ſemel relegiſſem & prope memoriæ mandaſſem, proprio Marte volui in Italiæ noſocomiis dictorum illius periculum facere: nec ſine admiratione deprehendi doctrinæ illius veritatem, tanquam ex tripode prodeuntem; cognovique illum eſſe demum verum artis medicæ ducem, magiſtrum & auſpicem &c.

Sed quid opus eſt, aliorum petere teſtimonia ad confirmandam doctrinam Hippocraticam; quum teſtimonium majus non ſit Veſtra ipſorum *ἀυτοπσία*. ? Ipſi enim Vos vidiſtis, me per 20 fere menſes occupatum curandis in noſocomio ægris methodo *Hippocratica*. Animadvertiſtis, me facta diagnoſi morbi ad prognoſin accedentem, inpavide Vobis futura prædixiſſe; ea, qua HIPPOCRATES jubet, prudentia & circumſpectione. Provoco Vos omnes, an Hippocratica verba, ſi ea Vobis pro certis dedi, aut pro dubiis, unquam Vos fefelliſſe videritis? Igitur non opus eſt ultra, teſtimoniis conlatis Vos inconcuſſæ Hippocraticæ veritatis

convincere; ſatis quippe abundeque convicti eſtis. (*) Igitur reſumamus relictam §. 931.

In morbis acutis, qui in humoribus conſiſtunt, diſponitur ut plurimum certo tempore materies morbi ita, ut fiat ſubita mutatio morbi in ſanitatem vel in mortem.

Subita mutatio ſæpe fit, ſæpe & *lenta*; uti ex adlatis HIPPOCRATIS teſtimoniis patuit, & ut praxi quotidiana cernimus.

Ut plurimum: quia ex HIPPOCRATE vidimus, dari morbos, quibus decretoria nulla: hinc non *ſemper* id ita fit, ſed *ut plurimum.*

Quæ permutatio criſis *adpellatur*: unde videtis, *criſes* æque in malum quam bonum morbi exitum dici. *Permutatio* ſemper critica, non vero ſemper *perturbatio* critica: illud ſemper; hoc ſæpe, non ſemper.

Criſis igitur non eſt evacuatio *morboſæ materiæ*, ſed eſt diſpoſitio quædam, mox exponenda, *materiæ morboſæ*; quæ materies ita diſpoſita tunc vocatur critica.

Se-

(*) Notandum autem adhuc circa *Aph.* 2—19., 1) aliquando naturam non judicare, ut ex adlatis textibus jam patuit: 2) naturam aliquando, licet raro, abludere a trita via, dum criſin facit: quæ quamvis rariſſima, tamen demonſtrant ὃ πάμπαν HIPPOCRATIS verum eſſe: 3) ipſe HIPPOCRATES *l.* 2. *Prædict.*, *mox in initio*, deſcribit, quibus modis Medici quandoque ab ægris decipiantur, dum errores conmiſſos celant; ita, ut prognoſticon & diagnoſticon Medici plane falſum fiat, ex hac conmiſſi erroris ignoratione. De H.

Secundum GALENUM *l.* 3. *de Crif. c.* 2. eſt vox hæc *criſis*, judicium ἀπὸ τῦ κρινέσθαι deſumta a foro judiciali, quia inter ſpem vitæ metumque mortis ancipites tunc ægri trepidant, veluti rei coram judice; incerti plane, utrum crimine abſolvendi ſint, an morte damnandi.

§. 932. *Cauſa talis motus eſt vis vitæ ſuperſtes.* Jam bis vidimus, *vi vitæ* fieri *coctiones;* nunc eadem vi vitæ docemur fieri *motus criticos*; ut intelligamus, quomodo ſemper ad vim vitæ ſit reſpiciendum. Quodſi itaque vel per ipſum morbum hominis vires plane projectæ ſint; vel per nimias v. ſ. & evacuationes alias Medicus ſuos ægros nimium debilitaverit, (*) ne exſpectetur criſis. Vis vitæ ſuperſtes unica illa cauſa eſt, quæ motum talem, *criticum* dictum, producere poſſit.

Verum materies morbi dudum adeſt in corpore ægroto, antequam hic motus oriatur; cur non prius arripiat illam materiem, moveatque, antequam vires per vim morbi nimis deterantur? Si naturæ hoc opus eſſet, oporteret illam viribus valentem id opus adgredi, & non morbo fractam.

Reſpondet *Textus: Cauſa talis motus eſt vis vitæ ſuperſtes, irritata a materie morbi, variis conditionibus prædita.* Vis vitæ a primo momento morbi operatur in materiem morboſam, ſi ea morbum fecerit; vel ſtatim, quando a morbo generata fuerit. Si vis vitæ ab initio debilior, quam ut agat in hanc materiem; vel ſi Medici præpoſteris ſuis evacuationibus & tenui

(*) Hæc cauſa, cur tot Medici negent, criſes dari; quod intempeſtiva evacuatione naturam ita debilitent, ut criſes fieri nunquam poſſint. De H.

diæta nimium debilitarunt ægros ſuos ; manebit morbi materies cruda, inepta prorſum , ut moveatur. Hinc vis vitæ, utcunque bona, ſive actiones dictæ vitales, perpetuo agunt in materiem morboſam, ut illa a ſtatu ſano alieniſſima, & ad motum inepta, reddatur minus aliena a ſtatu ſano, & ſic poſſet a locis, in quibus inpacta hæret, reduci ad corporis loca excretoria. Hoc eſt, quod ante vidimus ſub notione *coctionis: coqui* enim erat, naturali fieri ſimilius & a longinquo motui aptum reddi. Ad id porro opus certum tempus, in variis ægris varium , natura inpendere neceſſe habet; donec tandem materies cocta ſiat mobilis. (*)

Ut

(*) Sumamus exemplum in peripneumonia : a primo momento agit vis vitæ in locum inflammatum :

1) urget a tergo ;

2) calore fovet, ut ſolvatur ;

3) urget reſpiratione incitatiori, ut perprimat ;

4) tuſſim excitat, ut vel in venas ducat, vel in cavum aëreum ;

5) ſæpe ſitim excitat, ut homo multum bibat, atque ſic materies diluatur.

Si vis morbi non eſt nimis magna, utique reſolutio benigna fieri poteſt a natura : immo poteſt fieri, ut natura ſine Medico per hos omnes motus materiem reddat minus a ſana alienam, id eſt, probe coquat, intra ſanguinem ducat, criticas perturbationes excitet, ac per loca convenientia educat. Paſſim vero omnia hæc naturæ molimina inutilia ſunt, quod cruditas materiæ ſit tanta , ut in motus tales excitet naturam, quibus cruditas adhuc augeatur. Si interim robuſtæ ſint

vires

Ut evacuetur, ut transmigret vel ut occidat: in his tribus hiſtoria omnis morbi continetur. Materies morbi jam mobilis facta a viribus vitæ, ita ante eſt præparata, ita nunc eſt ab eadem vi vitæ mota, ut ad

---

vires hæ tandem continuata ſua actione domant id crudum, ut minus noceat, ut minus ſit a natura alienum: ſic fit *coctio*. Si pergant vires bonæ eſſe, movent materiem coctam ex finibus art. pulmonalis & vel transprimunt in cavum aëreum, vel in initia venarum.

Porro ad opus hoc perficiendum natura

1) ſolet indigere certo quodam tempore, ut æquo Marte pugnet cum cruda materie;

2) indiget certo quodam tempore, ut deinde ipſam hanc cruditatem permutet;

3) definito ergo tempore eget, ut aptam ad motum reddat materiem motamque expellat.

Hinc vero dies certi notantur ſola obſervatione noti, quibus natura indiget, ut opus hoc perficiat.

Sed cur ita per quaternarios, & ſæpe inæquales? Cur id non poteſt citius? Naturam ut factam a Creatore intuemur, quæ ita agit, quia ſic a Deo facta.

(Pro diverſa ratione temperiei; ætatis; roboris; vitæ generis ante acti; fomite & prædiſpoſitione varia morbi hujus illiusve, corpori ante inhærentis; climatis; anni temporis; methodi adhibitæ medendi, magis minusve bona, aut perverſa; cruditatis ipſius, validiores nunc aut remiſſiores vires ad ſui pepſin requirentis &c.

corporis excretoria loca ſenſim ducatur, ſecernatur, excernatur. Fit id bonis ſputis in pulmonum & thoracis multis morbis; vomitu, alvo, in aliis; ſudore in aliis; urina in aliis; menſibus, hæmorrhoidibus, hæmorrhagia narium in aliis; immo in pluribus per varia loca ſimul.

Verum ſæpe haud ita felices ægroti eſſe queunt; cocta quidem materies eſt motaque eadem, ſed ducitur minus ad loca communia excretoria; quin potius *nova excretoria loca adfectat*, ad aures, ad tibias, ad hypochondria, ad artus extremos. Si ad hæc loca magna vi adpellat, & viam ſibi ſola, aut arte adjuta, faciat, integreque inde exeat, paſſim homo perfectam ſanitatem adipiſcitur. Si vero natura debilior, quam ut omnem materiem conſequenter expellat, onerata manet natura eadem, & vel iterato inpetu debet eam via illa aliave, expellere, vel in internis ſuis penetralibus detinere; quando ſive lentos morbos, ſive ipſam mortem facit, prout illa viſcera ſe habent, in quibus remoratur. Varia exempla apud HIPPOCRATEM ſunt apoſtematum ad aures incipientium ad criſin; disparentium

---

diverſum pariter requiretur tempus, quo natura munere ſuo fungatur, ſi robuſtæ ſatis fuerint vires; aut ſuccumbat, ſi languidiores defecerint. *de* W.) Cur, inquit SYDENHAMUS, diverſa animalia ad diverſam ætatem acmen adipiſcuntur? Cur diverſo tempore, eoque circiter definito, ex ſemine arbos, fructus, ſemen novum? Cur paſſim mater 9. menſibus indiget, ut maturum fœtum producat, vacca dimidio tempore, canis 9. ſeptimanis? *de* H.

tium dein & mortem facientium, aut alios morbos, aut aliquando urinæ viis ſe exonerantium.

Tandem ut *occidat.* Vis vitæ ſuperſtes movet quidem materiem; ſed vel hæc haud cocta ſatis, aut illa non ſatis valida, in cauſa ſunt, ut materies mota haud promoveatur, ſed hæreat intra ſanguinem, quem corrumpit ita, ut ineptus ſit vitæ continuandæ, vel ut amandetur in loca, quæ inpulſum transitumque talis materiæ haud admittant; ut ſunt cerebrum, cor, pulmo &c.; unde brevi mors ſequitur. Ad hæc tria omnia dicenda referuntur.

§. 933. *Si ad evacuationem, vel mutationem loci, apta eſt materia, nondum tamen ſimilis ſalubri*, ut nunc deſcripſi, *parit mutationem in motu humorum diverſam ab ea conditione, qua in corporibus ſanis fieri ſolet*; *vocatur* PERTURBATIO CRITICA.

Momento ante materies morboſa in vaſis quibusdam loci inflammati, aut in magna parte capillarium hærebat fixa, inmota. Jam per vim vitæ ea materies facta mobilior, incipit transfluere per obſtructos canales arterioſos in venas; movetur cum ſanguine venoſo verſus cor, a corde mittitur in pulmones & reliqua vaſa totius corporis. Si materies hæc fuiſſet vi vitæ ita naturalis facta, ut poſſet curſum cum reliquo ſanguine perficere inculpate; foret *benigna reſolutio*: jam vero non eſt talis: eſt ecquidem minus aliena a ſano ſtatu quam olim, tamen inepta prorſus, ut miſceatur cum reliquo humore; inepta, ut per vaſorum anguſtias omnes transeat: hinc *perturbatio* accedit in illo corpore, v. g. in pulmone, ſi non poſſit transire, magna anxietas; ſi in cerebro, delirium &c., una cum nova febri per totum corpus. Hæc proprie dicta *perturbatio critica.*

§. 934. *Illæ autem permutationes, quæ a vi vitæ, incipiente movere, circumducere, miſcere, ſeparare materiem criticam, oriuntur: &c.* movere a loco, ubi inpacta hæſerat; circumducere cum reliquis humoribus; miſcere cum illis; ſeparare ad organa ſecretoria; illæ ergo permutationes, *ſi fiunt ſenſibiles, adpellantur* SYMPTOMATA CRITICA, decernentia brevi de futuro hominis ſtatu, *ſuntque ſigna criſeos jam natæ*, ſi cito a motu materiæ fiat ejus ad aliquod excretorium organon determinatio, *aut mox futuræ*, ſi adhuc cum ſanguine circulante oberret.

Horum diſtinctio difficilis, ſi bonis regulis careamus, quibus perturbationes criticas diſtinguamus a ſymptomatibus morbi: nam morbus poteſt novum ſymptoma accipere a cruditate, quod non idem fieret a perturbatione critica. Materies febrilis poteſt cruda moveri aliquando ab aliquo errore conmiſſo, infigique v. c. in latus, ut fere pleuritis ſit: idem ſymptoma naſcitur a mota materie critica. Videtis, in utroque homine adeſſe ſymptoma pleuriticum, quod paullo ante non aderat; quod tamen in uno curandum, in altero forte ſibi relinquendum.

Ignoratio damni & periculi pleniſſima,

§ 935. *Sæpius enim confunduntur cum ſymptomatibus a cauſa morbi* Veniant nunc ad tales ægros, qui, nullos dies, ſignave obſervantes, modo in unaquaque viſitatione ſymptomata moleſta curent. Hi utraque de cauſa natos dolores æque ſatagunt conſopire. Morbus v. c. natus eſt acutus ex comeſſationibus & materie corrupta bilioſa in primis viis & cum vomitu incœperat. Jam iterum incipiunt nauſeæ adverti. Putant partem cauſæ adhuc hærere, & vel emetico, vel purgante expellere conantur: ſi nauſeæ illæ nascantur a per-

perturbatione critica & a motu morbosæ materiæ versus ventriculum, possunt naturam, jam turbatam, ita commovere vi emetici aut purgantis, ut demum negotio incœpto peragendo inpar, morbosa materie onusta maneat.

Morbo. Materies morbosa in critica perturbatione cum sanguine mista anxietates excitat in pulmone, ait Medicus. Febris hæc fit maligna, morbus augetur, & tota vis ejus in unum decubitura pulmonem videtur & productura peripneumoniam. Mittam illico sanguinem larga copia, ut id prævertam. Sic debilitat naturam in suo opere; quod opus unice a conservatis naturæ viribus potuerat peragi.

Vel cruda materie morbi ortis. In febri continua putrida nascitur die 7. 11. 14. 17. delirium. Ignarus legum coctionis, vel praxi raptim exercitata negligens earum, tantum curo symptomata omnia, tanquam morbus adhuc crudus esset, & turbo naturam totam: nihil miri, quod tales dicant, se in sua luculenta praxi crises non observare: ipsi, quo minus observent, in causa sunt.

Unde plerumque sequitur infaustissima medendi methodus: si enim natura intempestivis evacuationibus turbetur & langueat, oritur facies morbi talis, ut Medici non amplius suum morbum cognoscant; nam nunc una pars, nunc alia, laborat, & natura propellendæ expellendæque materiæ viribus inpar, manet semper hac onerata & nova prœlia quotidie debellanda habet: quæ nova symptomata, iterum palliative curata, efficiunt, ut æger demum succumbat, vel incidat in chronicum. Audivi præsens Medicos gloriantes, quod homines, pluribus morbis conquassatos & bonitate naturæ tamen periculo emersos, sua arte restituissent: quos tamen ipsi prava arte in tot tantaque pericula conjecerant. Glorioſi

hi Medici tamen tantam auctoritatem inde ſibi conciliabant, ut æger diceret, ſe nunquam alio velle Medico uti; ſexies ſe mortuum fuiſſe, ſi alio uſus fuiſſet; & ut ille, ita tota familia. Sic audacia juvat, ut ſutorem apud PHÆDRUM!

Nihil itaque utilius Medico, quum ſymptomata perturbationis criticæ bene internoſcere ab illis, quæ a cauſa morbi, a morbo, vel materia cruda orta ſint. Hinc ait *Textus*:

§. 936. *Signa vero, quibus internoſcuntur ſymptomata critica a morboſis, ſunt primaria hæc:* 1) *Symptomata illa oriuntur a vi vitæ, ſuperante vim morbi; hæc autem a vi morbi prævalenti ipſi facultati vitæ.* In ſtatu cruditatis, ad nova ſymptomata doloris, vires ſimul projiciebantur, vel ſaltem inminuebantur, & coctio non erat facta, niſi iteratis viribus vitæ cruda materies demum inciperet coqui. Si vera ſint ſymptomata critica, videmus ſub ipſis his vires eſſe bonas conſtantes, non inminutas. Hæc unum ſignum; ſed ſequentia magis convincunt.

2) *Illa fiunt prægreſſa coctione, ſuis ſignis manifeſta, & bona reperta; hæc in cruditate conperta.* Coctionem utique noveramus ex eo, quod morbus ultra non adſcenderet, ac interim vires vitæ conſtarent; ex eo, quod ſymptomata doloris, delirii &c. mitigarentur; ex eo, quod functiones ſe melius haberent minusque læſæ; ex eo, quod humores omnes, urina, alvus, ſudor, ſanguis, minus a ſtatu ſano alieni eſſent. Ergo his ſignis prægreſſis bonæ coctionis & novis ſymptomatibus ortis, vita conſtante, magna cum ratione concludo, eſſe ſymptomata critica.

3) *Illa fiunt circa tempus proprium criſi; hæc omni tempore, maxime in augmento.* Vocor cito ad ægrum,

ægrum, quem non pejus ultimo inveneram ſe habere. Habet dolorem enormem capitis, ut dicat ſe deliraturum, ſi duret. Volo ſcire, an ſit *ſymptomaticus* dolor, an *criticus*: examino, an morbus ſit in augmento, an vero jam ſtet; examino, an habuerim ſigna coctionis ex eo, quod morbus ultra non adſcendat, vitæ viribus conſtantibus; ex eo, quod ſymptomata dolorum mitigentur; ex functionibus minus læſis; ex humoribus a ſtatu ſano minus alienis: novi, jam poſſe criſin inſtare. Subputo diem morbi; ſi ergo brevi inſtet aliquis criticus dies, dico meo ægro, ut velit brevi tempore exſpectare; brevi fore omnia mitiora: haud licere naturam in opere ſalutari turbare. Si tamen inpatiens ſit, poſſumus ſuadere, ut aqua roſarum tempora parum lavet, ut videamur aliquid agere, interea dum agimus nihil.

At vero, ſi me æger vocet, qui poſt meum diſceſſum vehementi dolore capitis adfligitur dum dies criticus haud inſtat, ſecunda v. c. die morbi acuti; dum omnia cruda ſunt, v. c. die ſexta & duodecima, ut criſin necdum queam exſpectare: dum febris & reliqua ſymptomata adhuc increſcunt: tunc ſane negligere poſſum ægrum non adtendendo peculiariter ad hanc kephalalgiam: forte adhuc v. ſ. opus eſt, aut balneo pedum, aut enemate, aut refrigerantia capiti circumdanda ſunt, aut veſicans adponendum; ne ex meo neglectu ferox nascatur delirium.

4) *Illa brevi levant; hæc cito nocent.* Si ad hominem, de quo mox, vocatus videam prægreſſam coctionem & criſin inſtare poſſe, utique novi, hoc ſymptoma kephalalgiæ, ſurditatis &c. oriri poſſe ex materie morboſa cum ſanguine mota & ob conditionem ſuam in minimis membranarum cerebri vaſis parum retardata. Hinc per horam 1. 2. 3. adtentus ad omnia exſpecto, ut videam, an brevi poſt non mitigetur kephal-

al-

lalgia & an non alia jam ſigna futuræ criſeos adpareant. Sin minus, hæreo, quid ſit; maxime dum tamen coctio iam prægreſſa ſit. Rogo, an aliquid conmiſerit, unde illud ſymptoma? An iratus fuerit? An clam me nonnihil ſumſerit vini? An forte cubiculum & calefactum nimis & clauſum fuerit? Si dolor in latere ſit, rogo, an refrigerii cauſa ſtragula lecti abjecerit? An frigide quid biberit? Forte aliquis ejusmodi error conmiſſus potuit id excitaſſe. Igitur tunc conor dolorem mitigare omni ratione: ſi febris inde longe violentior orta eſſet, dolorque magnus, miſſiuncula ſanguinis, epithemata emollientia, leniſſimum paregoricum mitigarent dolorem. Si febris reliquaque ſymptomata inde vix pejora redderentur, conarer citra v. ſ dolores moderari, ne citra magnam neceſſitatem corpus debilitando in cauſa forem, ne tempore debito bona criſis fieret. Sed, ut dixi, ſi ſymptomata nova urgerent, quæ naturæ vires frangerent, agendum eſſet prudenti evacuatione, ut mox dixi.

§. 937. *Primaria illa ſymptomata critica & ſigna ſunt hæc, quæ criſin evacuantem præcedunt*: nam ſi ſequerentur criſin evacuantem, ortum eſſet ſymptoma ab errore forte aliquo conmiſſo; ut apud HIPPOCR. v. g. PHILONIS filia, quæ poſt criſin evacuantem tam prava ſymptomata habuerat, ex eo quod intempeſtive cœnaſſet, ut moreretur. Ergo, ſi eſt ſymptoma criticum, debet illud ante criſin evacuantem præceſſiſſe.

Poſt coctionem: toties enim jam vidimus nullam criſin, proindeque nullum ſymptoma criticum poſſe exſpectari unquam crudo morbo. Ergo tunc non eſt, quod cogitem, ſymptoma novum criticæ perturbationi adſcribundum eſſe; ſiquidem cruditas vetat ſperare criſin.

Tem-

Tempore critico: igitur, si necdum ulla crisis evacuans præcesserit; si coctio jam sit prægressa; si jam instet dies 3. 5. 7. 9. 11. 14

Subito: non enim nascuntur talia, ut alia de causa, quando hodie aliquid, cras paullo plus, sequenti die iterum plus, symptoma, sive anxietatis, sive doloris, augeatur; sed ab impulsu materiæ morbosæ in aliquam partem, nascuntur symptomata subita & gravia.

Sine nova manifesta morbi causa: ut paullo ante dicebam: potuerat æger aliquid comedisse, bibisse, vel ira, terrore, mœrore, nuntio ingrato, adfectus fuisse; vel nimium extra lectum hæsisse, vel aëra frigidum hausisse: tunc suspicio est, ne tale symptoma non sit criticum, sed symptomaticum. Est tunc prudenter, ut mox monui, agendum, ne vel novum hoc symptoma, jam alioqui cocto morbo & instante crisi, adgrediamur nimis heroice; vel ne etiam nimis negligamus.

Peccare tamen optimus Medicus hic posset, sed insons; sola, aut ægrorum, aut adsistentium, culpa; dum illi reticent studio, immo mendacio; commissos tegunt errores.

Sequuntur nunc ordine primaria illa critica symptomata, quæ singula mature perpendenda & exponenda.

1) *Oriens stupor*: homo olim bene respondebat & omnia interrogata intelligebat eratque adtentus ad horam, ut alimenta, medicamenta, nec calide nimis, nec nimis frigide sibi porrigerentur: id hodie mane adhuc ita erat. Redeunte mihi vesperi tota familia anxie occurrit ob magnam hanc ægri mutationem, cui aliquid subdoli & maligni subliteſcere augurantur; vix enim jam curat quidquam. Revera posset aliquando sic esse: nam Medici haud lubenter vident sæpe citas il-

las

las mutationes. Non foret mirum, ſi hic homo cum tali in ſtuporem mutatione pejor fieret & moreretur. Quamvis enim coctio præceſſerit & criſeos tempus ſit, poteſt materia morboſa tam firmiter infigi in enkephali vaſis, ut obprimat cerebrum, ut delirium faciat lethale.

Quid ergo aget Medicus, videns familiam ob hunc ſtuporem totam conſternatam? Sit animo præſens, neque re haud probe examinata, præceps det reſponſum. Inquirit in cauſas procatarcticas? Dicunt, nihil erroris commiſſum eſſe. Coctionem prægreſſam cogitat, novit criſin inſtare: examinat, an cum hoc ſtupore vires vitæ aut magnopere ſint infirmatæ, aut nova febri materiem ad cerebrum ducente, admodum exagitatæ? Horum ſi alterutrum, eſt metuenda criſis funeſta. Sin vero cum hoc ſtupore vires vitæ conſtent, ſigna coctionis perſtent, nullum aliud ſymptoma ſimul inſurgat; poterit familiam conſolari & ſic reſpondere: hucusque ille ſtupor, potius bonus, quam pravus eſt: res eſt in criſi: habemus rationem ſperandi, fore ut bona fiat criſis; licet quandoque aliter contingere poſſet; nam criſeos tempore pugna inter materiem morboſam & vitæ vires eſt: ſed ſpes hucusque bona: cæterum: quia mihi non licet naturam interturbare, debeo hoc ſymptoma pro aliquo tempore ſibi relinquere videreque, an deinceps brevi abeat, ut critica ſymptomata ſolent.

2) *Somnolentia*; ſtuporis gradus major; ubi æger ſolito magis in ſomnum inclinat, vixque tecum loquitur, quin brevi ſomno abripiatur. Cauſa ſtuporis & hujus cauſa eſt; idem denotans & indicans, quam cauſa ſtuporis.

3) *Sopor*; augmentum modo rei ejusdem cauſaque eadem. Morboſa materia in quibusdam epidemicis, ut haud ita pridem vidimus & in noſocomio confirmatum habuimus, quandoque comatoſum hominem facit,

cit, perpetuo in cerebrum incumbendo. Cæterum præter peculiares quosdam casus, haud adsolet sopor ille durabilis esse (*). Inquietudinem autem majorem parere non debet, quam somnolentia aut stupor; si adcurato rerum examine saporem videamus esse criticum symptoma.

4) *Vigiliæ*; obpositum sane symptoma, sed eadem origine natum. Morbosa materies, acris, dum infixa hæret in cerebri membranis, easdem vellicat, irritat; unde jam vigiliæ loco somni, quamdiu durat decubitus vel retardatio materiæ ibi loci. Causa igitur intellecta prognosin non gravat.

5) *Delirium*; progrediente hac irritatione turbatur cerebri cortex, secretio spirituum; medulla cerebri agitatur; unde mox deliria.

6) *Anxietas*. Morbosa materies, circulationi ineptior, ducta jam in arteriam mesentericam indeque in hepar, ad fines venæ portarum retardatur, adcumulatur, & anxietates facit; eo, quod hepar inde turgens impediat actionem diaphragmatis & musculorum abdominalium. Itidem morbosa materies ex corde dextro pulsa in art. pul-

(*) Exceptio tantum est in casu comatis durabilioris apud Sydenhamum; qualem habuimus semel in nosocomio. Verum non potest dici coctio perfecta, quando oritur sopor hic: si perfecta esset coctio, & sopor foret a perturbatione critica, non duraret diu: verum in casu Sydenhami erat materies non bene cocta, nondum bene subacta, quæ in enkephalo diuturnam moram trahens sensim coqueretur & posthac evacuaretur. De H.

pulmonalem & ad ultimas ejus anguſtias hæſitans, impedit actionem pulmonis, ut homo cogatur majori vi animam ducere conqueraturque, ſe habere inſolitas anxietates.

7) *Dyſpnoea*, eſt gradus auctior, ita ut pro tempore jam levis nata peripneumonia ſit. Dico: pro tempore; nam ſi duret, lethalis peripneumonia poteſt a tali cauſa oriri.

8) *Nox moleſta*: *v. Aph.* 2—13. Nox, i. e. tempus omne, quod brevi præcedat criſin: ſi enim circa noctem criſis futura ſit, paſſim die illa præcedente laborioſius habent ægri; ita ut eodem in ſitu haud diu permaneant, ſed agitentur continuo; eo, quod materies moveri per vaſa cœpta, non niſi incommode cum ſanguine circumferatur; eſtque incommoda hæc moleſtia veluti agitatio naturæ, ut motu aucto per has moleſtias materia morboſa diu alicubi morari haud poſſit.

9) *Rigor*, *horror*, *frigus*: hæc invicem ſolent ſequi, aut unum alterum producere; nonnunquam vero ſeparatim exiſtere. HIPPOCRATES *Aph.* 5-20. rigores ſcribit aliquando a frigore: „ulceribus quidem mordax cutim obdurat, dolorem inſuperabilem facit & rigores febriles.“

Materies morboſa duplici de cauſa poteſt hæc ſymptomata generare: 1) ſtimulo, 2) transitu. Stimulo agitando vaſa ad primum motum. Vaſa irritata ab hac materie conſtringunt ſe, unde pro momento riget, horret, friget, homo. Vis autem vitæ incitatior facta retardatam a vaſis contractis materiem eo fortius in eadem vaſa inpellit, donec perprimat eamdem: per aliquod tempus videmus ægros per totum corpus exhorreſcere, & notati hinc in plerisque perturbationibus criticis boni effectus. GALENUS *Comment.* 3. *Text.*

Text. 19. *in 6. Epid.* „ Ab his cauſis rigent, tanquam ab aliquo acri, ſenſibilem carnem lædente.“

Sed 2) horror, & rigor, & frigus, inde oriuntur, quod, ubi momento ante magnus erat adtritus, ac proinde calor, ad loca obſtructa, eo quod ſanguis corde pulſus continuo in obſtructa arietaret, ſi jam mobili facta materie, & ex arteriæ anguſtiis in venas ſuscepta, vis cordis nullam ultra reſiſtentiam inveniat, ceſſet mox ille magnus adtritus calorque, ita, ut homo pro aliquo tempore videatur ſibi frigescere & exhorrescere. Huc pertinet *Aph.* 4. 58. „ A febri ardente detento, rigore ſuperveniente, ſolutio ſit.“

Hæc idea habenda hujus phænomeni eſt, ſimulque nos convincit, pernicioſum eſſe, ſi homines in morborum acutorum adſcenſu ſtatuque & decremento frequenter horrescant; uti pluribus in locis id damnavit HIPPOCRATES cernimusque in multis ægris, quos mors abripuerit, id ab eo notatum eſſe. Concedimus, cauſas bonas eſſe tempore criſeos; at vero, ſi præter hoc tempus frequenter contingat, tempore cruditatis, notat moveri crudam materiam, quæ excretioni inepta adgravabit corpus. Si tempore criſeos, notat partem materiæ morboſæ modo ſolvi, & cum ſanguine miſceri, & ſæpius ad quamque partem ſolutam eosdem labores eſſe ſuſtinendos criticos; unde vires debilitantur: nam jam materie partim modo ſoluta æger non ita recreatur brevi poſt, abundante materie morboſa ſemper onuſtus.

Longus ille morbus EPICRATIS uxoris, *Epid. I. p.* 979., poſt tot ærumnas demum 80. die judicatus, habuit prima die rigores, qui non incaleſcerent, & ſecunda die iterum, 8 rigor & 14., ad 20 iterum riguit & ſoporem habuit.

Mali ergo tales rigores, nec ſustinendi, niſi a corpore ſatis forti; hinc in *Aphorismo* 4—46 „ ſi rigor incidat febri non deficiente, ægro jam debili exiſtente, lethale.“ Rigores non tantum malos, ſed lethales, dicit, ſi febris non remittat poſtea, corpore jam debili exiſtente: corpus tale novo certamini inpar ſuccumbit.

Mali dein rigores, ubi frigus manet. *I. Prorrhet. N.* 57. „ Refrigeratio cum rigore non recalescens, malum:“ & *ſect. II.* „ Poſt oculorum perverſionem in febri laborioſa rigor ſuperveniens, mortem denuntiat:“ & *Aph.* 7—7. „ Ex multa potatione rigor & deſipientia, malum.“ HIPPOCRATES perniciem aliquando præſagiebat ex rigoribus, ſic *Epid. I.* „ Quum febres ardentes modo inciperent, jam adnunciabat, quibusnam exitium inpenderet: ſiquidem ſtatim ab initio febris acuta eos corripiebat, a qua ſuperrigebant, inſomnes erant, graviter angebantur, ſitibundi, faſtidioſi &c.“

Rigores modo boni erunt, quando cocta materia, critico die adpropinquante, vel præſente, incipiunt; quando horrore, dein febri majori ſolvuntur; quando evacuationes bonæ ſequuntur. Itidem boni ſunt, ſi natura vel in intermittentibus febribus, vel in continuis, ad certos dies bonos redintegret motum criticum: boni etiam poſt convulſiones, ſi ſimul febris ſequatur; nam tunc id, quod nervum irritabat, dispellitur.

Rigores vero mali, qui carent omnibus ſignis his bonis; qui ſæpius & *ἀκρισιμῶς* repetunt.

10) *Dolor;* isque aliquando intolerabilis, inponens incautis Medicis, qui nullos dies, aut criticos motus, obſervantes, tantum ſymptomatibus novis continuo obviam eunt. Si materies mota latera nunc occupet, dolorem ceu pleuriticum excitat; ubi tunc

v. ſ. debilitatur natura, quæ jam opus viribus haberet, ut motam materiem demum ad excretoria duceret; concidit tandem, & morboſa materie onerata manet.

11) *Rubor*; a motu validiori humorum, quam ante; a pulmone non transmittente ſatis ſanguinem a venis exceptum; unde rubores. In critica peripneumonia id fieri poteſt: tum etiam a copioſioris ſanguinis adpulſu verſus cutanea vaſa, dum forte demum per ſudores criſis futura eſt.

12) *Titillatio*; ab eadem mox dicta cauſa, acris materies jam ducta verſus cutim, necdum penetrans, in vaſa cutanea inpingendo, hunc ſenſum titillationis excitat.

13) *Punctura*; aucta eadem actione; nam levis materiæ actio titillationem, gravior puncturam, facit.

14) *Gravitas*; dum enim copioſiores humores in aliquod membrum inferuntur, necdum ſudoribus transeunt, neceſſario pars illa cæteris eſt gravior ac ponderoſa.

15) *Denſitas in parte*; ſi a copioſiori humore pars gravior, eſt & denſior.

16) *Tenebræ*; ſi mota materies hæſerit v. g. in ramis carotidis, qui & per centrum optici, & per ejus ambitum decurrunt, certe turgida vaſa illa efficient, ut inutilis fiat nervus, & ut retina a nullis adficiatur imagunculis.

16*) *Vertigo* ab eadem cauſa fieri poteſt. Ex principiis opticis rotario objectorum difficulter exponitur: verum in omni plethora nimia, quæ certe in hoc caſu adeſt, vertigo talis obſervatur.

17) *Splendor*, *lux*; vel quia in inordinato hoc motu humorum nervi optici plus ſpirituum acci-

piunt, adeoque medulla vividius adficitur; vel quia fibris pupillæ radiatis accipientibus plus ſpirituum pupilla nimis dilatatur, ut nimium lucis inradiet; vel quod fibræ orbiculares pupillæ non ſat ſpirituum accipiant; ita, ut antagoniſtæ fibræ tum nimium dilatent pupillam; vel quia citra commercium nervorum in hoc inſolito motu humorum origo opticorum ita, adficitur, ac ſi revera ab objectis externis animæ repræſentatio talis lucis fieret.

18) *Lacrymæ ſpontaneæ in oculis;* ſpontaneæ ſcilicet, non ortæ, quod homo coram ſe videat aut thori ſociam, aut charos lacrymantes infantes. Oriuntur hæ vel a copioſorum humorum determinatione hoc tempore per carotides; aut ex acrimonia majori copioſorum humorum eo determinatorum; quum lege æterna tunc ad acrimoniam diluendam vicinis e locis eo copioſior fiat ſecretio. Vel forte pro tempore ſecretione ſpirituum ad oculos inpedita laxantur ora excernentia, ut ſecretus humor tunc copioſius excernatur. Omnia hæc vidimus.

19) *Nauſea;* ſi incipiant vaſa turgere circa ventriculum; ita ut ille inde incipiat irritari.

20) *Æſtus;* a febri & adtritu majori per hoc temporis ſpatium.

21) *Sitis;* adtritus & æſtus magnus adeſt, & pro tempore ſilent excretiones, quæ os, guttur, œſophagum, ventriculum, humectent: ergo a ſiccitate ſitis: forte etiam a ſtimulo acri; nam natura tunc ſpontaneo ad potandum ſtimulatur.

22) *Retractio hypochondriorum;* ſunt primæ convulſiones criſin per vomitum denuntiantes; jam enim materies morboſa incipit excerni verſus ventriculum, unde hypochondria convelli incipiunt; ut quisque in ſe obſervare potuit, dum eſſet vomiturus.

23)

23) *Tremula agitatio labii inferioris*; quam ut jamjam prodituri vomitus ſignum ſæpe obſervamus. Eſt ſatis mirum & explicatu difficile, cur ventriculo ſe ad vomendum disponente, labium inferius tremat? Cur inferius tantum, & non ſuperius? Sufficiat, ut futuri vomitus ſignum agnoviſſe.

24) *Lumbrici prodeuntes*; *v.* HIPPOCRAT. *l. de Prognoſt. p.* 40. THERSANDRI uxor reddidit ore lumbricos; vigeſima die eſt judicata, ſed non perfecte, *p.* 1121. EUMENIS conjux lumbricum vomuit, *p.* 1125., additque HIPPOCRATES in tota illa conſtitutione morborum *καὶ ϑηριώδεες ἐν τῇσι κρίσεσι, αἱ ῥιγώδεες, καὶ χολώδεες*; quod GALENUS interpretatur, „ & erant ad criſes verminoſi, horrentes bilioſi " *ϑηριώδης* HIPPOCRATI dicitur ſæpe *omne ferinum*, lupus, cancer, elephantiaſis, lumbrici. Hinc GALENUS bene videtur conjicere in morbo acuto ad criſin *τὸ ϑηριώδες* ſignificare lumbricos. — Habentur autem vermes æque circa prava, quam bona, judicia: nam „Senex qui una cum uxore ægrotabat, lumbrico craſſo rejecto refici videbatur, tamen periit circa vigeſimam." *Epid.* 1. *Text.* 12. *Aegr.* 12. „Homo qui incaleſcens cœnavit, multum bibit, & deinde hypochondrii dolore inflammatorio correptus acute febricitavit, cum pravis ſymptomatibus: ſeptima die ab alvo irritata liquida & turbulenta cum lumbricis feceſſerunt---- undecima periit."

25) *Surditas*; a mota materie morboſa; ſed oportet, ut ſolvatur brevi: novi, qui per totam vitam ſurdi inde manſerint, cætera judicati.

26) *Borborygmi* & *colici dolores*, dum criſis ad alvum futura ſit.

27) *Ictерus*; de ictero critico jam ſæpius dictum; paucis tamen rem nunc explicabo. Dum incipit materies moveri & cum ſanguine per corpus transfluere,

poteſt pro aliquo tempore, ut jam vidimus, in certo quodam loco, in peculiari quodam viſcere, hærere: ponamus nunc, hæſitare illam in hepatis parte illa, quæ eſt prope porum hepaticum, illumque parum hinc conprimi pro tempore: quid inde fieri poteſt? Ut intercepta hic hepatica bilis in ſanguinem regurgitet & icterum creet, ſolvendum poſthac, ubi materies iterum mobilior reddita non amplius conprimit porum hepaticum.

Sed cur in ictero critico tunc non tinguntur urinæ? Cur non ſunt albæ fæces? bilem admistam habent, quia veſicaria bilis libere poteſt fluere in duodenum. Urinæ non tinguntur, quia bilis hepatica refuſa in ſanguinem videtur vi valida circulationis maxime ad cutim amandari, difflanda illinc, mox ubi perfecta criſi ſudor aut perſpiratio prodierit.

§. 938. *Evacuationis criticæ præſentis ſigna habentur & producta ſunt, ſi poſt animadverſa §. 936. 937. &c.* Sit hoc ſemel dictum pro omni tempore. Fiunt aliquando deviationes naturæ, uti ex ipſo noſtro HIPPOCRATE jam vidimus, quæ jubeant eſſe prudentem Medicum in prognoſi: tamen paſſim adeo verum, quam quod veriſſimum, nunquam nos oportere aliquam evacuationem bonam & criticam ſalutare, quæ non fiat 1. poſt coctionem, 2. tempore critico, 3. prægreſſis ſymptomatibus criticis; ſi enim percurramus *Epidemicos* HIPPOCRATIS, videbimus illos, qui non bene judicati ſunt; eos, qui interierunt, habuiſſe vel ſudores, vel urinas, vel alvos, vel ſputa, quæ certe per ſe condemnanda haud eſſent; verum cætera non reſpondebant, neque levabant morbum.

Poſt

Poſt omnia ſigna futuræ evacuationis criticæ nunc ſequuntur evacuationes ipſæ, quas omnes fere explicui ad §. 927.; verum vocantur hic aliquæ evacuationes criticæ, quæ in laudata paragrapho non fuerunt recenſitæ; has recenſere operæ prætium.

1) *Salivatio*: hæc potiſſimum in variolis obſervatur, oriturque ſæpe cum variolarum eruptione, atque ad ſiccationem haud raro continuat. Sunt epidemicæ conſtitutiones, ubi neceſſaria eſt evacuatio critica hæc: dico critica, nam ſtadii inflammatorii evacuatio critica certe quodam ſenſu eſt eruptio variolarum & ſalivatio. Sydenhamus tot operum ſuorum locis ut omnino neceſſarias requirit duas has evacuationes poſt ſtadium inflammatorium conpletum, diarrhæam in infantibus, ſalivationem in adultis.

In variis caſibus hoc ita quoque deprehendi; at vero ſæpiſſime neque ſalivationem in adultis, neque in infantibus diarrhæam animadverti, licet res perageretur quam feliciſſime. Si ergo deprehendatur, ita ferre epidemicam conſtitutionem, evacuatio per ductus ſalivales quoque exſpectanda erit, veluti febris inflammatoriæ critica evacuatio. — Uti in variolis conſtitutio ejusmodi ſit, ut ſalivatio requiratur, ita eadem in conſtitutione fit, ut febres varioloſæ ſalivatione judicentur. Febres varioloſæ ſunt febres acutæ cum omnibus ſymptomatibus variolarum eruptu-rarum, quæ tamen non variolarum eruptione, ſed alia criſi terminantur. De his Sydenhamus, *cap. de febri varioloſa*: „Jam vero, ut ſupra monuimus, febris hujus ſolutio, ut etiam variolarum, quæ ſoror ejus germana merito audit, per ſalivationem non raro fiebat. Quæ quidem nunquam non ſalutaris fuit; ita, ut eadem liberalius procedente tam maculas revera purpureas, quam febrim ipſam evaneſcere, oculis vidi meis. Oborta itaque ſalivatione, nulla omnino eva-

cuatio convenit; nec quæ vena pertusa, nec injecto quæ fit enemate; quum ab utraque periculum sit, ne humor alio diverratur. At serum lactis, atque alia refrigerandi vi pollentia, necessariam in salivatione elicienda operam navabat: ut, e contra cardiaca, & quæcunque alia calefaciebant, materiem inspissando ejusdem eductioni obficiebant. "

2) *Muci excretio*; in gravi coryza cum febri vera aliquando adest inflammatio tunicæ mucosæ narium. Primo limpidus humor excernitur, tunc est cruditas hujus morbi; tandem post varios gradus mucus crassus, albus, aut flavus, puris instar, prodit, & hac evacuatione critica solvitur morbus.

3) *Hæmorrhagia ex hæmorrhoidibus: magnus* BOERHAAVE, *cap. de Pleuritide §.* 888. ait, pleuritidem coctam evacuari critico tempore largis hæmorrhoidibus. Casus potest esse, qui contigit GALENO, narranti *Comment. III. in lib.* HIPPOCRAT. *de alimento*, multos pleuritide se novisse correptos, quibus essent subpressæ hæmorrhoides. Sane in his videtur evacuatio hæmorrhoidalis critica esse non posse. Advertunt ecquidem Auctores, rem esse rariorem, enarranda tamen erat, quia nonnunquam observata.

Cæterum morbi acuti æque videntur posse hæmorrhoidibus judicari, quam menstruis, quam hæmorrhagia narium.

An vomitus cruentus est quoque crisis naturalis? Non est consueta via naturæ: quin est morbus per se. Violenta nimis via videtur esse, curam peculiarem poscens & nullatenus sic fidendum naturæ. Multo minus, si per hæmoptoën.

4) *Pustulæ*; ita stadii inflammatorii variolarum & morbillorum, & miliarium critica evacuatio fit pustularum eruptione.

An

An petechiales maculæ quoque inſtar criticæ evacuationis ſint conſiderandæ, dubium. Id ſaltem verum, regimen calidum multum facere ad producendas petechias (ſæpenumero alias non prodituras) forte & ad miliaria. Petechiæ olim in Belgio erant frequentes; moderato regimine ægrorum principatum obtinente prorſum exſulant; niſi quod in fervidiſſimis morbis ſub mortem hinc inde viſantur. Quantum ad miliaria, fateor, me in puerperis nunquam vidiſſe in Belgio miliaria; quia regimen moderatum obſervatur a prima puerperii hora. A calido regimine olim puerperis aphthæ familiares; a multis annis vix amplius notæ ſunt aphthæ. Sane, cur nos in noſtro noſocomio non habemus tot miliaria poſt morbos acutos, ut alibi? Neque enim unquam adhuc contigit, ea tunc videre; erant ſiquidem, quos ibidem in miliaribus habuimus, jam febri tali adfecti, quæ poſceret miliarium eruptionem. Quos homines, ut ſcitis, libero renovatoque aëre & moderato regimine, ſine multis ambagibus, Deo benedicente, curavimus.

Sane nunquam ſatis legere ingentem Sydenhamum queo, deſcribentem febres continuas, *variolosas* dictas, annorum 1667. 1668. 1669. Jubebat hos homines bonam diei partem extra lectum degere, licet ſudoribus diffluerent: „etſi enim, inquit Sydenhamus, ſumta a plerumque juvantibus indicatione, magnum ſibi quis inde emolumentum haud injuria pollicitaretur, refragabatur tamen ubique experientia, qua magiſtra didici, ægrum non modo commodi nihil exinde capere, ſed contrario vehementius incaleſcere, ita, ut non raro phreneſis, *petechiæ* ceteraque peſſimi ominis ſymptomata mox hujusmodi ſudores exciperent; quæ non tam a morbi malignitate, quam ſiniſtro regimine, oriri videbantur.“

Dixerat etiam in *Præfat. p. 16.* „ Sæpe accidit, ut facies morbi variet pro vario medicandi proceſſu, ac nonnulla ſymptomata non tam *morbo*, quam *Medico*, debentur: adeo, ut eodem morbo laborantes, ſed varia methodo tractatos, varia etiam ſymptomata exerceant: unde, niſi cautela adhibeatur, neceſſe eſt, ut admodum vagum & incertum ſit circa morborum ſymptomata judicium. "

Deinde, ubi adverſus Medicos illos, qui a principio ſudores fovebant, dixiſſet, eos vel maxime in regulam illam HIPPOCRATIS peccare, dicentis, cocta oportere moveri, non cruda, tandem addit: " ſtante hac conſtitutione accerſebar ad virum doctiſſimum (Medicum) hac febri varioloſa cum effuſiſſimis ſudoribus & frequentibus petechiis laborantem. Conſentientibus aliquot Medicis, utrique noſtrùm familiaribus, vena ſecta fuit [capitis ſatis, id fuiſſe in diatheſi inflammatoria, crudo morbo]; ſurrexit de lecto, abſterſo primum ſudore, medicamentis & diæta refrigerante uſus eſt, præſentiſſimo cum levàmine, multis malis atque periculoſis ſymptomatibus mox difflatis: & cum eidem methodo inſiſteret, intra paucos dies ſanitati reſtitutus eſt. "

Maxime hæc veritas ſtringit obſervata a SYDENHAMO. Si vel natura, vel arte, æger a principio morbi ſudet, eosque ſudores Medicus foveat, exustus ſanguis, exſiccatus, demum ineptus eſt ſudoribus continuandis; unde his cutis ſicceſcit. Interea petechiæ numeroſæ oriebantur, non a tota maſſa humorum diſſoluta, ſed a ſanguine hærente, ſtagnante & nimia vi olim in vaſa cutanea per ſudores adacto: qui ſanguis ibi in calore ſtagnans diſſolvitur & has maculas producit. Sudorifera tunc data non juvant, quia humores antea ſunt ſiccati: tunc ſi potu ingenti demum mutetur ſanguis & diluatur, poteſt ecquidem materies ſtagnans ad cutim

fo-

foras pelli ; sed ait Sydenham. : " crisis erat coacta nimis, & nimis periculosa, &, quod adhuc pejus, rarius etiam contingebat. " Plerumque in his hominibus demum sanguis omnis ita putride dissolvitur, ut circa mortem sudoribus diffluant.

Hæc de *pustulis* ortis a *malo regimine*: non vero dicta sunto de iis, quæ ex *natura morbi* oriuntur. Dantur tempora epidemica, ubi pustulæ varii generis obtinent, variolosæ, morbillosæ, scarlatinæ, erysipelatosæ &c. Ita Hippocrates vidit ac describit *Epid. II. Sect.* 3. *Text.* 5. „ In æstivis autem febribus, circa septimum, octavum & nonum diem aspredines miliaceæ, culicum morsibus similes, non multum pruriginosæ, in summa cute enascebantur, & ad crisin usque perdurabant. Nulli ecquidem masculo vidi talia miliaria; mulier vero, cui talia efflorescerent, nulla mortua est. " Cur? quia Hippocrates ignorabat mysterium alexipharmacorum —,

Describit etiam Hippocrates, *Epid. p.* 1083. erysipelata orta in acutis cum parvis ulcusculis, quæ 1) contingebant sexagenariis; 2) iis, quorum cura in morbis debita negligebatur; 3) etiam iis, quorum bona cura habebatur: abierunt porro efflorescentiæ & pustulæ hæ in exulcerationes pravas & abscessus; quodsi non abscederent, aut alvus urinaque bona succederet, moriebantur omnes.

Sic videtis in morbis acutis ab omni tempore natas efflorescentias benignas, malignas. Constitutiones tales vidi vario tempore (*) : in his constitutionibus cer-

(*) Vidi in Hollandia miliaria, & quidem alba, non nata a calidis medicamentis, sed casu rarissimo; ut merito credam, rarissima fore ubique, si medicamentis & regimine non producerentur. De H.

certum quoddam excretionum genus febribus acutis junctum eſt; ſed per omnia hucusque dicta id modo velim conprehendatis, multas in morbis efflorescentias nasci, a calido regimine & medicamentis, quæ aliter non adfuiſſent; multas, pravo regimine ortas, brevi disparere ad bonam ſubſtitutam methodum, multas benignas verti in malignas ſi perverſe tractentur.

5) *Humorum ex loco in locum translatio*; præter loca ad aures, inguina, crura, quæ antea jam vidimus, ſunt quandoque miræ humorum depoſitiones & transmigrationes; ut nonnunquam unum brachium, mox alterum, brevi poſt pes, aut femur materie veluti purulenta tumeat ſucceſſive, & vel demum ex aliquo horum locorum ſubpurando exeat, vel per alvum, & potiſſimum per veſicam, aut & per menſes, expurgetur: ut virgo, quæ ratione morbi ſputis judicanda viſa, demum fiebat dextro brachio & ſiniſtro crure paralytica, a quo menſibus prima vice fluentibus judicata eſſet: *Epid. II. p.* 1012.

Ignarus hujus doctrinæ turbat continuo naturam agendo contra unumquodque ſymptoma, ut egiſſet crudo morbo: vidimus autem antea, quam pernicioſum ſit, in ſalutari motu turbare naturam: toties jam data ſigna distinguendi ſymptomata critica a ſymptomaticis, ut vix ſit poſſibile falli; tamen, ne unquam dubitare, aut vacillare, poſſimus in hisce, ait ſequens

§. 939. *Cognoscuntur hæc critica ſalubria, nec per artis ſollicitudinem turbanda eſſe, ſi prægreſſa fuerint* jam 1) dicta *ſymptomata critica*, paragraphis binis præcedentibus expoſita.

2) *Coctio prægreſſa*; quam noſſe ex ſuis ſignis debuimus; non repetam.

3)

3) *Morbi ſtatus*; in incremento enim, ante diem quartam, raro hæc bona ſunt. Tertia ſiquidem dies nobis paucas admodum criſes dedit. Præterea etiam, ſi videremus, morbum pravis ſymptomatibus ad diem 8. 10. 12. crescere, non eſſet cur ſymptomata hæc *critica* adpellemus: erat enim ea conditio materiæ coqui incipientis, ut ſymptomata mitigarentur; his ſe mitigantibus ſtatum morbi exſpectamus: ſin minus, cruditatis ſymptomata ſunt.

4) *Vis vitæ bona*; alvus v. g. in pleuritico, in ileo, in peripneumonia, fit copioſa: interim cordis arteriarumque actio debilitatur, pulſus labascit, ſpiritus deficere incipiunt; non eſt criticum ſymptoma, ſed gangrænoſum.

5) *Excrementa ſimilia naturalibus*; aut ſaltem eo adpropinquantibus: urina ergo non flammea, non ruberrima ſit; ſed, aut flava turbida, aut flava limpida quidem, ſed brevi turbata & deponens. Alvus vel nulla fuerat, vel aquoſa, cruda, non mista, vel nigra, vel ſanguinea, vel cadaveroſe fœtida; jam magis conpacta eſt, magisque fusca, aut flava, plus ad naturalem ſtercoreum fœtorem accedens.

Convenientia morbo: in peripneumonia ſudor, & non ſputa; in varioloſa febri bona transſpiratio, alvus, urina, non maculæ, aut puſtulæ, non ſunt convenientia: in aliis omnia conveniunt.

Parti adfectæ: inflammatio inteſtini ileum fecit, evacuatio conveniens eſt alvus multa: ſudores, ſputa, hic uſus nullius. In nonnullis tamen, v. g. peripneumonia, fiunt evacuationes per ſputa, alvum, urinam, vel ſimul omnes, vel aliquæ.

Vitæ; transactæ in molli otio, ubi transſpiratio pauca & cruditates multæ in primis viis & humoribus; ibi minus ſputa, minus hæmorrhagia narium, quam evacua-

cuationes viarum primarum per alvum, humorum crudorum per urinam & bonos ſudores, conveniunt. In vita laborioſa, ubi ſemper ingens perſpiratio fuit, evacuatio cocti humoris per cutim, aut narium hæmorrhagiam, mirifice prodeſt.

Victui; ita ut, qui pinguia multa adſumendo, ſaburram putridam in viis primis ſibi conſciverit, potius per vomitum & alvum judicetur, quam per narium hæmorrhagiam, aut ſudores. Qui, vino indulgens, ſibi rarefecerit humores & coagulaverit, potius per hæmorrhagiam narium, aut ſudores, ſignum adtenuati cruoris, quam per alvum, judicetur. Ut helluo potius vomitu, quam ſobrius, judicetur.

Ætati; ut juvenis euſarcos hæmorrhagia narium potius judicetur, quam ſenex, cui magis qualitas mucoſa ſanguinis peccat, quam ejus abundantia, aut rarescentia. Ut adultus potius hæmorrhoidibus criticis adficiatur, quam puer.

Sexui; feminæ feliciter contingunt criſes per lochia, per menſes; ut exemplis olim patuit: ita ut ipſa pleuritis uxori CLEOMENIS quarta die per menſes ſit judicata, *Epid. VII p.* 1235. Mulier in *Thaſo* tertia die ſudore judicata & menſibus; *Epid. III. p.* 1108. *&c.*

Temperiei; homines, qui ſanguinei ſunt, potius per hæmorrhagias, quam qui phlegmatici; bilioſi, quam melancholici: qui tenues humores habent & cutim apertam in ſanitate, adeoque plus cæteris in ſanitate ſudare conſueverunt, etiam ſudoribus felicius judicantur. Unde TIMOCHARES a febri cum catarrho tertia die ſudoribus judicatus ob hanc cauſam; nam addit HIPPOCRATES: ἦν δὲ καὶ ὑγιαίνων ἱδρώδης. *Epid. VII. Ægr.* 80.

6) *Tempus*; ut toties dictum. Si in peripneumonia transivit tempus reſolutionis & jam ſputis incipiat craſ-

craſſa materies prodire, ea potius a ſubpuratione erit, quam a critica inflammationis reſolutione. Si in ileo inflammato dudum elapſum ſit reſolutionis tempus, evacuatio alvina potius a gangræna fiet, quam a reſolutione. Si in phrenitide, prægreſſo dudum reſolutionis tempore, hæmorrhagia narium tarda naſcatur, ea potius ex diſſolutione & acredine humorum, diabroſin faciente, quam a bona criſi, orietur. — Eſt etiam tempus non bonum, ſi non bonus criticus dies. Cui uſui v. c. fuit POLEMARCHI uxori, apud HIPPOCRATEM, angina, κυνάγχη laboranti, alvus alioqui in angina ſalutaris, nunc ad 7. vel 9. diem? Nil, quia inflammatio in ſubpurationem verſa internam trachæam obplevit; unde & mortua eſt.

7) *Locus;* acute laborat femina ſubpreſſis lochiis; criſis per alvum aliquando bona; ſæpe funeſta: ſanguis utero prodiens, bona criſis. Virgo *Lariſſæa* plethoricotata, nec menſes habens, jam ante ſextam diem, & poſt illam, bonos menſes prima vice habuit; unde judicata eſt. Homo hæmorrhoidibus adſuetus, iisdemque carens, acutam patitur: ſi criſis fiat fluentibus hæmorrhoidibus, bona criſis, quia bonus locus. A retropulſo herpete in facie homo acuta febri corripitur; locus optimus, ſi natura per faciem denuo deponat materiem morboſam.

Etiam poteſt fieri, ut cocta materies critice moveatur, & hæſitans in aliquo viscere diutius, quam par eſt, ibidem hospitetur; quia vaſa invenit vel laxa nimis, quam ut transprimant materiem, vel nimis rigida, quam ut transitum permittant. Si hoc in pulmone ſit, facit peripneumoniam aliquando periculoſam, tamdiu durantem, ut æger ferendo non ſit: ſi in cerebro, delirium; unde poſthac mania ſupereſt: ſi ad aurem, perfectam aliquando ſurditatem facit. per

om-

omnem vitam durantem: ſi ad oculum, cœcitatem; ut in variolis ſæpe fit, licet oculus ad diem 11. 14., 20., bonus fuerit. Hac ratione, parte materiæ morboſæ ſic incarcerata, ſæpe reliqua de corpore expellitur: febris ceſſat, & fiunt morbi tamen, aut lethales, aut cum functione aliqua læſa, ad longum tempus, aut ſemper.

8) *Levamen poſt hæc &c.*; peripneumonia eſt febris continua putrida, cum inflammatione pulmonum; ſymptomata ſunt anxietas, rubor faciei, tuſſis continua &c. ſputa bona cocta evacuantia ſint, & febris mitescat oportet, & anxietas minuatur, colorque ruber faciei incipiat abire &c. Ita in omni morbo eſſe oportet.

9) *Color &c.*; maxime in facie, ut mox notabamus in exemplo peripneumoniæ; ubi color ruber a ſanguine infarciente carotidem externam & internam, quod illi ad cor dextrum eſſet a capite redeunti natus obex: ſputis jam prodeuntibus & anxietate minuente, oportet colorem rubrum genarum, naſi, labiorum, minui, quum ſit ad pulmonem minus infarctum reſiſtentia minor.

Calor, æſtuans, atmoſphæram ægri incendens, digitum Medici tangentis pulſum urens; jam oportet minor ſit, cauſa morbifica pro parte expulſa.

Robur; vires vitæ obpreſſerat morboſa materies; hinc adſcendente crudo morbo virium prolapſus. Dum in ſtatu morbi ſigna coctionis aderant, vires fuere paullo majores: jam ortis ſymptomatibus, criticis, bonis, vires vitæ non minuebantur, ſed perſiſtebant; tandem facta aliqua bona evacuatione critica vires minore materiæ copia obpreſſæ crescant neceſſe eſt.

Pul-

Pulſus; paullo ante a motu materiæ morboſæ agitatus, magis febrilis, adtritum denotans majorem, evacuata partim materie id efficiente, neceſſario fit pacatior, minus febrilis.

Reſpiratio; paullo antea aucta erat & anheloſior reddita, a transitu motæ materiæ morboſæ per pulmones; Medicus id videns & ex omnibus ſignis a critica perturbatione id ortum gnarus, non turbavit naturam: facta vero nunc materiæ, id producentis, evacuatione aliqua, neceſſe eſt, reſpirationem fieri liberiorem.

Actiones omnes &c.; deliraverat homo a mota materia morboſa per arterias membranarum cerebri: mota materies pro parte expulſa eſt; oportet ergo, ut ablata cauſa ceſſet effectus: ut igitur ceſſet hoc delirium inde ortum; ſaltem, ut minuatur.

10) *Tum conſtantia &c.*: nihil paucum criticum; paſſim ſaltem. Sæpius evacuationes bonæ incipiunt, v. g. per hæmorrhagiam narium; ſed non pergunt; vel, quod cruditas ſit in vaſis; vel, quod ſit in humoribus. Cruditas vaſorum erit, ſi nimis rigida ſint, quam ut effluxuræ cum ſanguine materiæ morboſæ per ſuas anaſtomoſes præbeant transitum: cruditas aliqua etiam adeſſe poteſt ſuperſtes materiæ, necdum ſatis, ut perfluat, aptæ. — Idem de ſudoribus, & aliis evacuationibus, valet. Oportet igitur, ut cœpta ſemel evacuatio continuet usque ad finem: vel, ſi non talis, ſaltem per alias vias eadem materies pergat.

Si enim omnia hæc &c. Dicit *venerandus* PRÆCEPTOR: *omnia vel pleraque ſigna*: conditionem namque deſcripſit perfectiſſimam criſeos & criticæ evacuationis: tamen conprehenduntur ſub illa etiam criticæ evacuationes, quæ forſan non habent omnes illas conditiones, & tamen bonæ ſunt: ſed gradu minori bonitatis. *Epid. III. p.* 1108. *&c.* mulier, quæ in *Thaſo* die

tertia judicata eſt ſudore & catameniis, habuit tamen eo usque urinas nigras, tenues, habentes in medio ſuſpenſum quid, innatans, rotundum admodum, nec ſubſidens. — *Epid. VII. p.* 1215. cauponi. peripneumonico evacuatio critica per alvum maxime & ſudores, minus per ſputa; quæ demum nova die ἄχρα, pallida, contigit: eſt tamen judicatus hoc modo decima quarta die &c.

§. 940. *Si autem illa ſigna* [decem mox enumerata] *abſint;* ita, ut neque ſymptomata critica prægreſſa ſint, neque coctio obſervata, neque ſtatus morbi adhuc adſit, neque vires vitæ prævaleant, neque excrementa fiant naturalibus magis propinqua, neque omnibus conditionibus requiſitis convenientia, neque morbi ſymptomatumque levamen inde obſervetur, neque coloris, caloris, febris, læſæ functionis mutatio in melius, neque tandem conſtantia criticæ evacuationis habeatur; vel

2) *Si horum contraria eveniant;* ut non modo vires non augeantur, ſed conlabaſcant; non modo excretiones non fiant naturalibus ſimiliores, ſed diſſimiliores &c.

Tunc adparent hæc eſſe ſymptomata morbi, non autem vitæ triumphantis: nam alioqui omnia emendatiora inde debuiſſent fieri. (*)

Adeo-

(*) Quadruplex thema explicandum:

1) Quid judicandum, ſi prægreſſis ſignis coctionis, perturbationis criticæ, evacuationis criticæ, tamen emendatio morbi non ſuccedat, vires non redeant, ſymptomata non ceſſent, aut nova oriantur?

Reſp.

Adeoque tunc mala sunt, atque curanda, ut morbi ipsi. Jam, velim, mecum consideretis, A. A., qua

---

Resp. sunt κρίσιμα μὴ κρίνοντα; vel defuit in coctione aliquid, quod nunc crude motum nobilem aliquam partem adficit; vel, quod coctum quidem, tamen in nobili parte obstaculum offendit, quo minus transeat: ut enim vidimus, omnibus bene procedentibus tamen materiem amaurosin, cophosin &c. facere; ita potest ad vitalia viscera quid hærere, unde debilitas maneat, crescatque & febris quandoque major surgat. Hic mors, aut alius morbus chronicus, acutusve, aut saltem metastasis exspectanda. Sed casus hi sunt rariores.

2) Quid judicandum, si nec coctio prægressa, nec status morbi, si perturbatio fiat, si evacuationes crudæ, si morbi ejusque symptomatum incrementum?

Resp. curanda sunt, ut ipsi morbi; ut morbi, ubi cruditas adest.

3) Quid judicandum, si signa cruditatis & coctionis mista; si die malo bona materies &c.?

Resp. Inperfectum judicium; inde patet ex Hippocrate, vel mortem, vel recidivam, vel alios morbos, vel saltem varias metastases materiæ timendas esse: vel forte natura subplebit aliis viis, ut mox latius patebit ex Hippocrate.

4) An certa signa factæ criseos perfectæ, ut non sit exspectanda recidiva?

Resp. Probabilia; tamen, quo ea, quæ §. 939. enarrata sunt, perfectiora fuerint, eo certiores sumus; quo minus perfecta, eo minus certi. *de* H.

ratione hic acturus eſt, quem lateant hucusque omnia ſigna coctionis, ſymptomatum criticorum, evacuationis vere criticæ? Utique aut cogitabit omnem evacuationem bonam, & hominem morbo obprimi permittet; aut, vice verſa, bonam criticam evacuationem inſtar pravi ſymptomatis curare & inpedire adnitetur. Videtisne, quanti hæc adcurate noſſe interſit? Vos hic perturbari titubareque poteritis nunquam, horum gnari. Ex præſcriptis namque regulis ſole meridiano clarius intelligetis, utrum ſymptoma malum ſubcumbentis naturæ, an vero vitæ ſit triumphantis de morbo. Diarrhæa v. g. oritur in morbo: vultis ſcire, ſitne critica. Morbus creſcit; ergo non eſt critica. Sed, an ſymptomatica? An conpeſcenda? HIPPOCRATIS exemplo dico, in genere eſt malum; ſed nonnunquam cum euphoria ferunt illam, ut virgo Lariſſæa. Si igitur videam cum euphoria talia ferri ab ægro, licet morbus adhuc crescat, cogitabo, num forte inchoamenta coctionis non fiant, &, propter quorumdam excretoriorum locorum facilitatem in admittendo, jam non excernantur? Hinc, re ſic ſe habente, eam prudenter ſibi relinquo.

Verum 2) coctio præceſſit maximam ſaltem partem, ut concluſeram ex excrementis & ſtatu morbi ultra non creſcentis, oriturque talis diarrhæa, aut ſudor &c. examino tum, an poſt ſigna coctionis nunc præceſſerint ſymptomata critica, ſtupor, ſopor, vigiliæ, dispnoea, rigor, dolor, gravitas, tenſio hypochondriorum, & ſic porro. Præceſſerunt, vel non præceſſerunt. Si primum, magis credo, eſſe criticam evacuationem; ſi alterum, dico, præſtitiſſet ad certitudinem perfectam ſymptomata critica prius obſervaſſe; at vero novi ex HIPPOCRATE, [uti patuit paullo ante in virgine menſtruis primis judicata;] novi ex ipſa praxi, quandoque citra ullas fere notabiles perturbationes

cri-

criticas esse bonas factas evacuationes criticas: unde etiam animadvertimus in §. 931. Boerhaavium diserte addidisse, has criticas permutationes *ut plurimum* observari; ergo non universaliſſime; & in §. 934. illas permutationes, *ſi fierent ſenſibiles*, tunc adpellari *perturbationes* criticas. Ergo ante bonam criticam evacuationem *non ſemper viſibiles* tales permutationes fiunt, ſed *ut plurimum*. Ergo & in omnem eventum prudenter circumſpiciens, ſic ratiocinor: fit hic talis evacuatio; criticam dicerem, permutatio critica nonnulla ſi præceſſiſſet: ſed eam obſervare non potui: quia tamen quandoque, ſine ſenſibili permutatione, novi, veram criticam evacuationem contingere poſſe, & revera contingere; debeo hic ex aliis ſignis noſſe, cujusnam naturæ hæc ſit evacuatio? coctio præceſſit, morbus ſtare viſus eſt; cum hac evacuatione æger ſymptomatibus, vel omnibus, vel præcipuis ſaltem, mitioribus laborat, & vires vitæ augentur potius, quam ſubflaminentur. Utique, quum notas præcipuas nunc habeat hæc evacuatio evacuationis criticæ, rem ſibi dimittam, neque ulla ratione turbabo.

Si vero inveniam, ſymptomata morbi increscere, vires labascere; dicam aperte, & audacter, non eſſe evacuationem criticam; quæ nec prægreſſam habet perturbationem criticam; nec notas, quæ eam nunc præſentem vere criticam conclamarent; ergo illi obviam eundum eſſe.

Sed ponamus caſum alium: eſtis enim nunc in omnem eventum firmandi. Coctio præceſſerit, ſymptomata critica animadverſa fuerint, evacuatio jam adeſt, & incipit homo jam habere ſymptomata aliqua, quæ antea non habuerat, doloris, anxietatis &c. Quid tum? Ex generali regula novi, nulla nova ſymptomata oriri debere in morbo, ſed, ex obpoſito, vetera

mitescant neceſſe eſſe. Hic contrarium fit. Quamvis igitur ex generali regula ægro huic timeam, eſt tamen aliquid, quod examinare me oportet; utrum nempe non ſit ſymptoma novum aliud criticum potius, quam ſymptoma morbi. Aliquando novi, naturam incipere per unam viam evacuare morboſam materiem, ſimul & ſemel; aliquando per binas, aut & per plures, vias; immo ſucceſſive, nunc per unam viam, deinde per aliam. Ictericos in morbo acuto ſexta die factos pronuntiat HIPPOCRATES *Epid.* 1. *p* 951., omnes mortuos, ut PHANAGORÆ famulum; ſervatos autem fuiſſe, quibus vel per unam, vel per plures vias natura materiem morbi eliminaſſet.

His conſideratis novi, ſi natura criticam evacuationem incœperit, v g. per nares, eamque jam ſit per alvum molitura, primo hypochondriorum & ventris tenſiones & dolores poſſe oriri, donec viæ ibidem apertæ materiem morboſam traducant. Id ſi ſic obtineat, oportet ſuſpicari quidpiam, ſi forte poſt criticam hæmorrhagiam narium, aut inteſtina, renesve dolerent. Sed, undenam distinguam, an ſit criticus ille dolor, nec ne? Inde, quod ſymptoma criticum non nimis diu duret; quod vitæ vires conſtent; quod cætera ſymptomata mitigentur.

Verum, defuerint vel ſigna coctionis, vel perturbationis criticæ, vel ſigna bonam evacuationem criticam comitantia, ſubſequa, vel omnia ſimul; *hæc ſigna*, inquit *Textus*, *ſunt mala*, *atque curanda ut morbi ipſi*.

Hic jam adtentione opus; ſi enim hi homines ſibi linquantur, brevi forte peribunt; præpoſtera methodo peribunt omnes certo.

Eſt igitur conſiderandum, ægros hos eſſe omnino debiles a morbo, atque ab hac evacuatione ſymptoma-

tica

tica ita debilitari, ut vires vitæ plane labascant. Cura igitur ſymptomatis hujus, ut cura ipſius per ſeſe morbi inſtituenda, ut *Textus* dicit, non fiat, ut ſi v. g. diarrhæa, aut colica, aut hæmorrhagia quæcunque, aut vomitus inciperet in corpore aliquo tanquam novus morbus: ſi enim quis vomitu v. g., ut morbo principali, corripiatur, adſunt vires, quæ debita artis auxilia admittant: nam, ſi ab inflammatione oriatur, v. ſ. fiunt tot tantæque, donec remitti morbus incipiat; ſi a ſaburra putrida, emetica inſtituuntur; ſi dysenteria nascatur in homine, tanquam primarius morbus utique adeſt, pro varia natura dysenteriæ tempus, adſunt vires dandi, aut purgantia, aut emetica, aut roborantia; quorum omnium, vel ſaltem plurimorum horum, adplicationem ægri acute laborantes, & jam has pravas evacuationes paſſi minime admittunt, propter virium defectum.

Igitur practice nunc hos caſus disquiramus, ut, qui agendum in iis, liquido nobis conſtet.

Sit igitur mala evacuatio per hæmorrhagiam narium, ut pro ratione evacuati ſanguinis, vires pereant. Hic de revulſione per v. ſ. minime cogitandum; aut forte debilitas oriretur lethalis. Quæ enim morbi hujus conditio? conſidero ſanguinem hunc putride diſſolutum, nunc per anaſtomoſes arteriæ in naribus, veluti qua data porta, ruere: etiam arterias, defectu ſpirituum, non ultra continere ſanguinem in ſe, ſed per relaxatas dimittere anaſtomoſes. Unde prævideo, ſanguinem in hoc corpore ultra nec qualitate, nec copia ſubfecturum, quo, ad vires recreandas, ſpiritus generet: unde timendum, ne novo inſultu febrili, aliove ſymptomate oriente, prope aliquem criticum diem, vitam cum morte commutet.

His conſideratis ſupereſt, ut quemadmodum curandos Vos docui homines vulneratos, feminas hæmorrha-

gia uterina diffluentes, eodem modo hos homines adjuvemus. Emulsa blanda, leniter inspissantia, levissime paregorica exhibenda, quæ humores tenues inspissent; quæ blando nutrimento viribus projectis pabulum præbeant; maxime, si parva copia, sed sæpe repetita, porrigantur; artus extremi ligentur, ut sanguis impediatur ad cor tam copiose fluere; unde & vis cordis in arterias minor erit.

Si sit hæmorrhagia narium, poterunt insuper intrudi stiptica naribus, de quibus legatur *Inl.* VAN SWIETEN, *Comment. ad* §. 743.

Si in femina per uterum insignis hæmorrhagia in acuta febri symptomatice vires posterneret, cura generalis per emulsa, aër subfrigidus, quies summa, circumpositum utero & lumbis acetum frigidum, forte aliquid præstarent. Etenim, licet apud HIPPOCRATEM, & in praxi quotidiana exempla plura prostent judicatarum hac via feminarum; tamen sæpe etiam est mere symptomatica evacuatio in aliis, cui obviam eundum, tanquam ipsi morbo.

Si ex hæmorrhoidibus, quod rarius, eadem curatio interna externaque locum haberet.

Intelligimus, quod igitur tota cura consistat in viribus conservandis: emulsa illa, utpote acescentia, satis putredini humorum adversa sunt, & si tempus lucrati vires refocillenus, poterit forte bona critica evacuatio sequi.

Hæc de hæmorrhagia: sed sit jam evacuatio noxia per alvum, quid tunc agendum?

Ut in hæmorrhagia, ita & hic, indicatio vitalis prævalet: ergo grate acida, putredini contraria, leniſſime & vix adstringentia, leviter paregorica, pulcre refocillantia, proderunt. Itaque emulsa primo similia dentur; vel roob sambuci, mororum, & quod in acu-

tis

tis præſtantiſſimum & in diſſolutis humoribus leviſſime adſtringit, roob berberis, ſyrup. granat. acid., ſyrup. papav. albi. Poſſent epithemata ex vino rubro, cocto cum floribus balauſtiorum, roſar. rubrar. cinnamomo, toti ventri circumponi, ut inteſtina roborarentur & conſervarentur.

Si ejusmodi oriretur vomitus, ſimilia iterum medicamenta proforent; ſi non juvarent, plusculum opii addatur, emplaſtrumque opiatum externæ ventriculi regioni adplicetur. Vel & poſſet antemeticum Riverianum prodeſſe, paratum ex drachma ſemis ſalis abſinthii non ſulphurati, cum uncia ſemis ſucci citri, ipſo effervescentiæ actu ſumtum; expanſione ſua ſub effervescentia (extricato aëre fixo) in ventriculo videtur motus ejus parum ſiſtere; maxime ſi evanidâ ejus efficaciâ, aliquoties repetatur.

Deſperati quidem in genere adtingendi non ſunt; cogitavi tamen ſæpius, ſi, incipiente gangræna, pleuriticus alvo liquida jam certo periturus ſit; vel, ſi in alvo liquida ſymptomatica vomituque ſimili cerneremus gangrænoſam nasci dispoſitionem, mortemque inſtantem; cogitavi, inquam, ſæpius, an cortex peruvianus hic aliquid efficere non poſſet, in gangrænis artuum jam nascentibus ſæpe tanti uſus. Neque ultra hæſitabo, dare eumdem corticem, dum ſymptomaticis ſudoribus video hominem, & certo, & cito, periturum.

Si vero omnia hæc non adſint &c. Hic nunc frequentiſſimus caſus; eſt criſis, ſed non talis, qualem optamus, ſed morte certe præſtantior; quum natura, vel arte, tales ægri ſanitati quandoque reſtituantur; vel ſaltem a cita morte adhuc præſerventur: id tamen quoque verum, quod ſæpe in calamitates & miſerias, morte ipſa formidabiliores, ſic fiat transitus.

§. 941. *Unde axiomata in diagnoſticis & prognoſticis hæc recepta ſunt, & alia ſimilia:*

1) *Evacuatio critica poſt coctionem ſemper bona;* nam materies eſt apta, quæ educatur; & quum minuat mox fodinam morbi, morbus mitior fiat neceſſe eſt.

2) *Eadem die critico bona*; quamvis enim viderimus hinc inde, præter naturalem conſuetudinem, bonam evacuationem die non critico, ea oppido rara eſt; ut die critico firmius judicium faciat. Omnes diebus *ανεπίσιμοις* judicati vel periere, vel habuere recidivas, exceptis pauciſſimis.

3) *Eſt autem varia, quoad tempus, & quoad materiem:* — quoad *tempus*, quia aliæ evacuationes criticæ fiunt die 4., aliæ die 7., aliæ 11. &c. Quoad *materiem*, quia aliæ per ſputa, aliæ per hæmorrhagias varias, aliæ per ſudores, aliæ per alvum &c.: cauſa vero datur in *textu*, cur variæ ſint,

1) *Pro ratione ætatis:* morbi acuti in juvene ob calorem temperamenti citius maturescunt, quam in languido ſene.

2) *Temperiei*; in cholerico citius ob calorem & ſanguinem denſum; quam in phlegmatico, contraria habente.

3) *Sexus;* in viro vaſa rigidiora, denſiores humores; in femina obpoſitum: inde judicia citiora in viris quam in feminis.

4) *Regionis;* in ſicca regione febres celeriores propter vaſorum contractionem, lentiores autem febres in humido ſolo, ubi omnia laxa adtritusque proin & calor minor, quum moderatior ſit actio humorum & vaſorum reciproca in ſe invicem.

5)

5) *Tempeſtatis anni;* humida tempestate laxa ſunt omnia; ſicca vero omnia ſolida contracta. In morbis igitur acutis emendatur facilius ab aëre humido vaſorum rigiditas peccans, quam quidem ſicco, aquilonio. Sed ratione humorum iterum aliud eſt; nam per rigida vaſa ſanguis ſpiſſus magis conquaſsatur, quam per flaccida, eſtque ob adtritum majorem citior crudi exſpectanda ſubactio.

Sapientem ubique HIPPOCRATEM videte in *Sect. III. Aphorismorum* anni deſcribentem tempeſtatem. Mirabimini, illum non ſimpliciter, non unice, distinguere morbos ratione tempeſtatis vernalis, aut æſtivæ, aut autumnalis, aut hybernæ; ſed ait, „ ſi hyems auſtralis & pluvioſa fuerit, ver autem ſiccum & aquilonium, tunc tales orientur morbi: — ſi æſtas ſicca & ardens, tunc tales morbi: — ſi æſtas calida & humida, tunc tales“ &c.

6) *Morbi*; in acutiſſimo morbo ante diem 4. in peracuto ante 7. vel 11., in acuto ante 14, 17; 20, 24, 27, 31. &c.

7) *Epidemicæ conſtitutionis;* quia aliæ epidemicæ conſtitutiones ſunt acutiſſimæ, aliæ peracutæ, aliæ acutæ: erunt inter acutas, quæ paſſim omnes judicentur 14., aliæ 17., aliæ 20 die &c. Si noverim conſtitutionem hanc ſæpius talem diem pro judiciis habuiſſe, ſcio paſſim in datis ægris criſin ante 14. 17. 20. diem etiam adfore.

4) *Erit illa ante coctionem mala:* dicet aliquis, cur mala, quia demitur ſaltem aliquid de fodina mali? — Sit non ſatis coctum; quid refert, utrum id, quod corpore exeat, coctum, an crudum ſit — Sit coctum in matula, ſit crudum, eſt extra corpus, nec nocebit ultra. — Immo melius eſt, crudum exire, quam coctum: ut coqueretur, debebat diu adhuc in corpore manere &

ſe-

febrim alere; jam id ultra non poteſt. — A cocta materie mota poſſunt malæ criſes oriri; cruda materia exeunte nihil inde periculi. — In principio morbi, in ſumma cruditate vires non ita dilapſæ, quam morbo pergente; ergo vires vitæ materiæ eliminandæ pares ſunt, cui poſthac aliquando minus aptæ.

Ad omnes has difficultates ſimul primo dabo unicum generale reſponſum; poſtmodum ſingulas has enodabo.

Generale reſponſum eſt, quod contra experientiam omnium ſæculorum nulla valeant argumenta, utut adpareant plauſibilia, immo palmaria. Velimus nolimus, effatum Hippocraticum veriſſimum fatebimur; „ morbis naturæ medentur, natura morborum medicatrix. "

Jam ut ad peculiaria hujus objectionis reſpondeam, dico, cruditatis tempore cum prava cruda materie exeunt multi liquores boni, qui in corpore, & ad vires ſuſtinendas, & ad materiem coquendam, adſervandi fuiſſent. Deinde, dum cruda materies movetur, vim nimiam infert vaſis, & quamvis pars de corpore exeat, pars tamen ejus infixa videtur manere in multis vaſis minimis; unde oritur illa debilitas & virium obpreſſio in morbis ab evacuationibus illis ſymptomaticis: multis enim vaſis minimis obſtructis ceſſat nutritio, quæ per vaſa minima fit. Viribus autem labantibus natura ultra apta non eſt ad crudum, intempeſtive motum, ultra propellendum & reliquum, non motum, coquendum: ergo morbi longi, vel mors.

Undenam ergo vidimus in exemplis *Hippocraticis* tempore cruditatis evacuationes cum euphoria; ut v. g. alvus illa liquida, quam HIPPOCRATES ſibi reliquit, quia euphoros ferebat illam virgo Lariſſæa, crudo morbo. Sudores tempore cruditatis cur HIPPOCRATES de-

deſcribit in *Prognoſticis*, & *Epidemicis*, levantes, nec turbandos?

Reſp. tunc partem materiæ coctam maturius a corpore expelli, & pro ratione coctionis integre expelli; ita, ut crudi nihil ſit, quod motum in vaſis minimis poſſet infigi & obſtructiones lethalesque facere debilitates. Videntur etiam, dum ægri hoc cum euphoria ferunt, boni humores ſimul non excerni; quibus alioqui & vires minuerentur, & coctio inpediretur, ſi cum cruda materie excreti fuiſſent.

Ergo regula hæc; „ illa evacuatio critica erit ante coctionem mala, " eſt conſtantiſſimæ veritatis: nam & ſudores levantes, & alvus levans, tempore cruditatis morbi, docent, excipi nonnulla quandoque a legibus generalibus; & facilitate excernentium organorum poſſe nonnunquam id, quod coqui jam cœpit, de corpore expelli: id ita eſſe, demonſtrant vires conſervatæ, & facilis ægri tolerantia; contrarium demonſtrarent vires fractæ, labor in ferendo.

5) *Coctio autem ipſa ſemper bona:* hinc toties Hippocrates repetit, „ urina optima eſt, in qua per omne morbi tempus, donec judicatus ſit, ſubſidet album, læve, æquale. " — „ Quodſi intermittat, & interdum quidem pura mejatur, interdum etiam ſubſideat & album & læve, diuturnior & minus ſecurus, morbus evadet. " — „ At urina ſubrubra, ſimileque, quod ſubſidet, & læve; hæc quidem diuturnior, quam prima ſit, valde tamen ſalutaris. " Habet hæc in *Prognoſticis*, *p.* 40.; *libro de criſibus* omnia hæc repetit, & pluribus aliis locis. Id quod de urina, hoc in *Prognoſticis* de alvo &c. habet.

6) *Quo coctio citior eo melior, non autem criſis:* Criſis mala æque criſis dicitur, quam bona. Hinc criſes dantur moventes crudiſſimos humores; qui ſic moti pro parte quidem excernuntur, ſed pro parte etiam

in-

inpinguntur in loca nobilia, ubi vel lethales faciunt obſtructiones, vel morbos alios, quandoque priori pejores. Hinc ſigna critica perfida ſunt, quæ in cruditate completa adparent, nec eadem peritus Medicus exſpectat.

§. 942. *Prænotio deſignans eventum morbi &c.* Sequentes undecim paragraphi ſunt confirmatio modo, & demonſtratio eorum, quæ de criſibus & coctione dicta hucusque. Incipit *magnus* PRÆCEPTOR a cauſis vitæ morbique examinandis, ex iisdemque inter ſe conlatis de eventu morbi concludit. Toties enim de vi vitæ ſermo jam fuit, ut morbis ſuperiore, inferiore. Has vires adprime noſſe, quum ſummi ſit momenti, eas demonſtrare nunc adnititur.

§. 943. *Virtus cauſæ ... vitali, animali dein, atque etiam naturali*: quid hæ ſint, toties jam expoſitum, ut tædio foret repetiiſſe. Vita quippe nihil aliud eſt, quam adgregatum omnium, quæ actionibus hisce exercentur.

Quæ quidem ... major & melior: meminiſtis, quod PATHOLOGIAM inchoans has functiones explicuerim Vobis maximas, minores, minimas; & quidem ita minimas, ut minores eſſe non poſſent, quin ipſa jam mors adeſſet. Functiones maximas videbamus notare vigorem ſanitatis; minores, morbos; minimas, ſtatum morti proximum. Si jam in morbo functiones minus a maximis degeneraverint ad minimas, eo plus homo participat de illo vigore vitæ; quo functiones in morbo minores magis a maximis declinarent & verſus minimas vergerent, eo erat homo morti magis propinquus.

Sed præterea in morbis non eodem gradu a maximis ad minimas declinant functiones: nam in angina v. g. ſynanche functiones naturales valde decedunt a ſta-

ſtatu optimæ ſanitatis; animales vix; vitales utcunque, ſed non ita atque naturales, niſi ſub finem: in kynanche vero vitales laborant, & maxime quando in decurſu hujus morbi fit ὀρθόπνοια. — In peripneumonia vitales actiones laborant valide, quum ipſe humorum circulus perturbetur; naturales aut animales vix, niſi morbo valde in pejus vergente. Hinc, ſi in peripneumonia incipiat homo etiam laborare functione animali, ita, ut ſumma debilitas adſit, novi, tam magnum eſſe locum inflammationis in pulmone & tam parum transire per aperta adhuc vaſa ejus in cor ſiniſtrum, ut vitæ continuandæ non ſit. Si ille idem incipiat delirare, novi ad cor dextrum nasci inpedimentum ſanguini venoſo ad cor tendenti; ergo & jugularium ſanguinem retardari; proinde carotides & vertebrales arterias ſe non poſſe in jugulares exonerare; hinc & faciem tunc rubere, & obpreſſa vaſa membranarum cerebri cerebrum conprimere hominemque delirare: vel, delirare, quod a conpreſſione ſanguis, a capite ne redeat inpediatur; ſpiritus debiti non ſecernantur: vel, quod a corde ſiniſtro tam parum ſanguinis ad caput feratur, ut continuandæ debitæ ſpirituum ſecretioni par non ſit: utraque de cauſa delirare poteſt homo.

Idem ille peripneumonicus ſi utcunque in vitalibus actionibus vigeat, multum eſt: ſi v. g. dormiat aliquando, novi inflammationem non eſſe tantam, quin ope inſtrumentorum naturalium vitalis reſpiratio exerceri ab illo poſſit. Si vero vix, aut omnino non, dormiat; vel, ſi incipiens ſomno obrepi, mox ſummis excitetur anguſtiis, novi, eſſe inflammationem ingentem pulmonis, ita reſpirationis inpedientem exercitium, ut, quæ a functionibus vitalibus reſpiratio ſola peragebatur, jam indigeat magno ab animalibus additamento; auxilio ſcilicet ſcaleni prioris,

lateralis, medii, ſpinalis colli, transverſalis colli, interſpinalium colli, longiſſimi dorſi, ſemiſpinati, ſerrati antici minoris, majoris; quorum alii figunt collum & ſpinam; alii, coſtas elevando & deducendo, thoracem ampliant. In homine dormiente ſano, in ſano evigilante, reſpiratio ſine ope horum musculorum voluntariorum peragitur; neque vis musculorum voluntariorum additur, niſi quando quis valide cucurrerit: nempe actione totius corporis in curſu tanta copia ſanguinis ad cor derivatur, ut pulmo nequeat transmittere omnem: hinc homo anhelat, debet interquiescere, & tunc ope illorum expoſitorum musculorum reſpirationem augere; ut ſic pulmo fere ſanguine obrutus, poſſet illum transferre in cor ſiniſtrum. Item ſi quis clamorem validum edat, ut etiam in magno pondere elevando, in forti & difficili alvo exoneranda, quando homo plurimum aëris capit, retinetque, ut augeat vim diaphragmatis in inferiora.

Ergo defectum ſomni, præterquam quod etiam a cerebro nimis in peripneumonia infarcto oriri queat, ut mox expoſui, intelligo hic naſci a vehementia inflammationis; quæ tanta, ut mox, quo momento reſpiratio ſolis vitalibus actionibus peragi cœpta eſt, homo fere ſubfocatus excitetur, ut vim musculorum animalium addat vi musculorum vitalium, ne pulmo obrutus plane quieſcat.

In eodem peripneumonico naturales functiones olim bonæ ſatis fuerant; ſed jam ab adſumtis gravatur, nauſeat, vomiturit, nec niſi vi aut precibus, ut medicamento, aut alimenta ſumat, adigitur. Intelligo gravem præ ſanguine copioſo pulmonem diaphragmati impedimento eſſe, in illud incumbere, hinc diaphragma anguſtare ventriculum; hepar, quum minus alte adſcendat, premi, premere contra ventriculum, ſicque hu-

hujus omni ratione inpediri actionem; maxime in jacente homine, ubi inteſtina magis contra diaphragma premunt.

Ergo, quo in hac peripneumonia plures functiones magis diſſimiles ſunt iisdem functionibus in ſanitate fieri conſuetis, eo vis vitæ minor & pejor, eoque minus ſpei ad ſanitatem. Sed, ſi æger ille poſſit aliquantum dormire tranquille, ſi mente conſtet, ſi vires ſatis bonæ permaneant, ſi ad adſumta ſe habeat bene, audeo ſperare aliquid, & pro ratione conſervatarum ſimilium functionum bonarum, ſpes mea major minorve eſt.

Quo autem ſalubrior - - - - concluditur ex contrariis. Omnes functiones utcunque a ſe invicem dependent; ut mutua opera indigeant, ut aliæ aliis carere nequeant. Si naturales prorſum langueant, etiam ſenſim langueant deleanturque vitales ac animales neceſſe eſt: ſi enim nec medicamenta, nec alimenta ultra adſumi queant ab ore, a ventriculo, deficiet brevi ſufficiens ſanguinis copia, ut vita continuetur; deficient brevi ſpiritus, qui vitalibus & animalibus actionibus præſunt.

Eodem modo ſi nunc laboret v. c. pleura, motus vitalis læditur, quum locus dolens renuat admittere motum ad reſpirationem neceſſarium. Pulmo hinc obprimitur, defectu debiti aëris ſanguine oneratur, illum ad cor ſiniſtrum propellere nequit: hinc & ſanguini a capite redituro ad cor obſtaculum nascitur, quo tandem functio cerebri ac cerebelli turbatur; & quia tam parum ſanguinis a corde ſiniſtro ad caput mitti poteſt, etiam materies deficit generandorum ſpirituum; languent vitalia prorſum, & animalia & naturalia.

Hinc bene, hæc rimatus, Hippocrates concludit, in his omnibus principium non dari, deeſſe

finem, ſed in orbem quaſi omnia reverti, perpetuumque circulum obire.

Verum nonnulla adeſt hinc inde differentia. Sit æger, cui a principio morbi vitalia multum laborent; alius, cui naturalia; tertius, cui animalia ſola. Primus profecto viribus plane inpar erit morbo ſuſtinendo; cor in illo arteriæque debilitatæ magnopere, aptæ non erunt materiæ morboſæ coquendæ, movendæ, eliminandæ. Quid juvat, hominem illum mente conſtare & nutrimenta capere, quum languidum cor & languidæ arteriæ a nutrimentis alimentum non parent, ſed illa cruda relinquant?

Si vero alteri ægro vires cordis & arteriarum conſtent, & vomitu ac diarrhæa naturales functiones deleantur, utique malum ex eo capite hoc eſt, quia defectu nutrimenti demum vitales concident. Sed exempla docent, hominem diutius ſupereſſe defectu debitæ nutritionis, quam ex vitalium viscerum languore. Videmus quotidie tot exemplis, ægros per aliquot dies ſine nutrimentis, & quaſi proprio conmeatu, vivere; interea dum ventriculo & inteſtinis repurgandis, aut moderandis, medicina incumbit; quæ demum victrix ſymptomatum, denuo novis alimentis refocillat vires, vel lapſas, vel labascentes, quique virium conlapſus non vi morbi, ſed defectu alimenti, oritur, is reparatur facilius.

Multum itaque differunt projectæ vires a defectu ipſo vitæ, vel ab aut evacuationibus, aut inedia: quæ enim a prima cauſa, raro reparatur debilitas, eſt mortifera; quæ ab ultimis, ea, inquit HIPPOCRATES, minus mortifera; ſaltem haud adeo eſt formidanda. Si enim inedia in cauſa fuerit, & viscera chylopoëtica denuo admittant alimenta, intra diem & noctem incipit adparere mutatio in melius projectarum virium: ſi

vero

vero facies ægri extenuata, Hippocratica, fuerit orta a vitæ viribus in morbo devictis, non reparantur ſpatio 24 horarum, ſed (plerumque) in propinquo mors eſt.

Igitur ponamus, inediam eſſe, quod ventriculus omnia recuſaverit; quod angina v. g. viam obcluſerit; quæ nunc extenuatam faciem fecerit. Ventriculus, aut fauces, bona artis ope iterum ad deglutiendum & ſuſcipiendum alimentum aptiores redduntur, inſignisque debilitas ſpatio diei & noctis incipit emendari & demum poſthac curari.

Phreniticos videre eſt, furentes, ut vix a pluribus queant contineri. Eſt certe malum, quod animalis functio ita læſa ſit. Verum, ſi facies ægri ſatis ſibi conſtet, oculi non conlabaſcant, vires cordis ſatis bonas arteriæ adnuntient; ſpes magna adeſt, fore ut curetur: dum interim mente bona, ſed vita labaſcente per vim morbi ſubpreſſa & victa, certa mors prævidetur. Igitur actio vitalis conſtans in præſagienda ſalute palmam præripit reliquis functionibus; tum, quia fundamentum eſt reliquarum functionum; tum, quia vitalis functio omnium maxime ad vitam continuandam eſt neceſſaria, & omnium minime eadem homo poſſit carere: dum interea, hac perdurante, reliquæ functiones aliquantisper ſilere, vel multum inminui queant, vita perennante: quæ vita has alias læſas & fere deletas reſtituit; ſi vero vitalis deleta, reliquæ ſimul delentur.

§. 944. *Functio autem ſcitur - - - - explicati ſunt.* Hæc per ſe clara ſunt; nam, ſi velim ſcire, an homo ſanus ſit, oportet modo inſpicere, an functiones hominis ſani edere queat; ſi homo ægrotet, video quid ex his functionibus ſit, quod aut inminutum, aut de-

letum, aut depravatum ſit; inde video mox, quam aut parum, aut multum, a ſanitate deflexerit.

Functiones hominis ſani, novi ex me ipſo ſano, ex reliquis ſanis, quos coram video; ſi exactiſſime velim functiones aptaque earumdem inſtrumenta noſſe, opus eſt conſulere, quæ adcurate id tradat, Phyſiologiam. Hanc autem, quum omnes probe calleatis, non eſt quod de cognoſcenda bonitate aut pravitate, functionis unquam tituberis.

Legite, quæſo, totum quantum HIPPOCRATEM; aliud arcanum non habuit, quo & vivus ita inclaruit, & poſt mortem in æterna veneratione habetur, quam hoc. Ab una parte conſiderabat omnia ſigna ſanarum omnium hominis functionum. Si decem ægros viſitandos haberet, examinabat functiones animales, naturales, vitales, in ſingulis: in ſignis his erant ambigua quædam; veluti, ſi quis conniventibus oculis dormiret, eſt malum; ſed non, ſi adſueta illi res ſit. Ore diducto hiulco dormire, malum, niſi conſuetudo hominis ita ferat &c.: hæc, & ſimilia, primo examinabat, tumque collatis inter ſe omnibus ſic procedebat.

Reſpiratio, pulſus, calor, ſomnus, alvus, urina &c. parum mutantur a ſana conditione in homine hoc, acuto morbo laborante; ergo homo ille habet omnia ſigna, quæ ſpem faciant futuræ, idque brevi, ſalutis.

Reſpiratio, pulſus, calor &c. in hoc homine tantopere recedunt a ſtatu ſano, ut nil fere ſimile cum ſanitate habeant. Facies illius hominis eſt adeo mutata ab ipſius ſani facie, ut ſibi ultra ſimilis non videatur. Homo illa habet omnia ſigna, quæ inſtantis mortis metum injiciant.

Sed reſpiratio minus abludit a ſana reſpiratione, calor vero urens eſt. Alvus & urina non multum a ſanitate differu..t, ſed ſomnum vix habet. Corpus

ſalti-

ſaltitat quaquavorſum, nullo loco conſiſtens, ſed interim bonos oculos habet, facieinque ſervat ſibi ſimilem. Vomitus ſymptomaticus quidem adeſt, ſed mox a vomitu iterum adpetit. Hic homo habet ſigna mala mixta bonis. Difficile erit ipſi judicium; longitudo enim morbi, aut mors, deſignatur: nam habet ſigna quidem mala, quæ per ſe mortem prænuntiarent; at vero alia ex parte multa ſigna bona adſunt, quæ minorem metum mortis, ſpem ſalutis majorem, præ ſe ferant.

Coactus tamen Hippocrates, ut ſaltem prænuntiaret, utrum ſpei plus, an plus metus in ægro adeſſet; lubenter & tuto hoc in ſe ſuscipiebat negotium. En, qua procederet ratione!

Hic homo, nunc deſcriptus, habet calorem urentem; ergo vehemens in illo motus humorum, & adtritus. Summa adtenuatio & putredo lethalis hinc metuenda. Non dormit; hoc per ſe exitioſum: nam primum ſpiritus perditi non reparantur; præterea ſanguis hinc acer fit, unde & deliria & convulſiones. Corpus continuo jactitat; hoc inter ſigna lethalia; inpeditiſſimam notat circulationem; vomitum habet ſymptomaticum; quo vel abundantia, vel acredo notatur crudæ morboſæ materiæ; vomitus talis ſanguinem valide inpellit ad caput, unde deliria metuenda; etiam perturbat totum corpus, quod blanda quiete refocillandum erat; educit quoque alimenta & medicamenta, quibus alioqui morbus forte debellaretur. Ergo hæc omnia mala, lethalia cuncta.

Verum, ut rem conſideraverimus a ſiniſtra parte, nunc eam a dextra intueamur. Homo hic, cum omnibus his pravis ſignis ſat bene reſpirat. In omni morbo acuto commoda reſpiratio maximam poteſtatem habet ad ſalutem. Facies ſibi ſimilis, & oculi boni ſunt.

Ait HIPPOCRATES *Epid. VI. p.* 1181. „oculi ut valuerunt, ita totum corpus.“ Compertum eſt ex infinitis obſervationibus, cum omnibus pravis ſignis reſpirationem & faciem bonam prævaluiſſe omnibus malis ſignis. Addamus, homini huic non ita ventriculum corrumpi a prava materie, quin nonnullus a vomitu reſurgat adpetitus. Jungamus demum, nec alvum, nec urinam ita alienas eſſe a ſtatu ſano, quin ejus nonnullas ſervaverint notas. Dico: huic homini aliquanto plus ſpei adeſſe, quam metus.

Sed eſt æger, qui habet hac die alvum flavam, pultaceam; nocte iterum aquoſam, fœtidam, dolorificam: una vice reddit urinam cum albo, lævi, æquali ſedimine; altera vice cum nullo. Uno tempore ſputa reddit bona; altero mala. Una hora videtur bene reſpirare; altera difficulter. Per vices apte ratiocinatur; ſubinde leviter delirat. Somno quandoque reficitur; aliquando gravatur. Inquit HIPPOCRATES, homini huic deſignari longitudinem ſaltem morbi. Si enim ſemper bona illa, quæ ſic intermiscentur, perſeverarent, tutum ac breve judicium haberet Si prava, quæ adſunt, non haberent bona adjuncta, certo moreretur.

(Hic vero adtendendum denuo Medico praxin adgredienti, ad externa inprimis, clima, vitæ genus, anni tempus, morbi tum ſpeciem, tum gradum, remediorum indolem, ſymptomatumque a communi lege aberrantium, tum durationem, tum ſyndromen, tum & ægri in ſanitate, aliisve, prægreſſis, morbis ſingularem plane, non tamen ideo funeſtiorem, ſtatum. Uberius ſingula in *Aphorismis noſologicis* exponere potero.)

Hic vero uno tempore natura videtur triumphare; quum cocta, vel coqui cœpta, producat: altero tempore

pore videtur ſuccumbere morbo; dum nil niſi cruda proferat. Sic prolongatur morbus. Sed, an illa prolongatio ad ſalutem? Neſcio, inquit; obſervo, ad ſalutem poſt multas ærumnas pervenire quosdam, perire alios. Oportebit, ſequentibus diebus videre, utrum bona ſigna prævaleant demum malis, an mala bonis; inde pendebit prognoſis.

Sed, rebus ſic ſtantibus, ut multa bona ſigna adſint, pauca prava; an tunc certa ſalus? An paucis bonis, multis pravis ſignis præſentibus, indubitata pernicies?

Minime, inquit Hippocrates, v. *Aph.* 2—19.

1) Signa bona malis ſæpe mista ſpem facerent, niſi æger aliquando uno alterove die ſerius advocaſſet Medicum; quo tempus aliquid agendi nunc præterlapſum eſt. „Quidam, ait initio *Prognoſt.*, vehementia morbi pereunt, priusquam Medicum accerſant: quidam etiam vocato Medico confeſtim partim quidem unum diem, partim etiam paullo diutius, vitam trahentes mortui ſunt; priusquam Medicus arte ſua ſingulis morbis viriliter ſe poſſit obponere. „Hinc ſigna bona hæc forſan minus bona, quia non factum id, quod fieri oportuiſſet, quodque ut fiat, nunc ſero eſt, v. g. exhibitio emetici, v. ſ. &c.

2) Ægri quandoque agunt contra Medici præceptum & turbant naturam, v. *Aph.* 1—1. Quid proderat Philonis filiæ, ſeptimo die larga hæmorrhagia narium judicari, quum intempeſtiva ſua cœna naturam obprimeret, turbaretque in reliquiis materiæ morbificæ eliminandis? Mortua eſt. Cur Adoleſcenti octavo die delirium, & circa decimum, malum, diem, ſudor, qui credebatur criticus eſſe, & undecimo ſubita mors? Cauſam reor, inquit, quod, antequam incideret delirare multum, frequens, merum potaſſet. *Epid.*

IV. p. 1123. *&c.* Qui in clinicis verſantur, id rarius experiuntur; *rarius* dico, quia ſæpius decipiuntur, quam ſciant. Immo, & ſi quid ſuspicetur Medicus; æger, aut adſtantes, præfracte negant, in ſuam perniciem: nam, ſi faterentur errorem, Medicus forte illum corrigere poſſet. Contigit ſæpe, ut clam Medico ordinario, homines ſumant remedia alius Medici; ita, ut ordinarius Medicus citra culpam ſuam morbum vix ultra cognoscat, & titubet totus.

Hinc 3) fallunt hæc ſigna, ſi ægri Medicos, naturæ leges ignorantes, aut negligentes, nanciscantur, estque hæc præcipua cauſa, cur dicant Hodierni, criſes illas notabiles minus noſtris, quam HIPPOCRATIS observari temporibus. Ita in Lariſſa SCAMANDER erat, *Epid. V. p.* 1146. Octavo convulſionum die moritur; non a morbo, ſed a pravis medicamentis, nimis violenter purgantibus, & iterato datis.

4) Fiunt, rarius quidem, aliquando tamen, ejusmodi, quæ omnem excedant ordinem. Dictum alia occaſione ex HIPPOCRATE, morbos eſſe, qui nulla de ſeſe ſigna bona, malave, certa, nulla criſeos, exhiberent.

In recenſendis diebus criticis vidimus, raro exemplo etiam die 10., 12., 15., 18., 22., aliquid critici adparuiſſe: quod, ut dixi, rarum quidem; ſed, quod HIPPOCRATI contigit, idem & nobis poteſt contingere.

Unde, monitu *Aph.* 2—19., ſemper dicamus prognoſin ita, ut nonnunquam id ita futurum ſit; ut, ſi vel aberrante natura, vel vitio ægri, vel perverſo medicamine, conſilio medico contra naturam dato, morbi curſus inflectatur, dubitanter datum

prog-

prognoſticum nos tegat. (*) Pergamus nunc in textu explicando.

Inprimis vero inde - - - & bona excretione. Si reſpiratio ſatis bona in acutis, denotat, hunc pulmonem, & qua ad naturales functiones pertinet, & qua ad vitales, bene ſuo munere fungi poſſe. Ut vitale, accipit omnem dextri cordis ſanguinem remittitque in cor ſiniſtrum, poſtquam actionem aëris expertus ille ſanguis eſt. Pulmo, ut viscus naturale, accipit & chylum & materiem morboſam, dum incipit moveri, vel crudam eam intra ſeſe gerit, ſi ſit peripneumonia. Ergo talis pulmo maximam partem adhuc permeabilis & validus in morboſam materiem, naturali ſimilem efficiundam, valide adlaborat.

(*) Tandem fiunt quandoque in morbis res plane inſolitæ; ita quidem, ut homo adpareat judicatus & tamen judicatus non ſit; ſed vel recidivas habeat, vel moriatur: omnia ſigna artis adſunt denuntiantia integrum optimumque judicium. Hippocrates omnino longe alius exſtitit, quam infiniti poſt illum Auctores, quorum libri ſcatent factis eximiis; omiſſis paſſim caſibus infortunatis. Sed ſic decipiunt legentes, qui æque, & forte magis, artem discerent, infortuniis enarratis, quam rebus prosperis. Hippocrates, hujus veritatis gnarus, ſolius veritatis amans, poſteritati conſecravit æque infortunia ſua, quam curas egregias; ut æque artis nosceremus defectus, quam vires. De *H.*

Cerebrum bonum, naturali ſomno ſepultum fovetur, novosque adcumulat ſpiritus, qui posthac viribus reſtaurandis inſervient: inſtauratæ vires materiem crudam coquunt, movent, expellunt.

Bonus ventriculus & inteſtina ex alimentis conficient chylum aliquem, quo reparentur vires, & medicamenta apta ad coctionem transmittent in maſſam humorum. A poſteriori; ſi videamus eſſe coctam materiem criſinque evacuantem factam, intelligimus, functiones ad id aptas perſtitiſſe.

§. 945. *Coctio quidem optima - - - & ſanitate habetur*: illa ſiquidem coctio dicitur optima, quæ cruditatem & cito & perfecte, in ſanam conditionem permutet. Si in peripneumonia homo prima die laborioſiſſime animam ducat, & ſicca quatiatur tuſſi, ſequenti vero die Medicus videat prodire ſputa leviter craſſa, ac ſtriis paucis permista ſanguinis, & reſpirationem forte paullo minus anxiam; ſi ſequenti die ſputa copioſa, flava, cernat cum notabili levamine reſpirationis; ſi die quarta reperiat ſputa ex flavo alba, copioſa, cum bono explicabili pulmone; eſt hæc criſis optima, maximam vitæ ſpem dans. Verum, ſi talia tantum adpareant poſt ſeptimum diem, aut tardius, eſt coctio tarda, inperfecta, metum vitæ, aut longioris mutatique morbi, incutiens.

§. 946. *Atque ſcitur humoris - - - eò melior coctio.* Mox videbamus in peripneumonia: dum cocti utcunque prodirent tuſſiendo humores, etiam actionem pulmonis emendari. Jam, propoſitione converſa, cernimus ex functionis emendatione quoque humores a nocenti ſtatu reverti in ſalubrem: quî enim aliter fieri poteſt? functiones depravatæ aut deletæ partium erant,

erant, a materia ad circulationem inepta, craſſa, acri, infarciente. Jam functio illa emendatior adparet Medico. Colligit inde, illum humorem morboſum reverti ad conditionem minus nocentem, quum partium functiones reſtitui haud queant, niſi per bona vaſa meliores, quam antea, humores perfluant. Ut igitur mox, quia humores coquuntur, functionem partium emendari concludebamus, ſic nunc concludimus, quia functiones, v. g. inflammati pulmonis, emendatiores ſunt, etiam neceſſario humores oportere eſſe naturali ſimiliores; quum functio deleta non poſſet emendatior fieri; niſi, qui humor ejus partis vaſa permeet, ſit melior, quam antea, humor.

Rurſumque, quo excrementa omnia ſimiliora naturalibus, eo coctio perfectior, & contra. Alvi, v. g. excrementa ſunt jam mutata a viribus vitæ a nigris, aut viridibus, in flava, bilioſa, ſed ſunt perquam liquida. Coctio bona, ſed non perfecta; cur non? Naturalia ſi excrementa hæc perfecte eſſent, forent minus aquoſa, magis ligata. — Urina fuerat principio aut aquoſa pallida, aut rubra flammea; jam fit turbida, vix quidquam deponens. Eſt coctio quædam, ſed inperfecta; perfecta enim dat urinam ſimilem fere ſanæ colore ſtramineo, ut cum nubecula in medio ſuſpenſa, brevi ſubſidente; vel deponentem ad fundum album, læve, æquabile ſedimen. — Vomitus erat meracus, niger, viridis, flavus; jam ſit minus niger, minus viridis, minus flavus. Eſt coctio aliqua, ſed inperfecta. Bona coctio materiem vomitu ejiceret naturalis glutinis, bile miſti ſimilem.

§. 947. *Tandem etiam - - 1) ex ætate ipſius ægri.* Eſt ſanus, robustus, carnoſus juvenis; hic, ſi vires vitales paucas habeat, plus dejectus eſt a morbo, quam

ſi

ſi aut infans, aut ſenex, eodem morbo detentus, easdemque præciſe vires vitales debiles habens, dejectus eſſet. Denotat in illo juvene, cauſam eſſe majorem, quam in infante, aut ſene, quando parem cum illis habet debilitatem. Sed, ſi videam, vires ejus minus proſterni, quam aut infantis, aut ſenis, eodem morbo laborantis, tribuo præter aliis cauſis, etiam hoc valenti ætati.

2) *Sexu:* Si vir mediæ ætatis robuſtus inflammatione laborans cerebri, aut pleuræ, ita debilitetur, quam femina ejusdem ætatis, eodem morbo adfecta, dicerem, periculum viri majus eſſe, quia cauſa major debuit eſſe, quæ æque debiles in illo effecerit vires, quam in illa femina, cujus vires ante morbum tam valentes non erant; ergo etiam feminam minus periculoſe degere, quum vis morbi ejus vires haud ita mutaverit, quam vires viri.

3) *Temperie*: Cholericus & phlegmaticus eodem morbo acuto decumbunt: ex temperamento concludo, ſi morbus ſit præciſe idem, priori vires manſuras integriores, quia easdem habuit ante morbum valentiores. Sed, ſi utrisque æque inſignis dejectio virium, novi, vim morbi in cholerico, quam phlegmatico, majorem; vires enim antea plures, quam alter, habuerat.

4) *Vita*: Æger ante hunc morbum Baccho & Veneri litabat, viresque conſumebat. Alter, eodem morbo laborans, virtutum omnium cultura inlibatam animi corporisque valetudinem tuebatur. Prævideo, ultimo robustiores manſuras, quam priori, vires.

5) *Natione*; ſi idem morbus prehendat hominem origine & natione robuſtum, aliumque ex gente magis effeminata; novi, priori robur cauſæ vitalis majus adeſſe, quam poſteriori. Sed, ſi utrique æque debili-

ten-

tentur, concludo, prioris, qui majus vitæ robur habuerat, vim morbi validiorem esse, & periculum majus, quam alterius.

5) *Familiæ ipsius ægri*: hoc in praxi notandum, ut tuto futura prædicamus. Sunt familiæ, quibus solemne, valide resistere morbis. Novit Medicus, quo tempore epidemicæ acutæ febres multos occiderent, in certis familiis evasisse plerosque. Hinc novit, naturale quoddam in illa robur ad hos morbos perferendos. Verum, dantur familiæ, ubi multi ad certam ætatem apoplexia corripiuntur, & moriuntur; aliæ, ubi certis annis plerosque adoriatur hæmoptoë insanabilis. — Hæc nosse oportet Medicum, dum artem in magnis familiis exercet, binas ob causas: 1) ut prophylacticam curam adhibeat circa ætatem illam, qua hi morbi prodituri fuissent; 2) ut prudentem prognosin faciat.

§. 948. *Atque ex his... causæque illius magnitudinem*: si non noverim ægrum antea, jamque in morbo primum eum videam, laborantem quidem valida pleuritide, quæ eodem tempore multis vires magnopere prosternit; concludo, hominem illum habere ingens vitale robur, quum viribus adhuc belle valeat. Si videam, huic homini jam ab initio signa oriri coctionis, dico idem: fortem concludo ipsi esse pulmonem, quod is suo munere adhuc fungatur.

§. 949. *Cognoscitur autem vis & magnitudo causæ morbum parientis* 1) *ex notis ejus causis magnis, malignis, pertinacibus.* Vocor ad phreniticum, indagando deprehendo huic homini ab aliquo tempore adesse iram, alta mente repostam; accidisse insignem contumeliam, quam concoquere secum debuerit. Prognosin funestiorem dabo, quam si nihil simile præcessisset. —

Ho-

Homini contingat inflammari hepar; examinando disco, ab externa cauſa hepar validiſſime contuſum fuiſſe. Prognoſin pejorem formo, quam ſi ex ſimplici cauſa interna id contigiſſet, &c.

2) *Ex genio morbi, per cognitam conſtitutionem epidemicam*: quum HIPPOCRATES animadverteret, conſtitutionem hanc alio atque alio anno, alia atque alia ejusdem anni tempeſtate, eſſe, ſedulam navavit operam, ut exacte ſingulis temporibus conſtitutiones notaret. Multa ſic, eaque mira, didicit; neceſſitatem omnibus Medicis inpoſuit, idem faciendi.

Mirus morbi genius v. c. is fuit, quem enarrat *Lib. VI. Epid. p.* 1194. in eo tuſſis cum febri obtinebat; quæ haud raro erat peripneumonica: hoc epidemico morbo viri maxime laborarunt; quæ vero ex feminis erant natu majores, omnes ſervabantur. Anginæ peſſimæ aderant eodem tempore: vidit HIPPOCRATES, modo duas liberas feminas hac angina adfligi, eaque mitiſſima; mancipia vero abundantius inde adfligebantur.

Rationem porro hujus rimatus VIR *magnus* hanc invenit, quod non, veluti viri, aëra haurirent; in publicum non prodeuntes, & quod tunc non ſimiliter, ac viri, morbo adficerentur. Viri autem, & ſervæ, quum in aërem potiſſimum ſe exponere cogerentur, illo miasmate, quod & tuſſes & anginas excitabat, frequenter adficiebantur. In hac epidemica conſtitutione intelligebat ex genio morbi, cauſam violentiorem viris, quam feminis, eſſe; violentiorem etiam eſſe feminis ſervis, quam feminis liberis. — Videri etiam circa hæc meretur SYDENHAMUS vix non omnibus operis ſui egregii locis; inprimis legendum *c.* 2. *Sect. I.*

Hoc Epidemicorum ſtudio SYDENHAMUS didicerat, eſſe morbos epidemicos, qui penitus reſpuerent remedia, quibus conſtitutio alia, eique per omnia ſimi-

lis,

lis, probe auscultaverat. Sic detexit, conſtitutionem mutatam eſſe ex eo, quod eodem emetico nunc fere morti traderentur, quo, turgente materia, dato, in præcedente conſtitutione paſſim bene habebant. Detexit ejusmodi obſervationibus, variolas omnino diverſas fuiſſe, quæ annis 1670. 1671. 1672. graſſabantur, ab illis, quæ binis annis ſuperioribus regnaverant. Hæc qui ignorat, nihil certi in praxi habet Qui autem naturam capit Epidemici, ille novit illico, num homo communi prorſum aliis omnibus temporibus morbo laboret, an epidemico: novit, ſi laboret epidemico, ex certo quodam ſymptomate, illi morbo proprio, vel abſente, vel deficiente, magnitudinem periculi.

Hoc adeo verum, ut variolæ noſtri temporis iterum inmenſum differant ab illis tribus ſpeciebus, quas in vita ſua SYDENHAMUS obſervaverat. SYDENHAMI tempore paſſim peribant, quibus in confluentium genere brevi ab eruptione, usque poſt incipientem ſiccationem, bonus non adeſſet ptyalismus. Numeroſis tamen plures per annos variolis interfui, interque eos, quos a confluentibus curatos vidi, plures longe citra vel minimam ſalivationem, quam cum illa, ſanatos ſalutavi. Igitur in prognoſi erat abſentia ptyalismi, SYDENHAMI tempore, mortem fere minitans; anno hujus ſæculi 1744. 1746. 1748. minime: poſteriori tempore forte vel hoc, vel aliud, pernicioſum ſignum tunc graſſaturæ habebunt variolæ.

Ad hæc adtendere oportet, ne quid negligamus; verum debita cum prudentia. Non ab una alterave narratiuncula mulierearum, aut barbitonſorum, hæc noſcuntur, ſed ab experientia ſedula. Novi quosdam ignorantiſſimos Medicos, qui magnorum virorum famam adfectarent, novi quidquam inſolitique in morbis obſervando & hoc ubique plenis buccis effutiendo; dum nemo

mo Medicorum aliorum his obſervaret ſimilia; ſed, vel errorem ægri, vel medendi methodum perverſam, pro vera mali ſymptomatis obſervati cauſa agnosceret. Bene SYDENHAMUS, *p.* 16. *Præfat.* „ Sæpe accidit, ut facies morbi variet pro vario medicandi proceſſu, ac nonnulla ſymptomata non tam morbo, quam Medico, debentur: adeo ut, eodem morbo laborantes, ſed varia methodo tractatos, varia etiam ſymptomata exerceant. Unde, niſi cautela adhibeatur, neceſſe eſt, ut admodum vagum & incertum ſit circa morborum ſymptomata judicium. "

3) *Ex copia, magnitudine, vehementia, ſymptomatum.* Homo unus habet febrim acutam continuam, cum ſignis coctionis, cum pravis ſymptomatibus nullis. Dico: vis & magnitudo cauſæ morbi in hoc ægro eſt perquam modica. Sed, eodem in morbo habet alius omnia ſigna cruditatis, vix dormit, anxietates patitur. Dico: in eo vis & magnitudo cauſæ morbi eſt magna. Tertius non modo cruda omnia habet, ſed etiam cruda evacuat per alvum, per os; ut materies viridis, aut nigra, continuo excat, cum inſigni viriumdecremento, morbique & ſymptomatum ejus incremento, cum facie conlapſa, oculis vagis, delirio, ſudore ad ſuperiora. Dico: ibi vis & magnitudo cauſæ morbi tanta, ut brevi peremtura ſit hominem.

4) *Ex cruditate*; ut dixi mox: quo cruda diutius perſeverant, eo eſt vis cauſæ morbi major; quod vires naturæ illam ſuperare nequeant ad coquendum. Si pleuriticus die tertia, quarta, quinta, adhuc ſputis careat, video adeſſe cruditatem magnam, adeoque vires vitæ non poſſe vim cauſæ morbi ſuperare: prævideo, vel ſubpurationem adfuturam, vel metaſtaſin malam, gangrænam & mortem.

5)

5) *Ex mutatione magna qualitatum ſenſibilium; quoad figuram, molem, colorem, conſiſtentiam.* Si homo mutetur ita, ut vix maneat ſui ſimilis; ſi oculi pulverulenti, ſqualidi, conlapſi, ſemiclauſi in ſomno; ſi naſus acutus; ſi labia retorrida; ſi familiares haud agnoscat; ſi ab acerbis amatæ conjugis & charæ prolis lacrymis ultra non moveatur; ſi, quos & ante morbum & inchoante morbo, ſuaviſſime excepiſſet, jam torve & proterve adſpiciat; ſi caro ejus veluti deliquescere videatur in facie, ut pro pulcra toroſitate nascatur cadaveroſus marcor; ſi rubicundum illum amœnumque hominis colorem pallor excipiat; ſi, olim in morbo quietus, jam ſitum quovis momento mutet; certe ſunt omnia ſigna denotantia vim & magnitudinem cauſæ morbi.

Sed discamus hac in re ab HIPPOCRATE prudentiam; aliter ſæpius decipiendi & decepturi. Omnia hæc ſigna vis & magnitudinis morbi dum toties recenſet, ſemper cautelas ſubjungit: ni id conſuetudini, aut aliis cauſis, ad vim morbi augendam non facientibus &c. aut inde natis debeatur. Sic v. g. malum eſt, ſomnia in ſomnis habere ægrum & inde agitari, muſſitare, irasci; quia non eſt ille reficiens ſomnus, reparans perditos ſpiritus, & indicatur cauſa turbans, irritans. Verum, ſi homo ille conſueverat, ita ſanus dormire, minus malum eſt. — Malum eſt, tremere manibus in acutis morbis, denotans defectum ſpirituum in ſecretione, aut distributione: at vero, ſi familia dicat, id ægro ortum a morbo olim paralytico, quo laboraverat; aut ab incunabulis ex terrore matris tempore graviditatis; eſt minus malum, quia non a vi morbi productum. — Eſt malum, amabilem thori ſociam dulcesque natos excipere minis, objurgationibus; quia mentem mutatam maximopere denotat: ſed, ſi æger uxorem nunquam vere dilexerit, ſi ſanus

nonnisi torve, ruditer, tyrannice, cum familia egerit, est sane minus malum, quia non a vi morbi.

6) *Ab excretis valde recedentibus a sanis*; ut, toties jam exposui, dum de excretionibus tempore cruditatis & coctionis agebatur.

§. 950. *Causis his - - - per hæc axiomata &c.* Circa hæc tria axiomata revocate, quæso, Vobis in memoriam tres ægros acutis adfectos, [quos Vobis exhibueram in nosocomio.]

In juvene pistore pleuritico, jacente in primo lecto, axioma primum erat verissimum. Aderat quidem pleuritis vera, die tertio, cum sputis principio tardioribus, alvo utcunque liquida in crudo morbo, lingua fusca; sed erat respiratio non difficillima, pulsus non admodum durus, sputa aliqua, pauca quidem, sed flava, striis sanguineis mista; urina & alvus bona; ergo causa vitæ maxima, & quamvis ad finem quartæ diei omnia pejora fierent, tamen iterata v. s., educto sanguine coriaceo, omnes excretiones rite redierunt; ut causa vitæ subpressa quidem, sed non inminuta, mox adpareret: unde & die septima judicatus fuit juvenis.

Axioma alterum vidistis verum in homine illo, qui secundum lectum occupabat. Is principio morbi quidem signa plura prava, quam bona habuit: at vero in eo consideravimus vim vitæ bonam, neque ita a causa morbi subpressam, quin homo pulsum fortem servaret, decubitum mollem, & propriis viribus mutatum nobis exhiberet. Quibus vitæ viribus bonis id effectum, ut, quum per 8. priores dies metus mortis exsuperaret causam vitæ, tamen ab 8. ad 10. contemplaremur vim causæ vitæ jam æquivalentem causæ morbi; atque post 10. diem causæ vitæ vires majores causis morbi; licet haberet multa prava signa.

Axio-

Axioma tertium obtinuit in pleuritico ſene, qui in tertio lecto erat: hic 5. & 6. die a nobis examinatus exhibuit ſemper cauſam morbi viribus ſuperiorem cauſæ vitæ; unde & 6. die mortuus eſt.

§. 951. *Magnitudo periculi in morbis, ſpectatur etiam exceſſu magno, quo cauſa morbi ſuperat cauſam vitæ:* ut ad §. 948. conſiderabamus magnitudinem periculi augeri etiam a principio morbi, antequam ex coctione aliquid dici queat; ſi v. g. phrenitis orta ſit poſt contumeliam inſignem homini ſummis in honoribus conſtituto inlatam; poſt iram ſummam, alta mente repostam. Notabamus, in inflammato hepate morbi magnitudinem vehementer augeri, ſi illa inflammatio non a cauſis inflammationis communibus eſſet orta, at vero ex gravi abdominis percuſſione. Periculum longe majus cernebamus in hæmoptoë eſſe, ſi diabroſis, quam ſi anaſtomoſis, in cauſa eſſet. In his omnibus cauſa morbi magnopere excedit cauſam vitæ.

§. 952. *Duratio illius menſuratur ex tarditate, quo morbus tendit in ἀκμήν.* Explicata illa magnitudo periculi tamdiu durat, quamdiu morbus crescit: ſi enim ſtaret, tunc vel ſpes vitæ adforet, ex ſuis formanda ſignis; vel metus mortis inſtantis; vel ſuſpicio morbi alius. Jam vero, dum a principio ingens periculum aderat, ex intellecta cauſæ morbi magnitudine, dum morbus pergit crescere, durat (& augetur) periculi illius magnitudo. Morbi quidem acutiſſimi & peracuti ſunt citius lethales, quam acuti; tamen acuti ſunt præ cæteris lethales & periculoſi, qui ultra 4., 7. diem pravis crescunt ſymptomatibus, aut ſaltem perdurant iisdem cum pravis ſymptomatibus a principio: nam metus ſemper adeſt, fore ut vires ſuſtinendo non ſint.

Ex debilitate vitæ; quammaxime; ut toties jam expoſitum; vitæ enim vires ſolæ materiem coquere poſſunt.

Ex pertinacia & tenacitate materiæ; ubi & ſputa, & urina, & alvus, & ſudor, & ſtillicidium narium, omnia hanc tenacitatem clamant: ſed hæc expoſita ſæpius: cauſa morbi hic cauſâ vitæ ſuperior erat & manet.

§. 953. *Alius morbus futurus ſcitur exinde, quod vis morbi & ſymptomata ejus remittant absque coctione &c.* Nihil cognitu evidentius: refricemus modo memoriam priorum. Si ſigna coctionis aut nulla, aut pauca, aut non decrescentia, aderant, crescente vi morbi, lethalia ſigna adparebant magis magisque, & moriebantur homines Qui in ſanitatem reſtituendi erant, his bona coctio contingebat, ad quam morbi ſymptomata minus gravia, vires vitæ contra meliores reddebantur. Verum, fiunt in ægro ſymptomata mitiora; videtur ipſe morbus multum remittere, & tamen nihil cocti, aut parum tantum, adparuit. Concludimus, infidum ſignum eſſe, quum materies morboſa nunquam ſit in gratiam reditura cum humoribus corporis bonis: ergo metuendus alius morbus.

Atque - - - evacuatione : præceſſerat quidem coctio aliqua; ſed exſpectavi fruſtra evacuationem; nullam, vel adeo exiguam, vidi, ut merito concludam, naturam manere morbifica materie onuſtam. Hæc materies demum ad alias deferetur partes, aut novas excitabit febres.

Idque - - - materia; nempe dantur morbi, qui vix materiem habent, adeoque coctionem aut evacuationem non exſpectant. Febris v. g. intermittens, ſæpe a ſolo genere nervoſo irritato orta, ſine ſenſibili coctione

ne & evacuatione ſilet, dato cortice peruviano. Eſt in his nulla propemodum materies; unde ejus coctionem & evacuationem hic fruſtra exſpectaremus. At vero morbi acuti, de quibus nunc agimus, materie tali, plus, minus, abundant.

§. 954. *Morbus --- diuturnior.* In genere hic conſideramus omnes morbos, qui vita adhuc ſuperſtite ex bona coctione & evacuatione non judicantur. Horum in claſſe tamen minus intelligimus illos, qui judicari videntur, & tamen repetunt aliquoties; ut tot vidimus in diebus criticis recenſendis; hi proprie ſub illis criſibus inperfectis recenſiti ſunt. Recenſendi autem proprie veniunt hic morbi, qui non easdem repetant febres, ſed plane morbum alium.

Pleuritis, angina, id familiare habent, ut critice non ſolutæ peripneumoniam efficiant: ſive id fiat, eorum materie eò delata; ſive aut thoracis motum inpediendo, ut in pleuritide fit; aut angustando ſenſim asperæ arteriæ rimam in angina. Hic ſane morbus priori deterior; nam nova generatur inflammatio in corpore, a priori morbo vehementer debilitato. Inflammatio pulmonum, ut primarius morbus; itidem inflammatio diaphragmatis, pleuræ, hepatis, lienis, ventriculi, renum, inteſtinorum, uteri, transit ſæpe in abſceſſum, inflammatione prægreſſa terribiliorem, diuturniorem; nec raro poſt diuturnas ærumnas finem vitæ inponit. Itidem morbi acuti, inflammatorii, febriles, ſine inflammatione topica, id habent, ut criſi non contingente materies morbifica ad aures, ad crura, ad coxam, ad inguina, deferatur.

Hinc cernitis, novum Vos exercendi aperiri campum, morbosque quaſi novos, ex aliis natos, demum contemplandos eſſe, quum cæterum filum curationis

perderemus. Multi igitur hæc noſſe intereſt. Jubet religioſe HIPP. *Epid. VI. ſect.* 6. *n.* 10. *p.* 1190. „ Neceſſe eſt adtendere, quinam morbi oriantur ex præcedentibus.“

Morbi, ut *Textus* dicit, mutantur ſæpe in pejores ac diuturniores; vel & in pejores ac breviores; aliquando in morbos minoris periculi: tandem mutantur morbi acuti febriles, ſed & inflammatorii, in abſceſſus verſus exteriora loca; qui, ſi ibi aperiantur & fundant pus per aliquot dies, liberant hominem a morbo toto; ſi vero adparentes mox retrocedant, vel non ſatis fluant, eſt morbus alius inde natus, vel mors ſequitur: quorum omnium in HIPPOCRATE paſſim occurrunt inſtantiæ.

§. 955. *Sed & poteſt --- pruritu &c.* Dicit *Textus*, materies *male* cocta; quia potiſſimum illæ metaſtaſes materiæ contingunt illis, quibus perfecta coctio defuit; unde in omnibus morbis, quo coctio melior, eo firmior prognoſis, eo certior ſalus. Coctione autem non ſatis bona prægreſſa ſæpe fit, ut ægri vel recidivas habeant, vel depoſitiones materiæ morboſæ ad loca non excretoria corporis, ſed varias alias corporis partes. [Verum & ſunt caſus, in quibus materies morbi cocta ſatis, nec aptas vias excretorias nacta, ad loca non excretoria depoſitiones facit.] Noscuntur illæ metaſtaſes futuræ ex eo, quod locus, in quem incipit natura deponere materiem illam, pati incipiat *pruritum*, ut ab omni alieno inpulſo ſemper fieri ſolet; dein, aucto adpulſu, *titillationem*, ab agitatione nervis inde concitata; pars tunc incipit in *tumorem* adtolli, quia plus continet materiei; *dolorem* percipere, ab extenſis vaſis & nervis; *ruborem*, a conpreſſis vaſis, exceptum ſanguinem expellere non valentibus; *ſtuporem*, a ner-

a nervis nimium conpreſſis; *pulſationem*, quia cor a tergo urget, nec datur inpulſo ſanguini liber exitus per obſtructum locum. Præterea aliquando percipitur *agitatio & molestia perpetua partis alicujus in ægro*; ſi primo in interioribus illius partis hæreat materies, ut necdum in tumorem elevet illam, homo agitat partem continuo, nesciens verbis exprimere, quam ſibi moleſtiam natam ſentiat.

Tum ex genio, & idea, morbi. Variolas novi id ex ſua natura habere, ut febris varioloſa ad 4. diem cutim adtollat & pustulas producat. Hæc quaſi critica evacuatio hujus febris, ſed præterea initium novi morbi ſecundi ſtadii variolarum.

Vel ex epidemica conditione morbi: ita videre apud Hippocratem licet febres ardentes, aut continuas, quæ paſſim parotidibus, pus fundentibus, judicabantur; idque alio atque alio tempore aliter, prout conſtitutio epidemica plus minus eo vergebat.

§. 956. *Quin etiam --- colligendum eſſe.* Ex his verbis multa practica ſunt explicanda. Si homo laboret varioloſa febri, mitto illum quotidie pedibus in balneum aquæ calidæ, vel aquæ & lactis, ut pedes & crura tota intumescant; non id modo, ſed epiſpastica admoveo plantis pedum, pedesque & crura involvo quotidie cataplasmate emolliente; ea quidem intentione, ut vis morbi in crura pedesque, ceu partes emollitas, adeoque non reſiſtentes, potiſſimum materiæ varioloſæ partem inpellat. Hinc efficio, ut ingens variolarum numerus hæc loca occupet minorque longe numerus caput, collum, pectora, petat.

Hinc 1) ſervo magis hominum venustatem; quum, quo pauciora ſtigmata ſuperſint in his locis conſpicuis,

eo minus defœdentur homines. Sed hoc minimum, quod curamus; ſequens plus ſtringit.

2) EX SYDENHAMO totaque praxi nosco, periculum in variolis, cæteris paribus, eo eſſe majus, quo plures pustulæ caput & ſuperiora pectoris occupaverint; eo minus, quo inferiora puſtulis pluribus ſcateant. Etenim in propatulo ratio eſt. Homo tumet enormiter, quo loco plurima vis pustularum hæret. Si jam facies numeroſis pustulis referta tumidaque ſit, ſubfocatur ibi facile circulatio a copia materiæ; carotis externa minus ſanguinis admittit, carotis interna plus cogitur admittere efficitque non raro phrenitidem, aut delirium, adeo funestum in hoc morbo. Longe vero tolerabilius homini eſt, ſi circulatio parum retardetur ad pedes; melius toto corpore poteſt ſanguis tolerari, qui hic inpeditur, quam carotis interna tolerat ſanguinem plurimum carotidis externæ.

Itidem, ſi in collo ingens numerus variolarum, ſubfocatur circulatio ibidem multum, ſubjectæ partes conprimuntur & facile nascitur angina, adeo denuo hic metuenda.

Si magnus variolarum numerus ad pectus, dum circa finem ſtadii ſubpuratorii incipit cruſta putrescere, & omnia ſubtus ſubfocari; arteriæ intercostales, arteriæ mammariæ, inpediuntur, eo verſus ſanguinem circumducere; unde debent eo plus ſanguinis ducere ad interiora, ad pleuram v. g. & excitare dolores pleuriticos, aliave mala.

Porro, ita agendo, ut dixi, efficio crura ſe ipſis duplo craſſiora & variolis refertiſſimis conſita; unde minori cum periculo morbus abſolvitur.

Unde ſimul capitis pravitatem methodi bonarum matronarum, quæ in variolis aliisque exanthematibus infantum capita circumpoſitis duplicibus mitris, &

map-

mappis desuper, munire satagunt, ne caput frigus patiatur. Sane hac ratione ita caput fovendo efficiunt id, ut vis morbi in plagam hanc emollitam inpetuosius ruat producatque forte pustulas centum, quo in loco vix decem adfuissent.

In praxi sæpius occurrit mihi, ut homines, maxime mulieres, continuis fluxionibus & doloribus dentium, capitis, aurium, adflictæ per annos, artis opem in vanum expertæ essent. Causa examinata tandem hæc deprehensa fuit, quod integumentis, quasi strato super stratum posito, caput ita foverent, ut vis humorum tantò abundantius eò versus flueret. Dedi pluribus hoc consilium, ut interea, dum remedia adsumerent, prudenter & longinquitate temporis minuerent illa capitis integumenta, quò tandem parum tectum illud haberent. Hoc ita facto, plus, quam a medicamentis, lucrabantur.

Videte illos homines, qui continuis odontalgiis adficiuntur, non a dente cavo, sed, ut vocant, a fluxionibus: ratio potissima est hæc, quod ita caput muniant, ne frigescat, metu augendi doloris. Nonne nunc caput & genas ita muniendo efficiunt, ut plus perspiret? Ita certe; & gaudent, quod sic capite sudent in suis cubiculis & lectis, putantes, hac ratione omnes catarrhos dispelli. Sed, quid inde? sit modo aëris liberior per fenestram ingressus; eant modo ad templum, ubi per januam, aut aliunde, frigidior aër faciem adflat, intolerabiles mox experiuntur dolores, & tandem vix degunt a doloribus inmunes. Intelligitis, quo locus plus transspiret, eo facilius ab aura frigidiori transspirationem retroprimendam, retropressamque materiem tumores inflammatorios producturam.

Videte bonos ſenes podagricos, munientes crura manusque caligis & chirotecis laneis, duplicibus, triplicibus, ut podagram non habeant: ſed habent eam eo crebrius. Hoc adhuc, contra illorum intentionem quidem, bonum eſt; quum, ſi podagrica materies in ſanguine ſit, ea adliciatur ad artus extremos, neque viscera depopuletur. Videtis iterum effectum fotus loci.

Igitur intelligitis, quid ſibi *Textus* noſter velit: dum Medicus loca ignobiliora fovet continuo, prævidet facile, ut huc verſus determinentur humores: ſi enim mota materie critica incipiant hæ partes tumere, ſignum, eò verſus materiem determinandam.

Eſt enim in omni occaſione, ubi hæc metaptoſis materiæ animadvertitur in quemdam locum futura, ab arte fovendus locus, ut vis tota eo ruat, ſi ſit per talem locum, ubi materies ſine multa noxa poterit exire; v. g. crura, brachia, inguina, parotides.

Mira aliquando ſic curari cernimus. Uteros inflammatos vidi curatos, dum materies ad cutim prope umbilicum, aut aliis locis, ruborem, titillationem, dolorem, tumorem inciperet facere. Fovendo locum emolliendoque efficiebatur, ut copia enormis puris huc adliceretur & facta apertura tota puris quantitas ſe hinc eliminaret corpusque ſanum relinqueret.

Vidi præſens, mulierem in puerperio habere evidentem abſceſſum uteri. Ubi jam omnia mala timebantur, ſubito, ſine ulla prægreſſa cauſa, tuſſire incœpit, & validiſſime, & continuo, ut ferendo non eſſet; haustu olei, decocto emolliente tepide hausto, lacte calide epoto, brevi ſequutum ſputum purulentum, quod per plures ſeptimanas continuavit; utero iterum ſano, pulmone nullum vitium retinente. Hic

erat

erat locus in pulmone fovendus, emolliendus, ut huc transiret materies.

Puella, peripneumonia ſubpurata laborans, expectorare pus nulla ratione potuit. Postquam hectica febri & inani tuſſi conſumenda viſa eſſet, titillatio, rubor, dolor, tumor, oritur ad ſcapulam dextram; deſcendit per medium costarum perque latera abdominis; brevi poſt oriebatur tumor ad dextram coxam, mox ſupra criſtam oſſis ilei. Fovebamus, emolliebamus locum hunc inferiorem, & materie turgidum aperuimus. Copia ingens puris, per plures ſeptimanas hinc exiens, ſolvit tumorem ad costas & abdomen, ſolvit anxietates pulmonum & thoracis, ſolvit febrim, & facta tandem manſitque ſaniſſima puella. Hic videtur inflammatus ac ſubpuratus pulmo cum pleura adcretus; pure acriori facto eroſa pleura; pus hinc a pleura extrorſum ductum cuniculos egiſſe a ſcapula per abdominis latera, usque ad criſtam ilei; hoc loco aperto pulmo totus expurgatus. Sed de his ſatis!

§. 957. *Ex omnibus &c.* Quia toties de *pulſu*, & *reſpiratione*, & *urina* in hoc capite actum, ideo quamque harum materiarum peculiari tractatu *Cel.* AUCTOR reſumit, initio facto *de pulſu arteriæ*, *ut ſigno.*

DE

DE PULSU ARTERIÆ, UT SIGNO.

§. 958.

Pulſus arteriarum &c. Hic PHYSIOLOGIAM revocate. HIPPOCRATES *pulſuum* quidem meminit; ſed in diagnosticis ac prognosticis non multum utitur pulſuum doctrina. Si GALENO fides, ante HIPPOCRATEM *pulſum* non vocabant Medici in hominibus ſanis pulſum naturalem, ſed quando pulſum conſiderabant, id tantum erat in magnis morbis, in quibus vehemens per totum, aut partem, pulſatio deprehendebatur, idque non modo a Medico, ſed ab ipſo ægro. Putat autem GALENUS, HIPPOCRATEM fuiſſe inter Medicos omnes primum, qui motum arteriarum omnium, qualiscunque is eſſet, pulſum adpellaverit; ita ut dicat *lib. I. de different. puls.*, HIPPOCRATEM artis pulſuum minime fuiſſe ignarum, quamvis hanc partem non ut cæteras excoluerit. Unde pauca admodum hic ex HIPPOCRATE discimus. Ratio videtur ea eſſe, quod ejus tempore, uti vidimus, res obſcurior hæc eſſet, & quum Antiquorum obſervata nil de his agerent, neque ille de ea re agere voluerit, deſtitutus ſufficienti obſervationum numero; in colligendis, examinandis, emendandis reliquis V. V. obſervatis & unice, & totus, occupatus.

GA-

Galenus ex obpoſito tam multa tamque ſubtilia de pulſibus ſcripſit, ut ſtupendum ſit. Exſtat primo ejus *libellus de pulſibus ad Tirones*; — tum *libri quatuor de pulſuum differentiis*; — *libri quatuor de pulſibus dignoscendis*; — *libri quatuor de cauſis pulſuum*; — *libri quatuor de præſagitione ex pulſibus*; — *Synopſis ſexdecim librorum ſuorum de pulſibus*. — Exſtat præterea Galeno adſcriptum *pulſuum compendium*. — Denique habetur Galeni *ad* Antonium *Philoſophum de pulſibus libellus*. Conplent omnia hæc opuscula in *Editione Charteriana* 336 *paginas*.

Hæc omnia ejus opera circa doctrinam de pulſibus multa ſubtilitate Peripatetica referta ſunt; ſed ſi verum fateri liceat, parum tædioſa, nec utilia multum,

1) Quia oratorio ornatu plusquam dimidiam partem operis abſumit;

2) Quia totus eſt fere in refellendis opinionibus Antiquorum, Archigenis, Heraclidis Tarentini, Alexandri Philaletis, Demosthenis Philaletis, Bacchii, Aristoxeni, Zenonis, Chrysermi, Heraclidis Erythræi, Agathini, Magni, Athænæi, Moschionis, Erasistrati; quorum omnium opiniones ſcire parum refert;

3) Quia tam ſubtiliter de pulſibus agit, ut perſæpe ſeipſum quærere videatur, nec nos intelligere illum ſatis queamus: ita ut *egregius* Hallerus ſcite ſcribat ad §. 219. *Inſtit. p.* 278. „Galenus diviſit, & conpoſuit ita pulſuum hiſtoriam, ut nemo noſtri ævi ſatis muſicos digitos habeat, qui poſſit eos gradus distinguere.“ Pulſuum enim differentias habet 27., quæ iterum ſubdiviſæ in 3. alias differentias, ut inde exſurgant 81. pulſuum differentiæ. Forte liber quartus de cauſis pulſuum uſum bonum habebit ob deſcriptiones

pul-

pulſuum in plerisque morbis; quamvis etiam ibidem ſumma obſervandi ἀκριβεία deſideretur.

4) Doctrina V. V. obſcura & inperfecta admodum hac in parte tota ſit oportet, ob ideam erroneam circulationis.

Hinc, ſi aliquid boni in hac materie dicetur, id porro repetendum erit ex bona PHYSIOLOGIA. (Omiſi hic, uti reor jure merito, excurſum phyſiologicum, ab HAENIO hac occaſione denuo inſertum)

Oportere autem in morbis mutari pulſum, tum ex natura morborum intelligamus, tum vel maxime ex eo, quod ille idem pulſus in homine ſano inſigniter mutetur a minima cauſa.

Sumamus pulſum hominis ſani variis temporibus; explorantes illum videbimus, varium eum eſſe in homine dormiente, ab hujus vigilantis pulſu: alium ejusdem quiescentis, ab ejus ſe moventis: alium in eo jejunante, quam in bene pasto: alium in eo tranquillæ mentis quiete gaudente, quam in eodem, terrore, amore, gaudio, Venere, agitato: alium in eo ſobrio, quam in eodem ebrio, &c.

Quum igitur in ipſa ſanitate a tot diverſis cauſis tanta pulſuum detur discrepantia, minus mirabimur, majorem adhuc dari in morbis. Unde patet ſumma neceſſitas, hanc doctrinam bene capiendi. Quare & ſummus noſter in arte Dictator HIPPOCRATES, qui, uti vidimus, de pulſibus multa non egit, juſſit tamen, *lib. de humoribus*, pulſuum rationem a Medico habendam eſſe maximam. Agite ergo, videamus! (*)

§. 959.

(*) Monendum hic in genere, ut bini pulſus ſemper tangantur in hominibus nobis ignotis, vel in primis viſitationibus; quia primo vix dies transit, uti vi-

§. 959. *Pulsus igitur fortis . . . muscularem:* quia ictus in arteria perceptus notat valorem virtutis cordis, a qua sanguis in arteriam inpellitur. Verum, si dicamus musculum agere fortiter, oportet ut ea, quibus ita fortiter musculares fibræ agunt, sint præsto, copia magna, qualitate laudabili; adeoque etiam valorem causæ contrahentis, nam alioqui vis cordis illico obtunderetur, cor sanguine obpleretur, pulsus fieret parvus, palpitans.

Ergo talis pulsus &c. si toto corpore in omnibus ejus partibus, talis. Cur additum hoc: *si toto corpore?* Quia in debili homine potest fieri in aliquo loco pulsus fortis ab obstructione & incipiente inflammatione. Si debilis puella chlorotica, vix pulsum habens, gradus adscendat, pulsus magis observatur in carotidibus, & temporalibus. —

Fallit sæpe in morbis apoplecticis, & aliis quibusdam &c. in apoplexia sanguinea maxime, id fit, quia copiâ cruo-

---

videtis in Collegiis matutinis, ubi, inter pauperes unus alterve non exhibeat alterutro in carpo differentiam: 2) quia potest arteriæ principalis directio variari, ut non directe in carpo sit; quale exemplum apud Tulpium occurrit. *De* H.

(Rarissimo exemplo novi hominem, juvenem adhuc, olim hæmoptoë, a contusione nata, laborantem, ac exin nunquam non infirmo maxime thorace adfectum, in quo constanter pulsus adeo variat a sese in ambobus carpis, ut in uno carpo lentus satis sit, ac debilis, in altero autem incitatus, uti in febrili motu & magnus, seu elatus. Sive ægrotet, sive sanus magis sit, inæqualitas analogica semper obtinet. *De* W.)

cruoris obrutum cerebrum ultra vix admittit transitum ſanguinis per vaſa corticis, unde novi ſpiritus generentur; interea dum cerebellum, tutius reconditum, minus preſſum, copioſiorem ſanguinem admittens, etiam vitales ſpiritus copioſiores gignit: unde tunc ille pulſus fortis, decipiens Medicos ad id non adtendentes. In vulneribus capitis effuſo ſanguine, qui cerebrum premat, idem phænomenon adeſt. Utcunque etiam hoc verum in lethargo; nam videtur cerebellum ſemper adhuc aptius, ut admittat humores frigide denſos, indeque illam materiem ſeparet, quæ ſpiritibus gignendis apta. Sed non eſt tamen in his frigidis morbis adeo fortis pulſus, quam in apoplexia ſanguinea, aut conpreſſione quacumque cerebri.

Durat hæc conditio, donec demum cerebellum, forti excitata circulatione, ipſum quoque obprimatur, ſecernere deſinat & moriatur.

§. 960. *Debilis*: cor debile agit, quum & in ſua fabrica debilius, & ſpiritus accipiat paucos, paucum ſanguinem. An ergo mali ominis ſemper pulſus ille? Paſſim; nam notat ea, quæ dicta ſunt, quæ per ſe mala. Verum aliquando *fallit in iis, qui valde obeſi.* Homines obeſi exhibent pulſum debilem duplici de cauſa: 1) quia cæteris paribus habent minus ſanguinis, quam ſani macilenti, aut convenienter graciles. Arteriæ minus extendi poſſunt ob circumfuſam pinguedinem, ubi blandus multumque pinguis ſanguis incœperit in vaſa lateralia olei multum ſecernere. Quo etiam illa ſecretio major, eo minus extendi poteſt arteria a vi cordis. Unde demum arteriæ minus accipiunt, minus transvehunt, & efficiunt, ut quoque minus accipiant a vaſis chyloſis, quum admitti nequeat: quare & excrementa

plus

plus chyli admistum habent. Adde, quod pluribus horum digestio fiat inperfectior, adeoque chylus minus bene præparetur. Unde revera lapsu temporis homines illi fiunt debiliores, quia vim resistentem suæ dilatationi inveniunt arteriæ indies majorem, vires proin minores habent hi homines, & si acutis conflictentur, multa timenda habent, antequam incipiat oleum secretum in panniculo adiposo fundi, quia cor vehementius irritatum in febri non potest per resistentes arterias transprimere suum sanguinem; unde perfecte non evacuatur, adeoque in motu suo multum turbatur ac debilitatur: hinc vires in tali ægro citius labascunt. Præterea multa timenda habent, ubi vi caloris febrilis oleum fusum sanguini admistum facile acre fit & vasa destruit, & corrumpit sanguinem.

Hæc igitur prima causa, cur obesi habeant pulsum debilem. Sed alia causa est, quod a Medico ille pulsus præ pulvinaris pinguis crassitie vix queat percipi. Etenim subfocatur systole arteriæ in pinguedine, ut digitum tangentis vix feriat.

Sed fallit præterea pulsus debilis in hominibus, quibus art. radialis alium decursum adfectat. Sunt enim, quibus exilis modo ramulus ad carpum sentitur, arteria jam prius divisa in tenuiores ramulos. Vidi alios, quibus in carpo radialis vix pulsaret, sed magnum pulsum dabat insignis ramus art. cubitalis in dorso manus, inter ossa metacarpi digiti minimi & penultimi. Vid. & Tulpium *lib. III. c.* 45. Obstetricem gallicam famosam sæpius in morbis curavi, quæ nullum in carpo sensibilem pulsum exhiberet; sed in dorso manus erat ramus insignis art. cubitalis inter ossa metacarpi digiti minimi & annularis.

Plura ejusmodi Auctores observarunt: docent hæc, prudentiam nobis eam esse adhibendam, ut carpum

utrumque prehendamus, & ſi adhuc dubitemus, etiam carotidem, vel, cum HIPPOCRATE, temporalem, exploremus; quamvis id plerumque neceſſe non ſit, ſi utroque carpo tentaverimus.

§. 961. *Pulſus magnus.* An differentia magna inter pulſum *magnum* & *fortem?* Videamus. Dicit *Textus:* notat 1) *copiam cruoris;* hanc & notabat fortis: — notat 2) *vim cordis*; notabat idem pulſus fortis; — notat 3) *arteriam liberam & contractilem*; id non notatur ad pulſum fortem, ſed ſequitur ſponte ex ejus natura: bonus fortis pulſus non datur, ſi arteria libera & contractilis non ſit. 4) Pulſus magnus deſignat *circulationem & ſecretionem bonam:* idem & notabat fortis.

Ergo inter *fortem* & *magnum* vix intelligitur adeſſe differentia, nam notæ ejus ſunt eædem. *Magnus* vocatur, quia nunc elatus valde in diastole, nunc iterum ſubmiſſus admodum in ſyſtole percipitur. Ergo fortis & magnus pulſus idem. (*)

Par-

(*) Adnotavit hic HAENIUS in margine codicis posterioribus curis ſequentia. Forte pulſus fortis differt a magno, quod ſuſtineat ſe in corporis motu validiori; quod magnus per ſe, & ſine experimento facto, non præmittit: poteſt pulſus magnus deficere in curſu, cantu, &c. ubi fortis conſtans manet.

An fortis, qui valide pulſat & ferit digitum? Sed in ſtatu ſano magnus & plenus debent quoque digitum valide ferire, aut circulatio inciperet non bona eſſe: in febri vero plenus ac magnus de-

Parvus designat contraria; scilicet, vim cordis debilem, inopiam cruoris, arteriam obstructam & flaccidam, circulationem, secretionem, malam. Ideo notat parvus pulsus hæc, quia fortis & magnus copiam cruoris denotabant, & vim cordis, & arteriam liberam contractilemque, & circulationem atque secretionem bonam. Convenit ergo *parvus* cum *debili*.

Plenus inde ... observantur. Pulsus plethoricus in febri plenus quoque est; sed morbose plenus: tunc arteria turgens sanguine percipitur; ita, ut in systole se parum tantum contrahere possit. At vero pulsus & plenus, & simul bonus, habet omnes notas pulsus *fortis & magni.* Ergo pulsus *fortis*, & *plenus*, & *magnus*, sunt idem, (Sed illico vidimus, Haenium successu temporis sententiam suam circa hæc nonnihil mutasse,) ut dolendum sit, Auctores V. V. varietate inani nominum ita artem & obscuram & difficilem reddidisse. Erit ergo *vacuus* idem, qui *parvus*. *Vacuus* nempe dicendus, quod tam parum sanguinis habeat, ut arteria vix perceptibiliter percipiatur; quam ob causam & *parvus* dicebatur.

---

debet tantò fortius ferire, quò præ obstructione area circulationis minor est.

Fortis, magnus, plenus, multa habent simillima; stricte tamen loquendo differunt: v. g. in homine potest esse magnus & plenus, & adparere fortis: qui, si se subito moverit, adparet, non fortem habere, licet plenum & magnum. Etiam plenus in motu potest videri plethoricus, subfocatus fere. *De H.*

§. 962. *Durus ... naturali.* *Durus* pulſus adeſſe dicitur, quando quaſi lignum ferit digitos Medici. Inеſt quidem elevatio & depreſſio arteriæ, ſed eadem illa arteria quaſi lignum tenſum (quaſi chorda tenſa, aptius dictum fuiſſet) ſentitur in quolibet pulſu; quaſi canalem ligneum, ſeu calamum ſcriptorium vi extenſum in diastole, adeoque elationes & conſtrictiones longe minus notabiles, perciperes, quam in pulſu magno.

Significat 1) *membranam &c.*: ſi enim membrana eſſet mollis & humida, pulſus duritie illa careret.

Adeoque 2) *obſtructiones &c.* Mollitudo partis pendet a laudabili flexilitate vaſorum & liquidis rite perfluentibus: at vero, ſi vaſa contractiora ſint, vel ſi liquida in iis craſſa, inmobilia; durities nascitur. Ab his cauſis nonne pulpoſa mamma ligneam, immo lapideam nanciscitur duritiem? Sed arteriæ vaſa accipiunt a coronariis; ergo & cor ipſum infirmum & obſtructum videtur eſſe in ſuis arteriis; vel arteriæ arteriales, a coronariis ortæ, in finibus ſuis obſtructæ ſunt, & hinc tunicæ arteriarum indurescunt.

3) *Arterias plenas*; alioqui durities minus perciperetur.

Sed 4) *ad fines capillares inflammatoria tenacitate obſtructas*; nam, ſi capillares perviæ eſſent, transflueret ſanguis, ac tenſio minus perciperetur.

5) *Cruorem denſum &c.*; quia cor mittit in aortam inque omnes ejus ramos; fines autem ramorum obſtructi ſunt: ergo ſanguis, hinc a corde inpellente, inde a capillaribus reſiſtentibus, ceu duo inter præla, comprimitur, unde durities inmaniter augetur.

Hinc 6) *circulationes &c.*; nam ad finem arteriæ fit ſecretio; obſtructo fine nihil ſecerni poteſt: ſi nil ſecernatur, ergo neque excernitur.

7)

7) *Omnia eaque sane &c.* : nam ut, quam tangimus, arteria, ita se habent omnes. Hinc in pulsu duro tantæ pulsationes ad auriculas, carotides, & plures minoresque secretiones & excretiones inde læsæ observantur. Hinc sæpe in pleuritide mox tanta debilitas, quia arteriæ cerebri ac cerebelli quoque obstrui incipiunt.

Morbi, in quibus durus ille pulsus passim observatur, sunt præcipue pleuritis, phrenitis, aliquando & paraphrenitis, & gastritis; sed maxime omnium pleuritis.

Mollis autem &c. De pulsu *molli* multa dicuntur; hinc ideam ejus rectam habere conemur.

Si contraria, ut in *Textu* habetur, significet omnia, ergo 1) membranam arteriæ humidiorem naturali; 2) vascula minima membranas arteriarum contexentia, admodum pervia; 3) arterias sanguine multo destitutas; 4) nullas ad capillaria obstructiones; 5) cruorem dissolutum, rarum.

Ergo mollis pulsus notat obstructiones nullas adesse, sed vasa flaccida & cruorem dissolutum.

Attamen in peripneumonia est obstructio magna ad fines capillares & sanguis densus, & tamen mollis pulsus: hinc ait Auctor: *Mollis autem significat omnia contraria; sed tamen in peripneumonia acuta fallit maxime.*

Igitur habemus hic exceptionem, cujus rationem facile capimus Dum viscera quæcunque aut partes in corpore humano inflammantur, pulmone adhuc libero, sanguis a venis, quarum arteriæ obstructæ non sunt, redux ad cor dextrum, potest per pulmonem adhuc liberum ad cor sinistrum pergere, inde in aortam, ad cerebrum & reliquas arterias corporis. Hinc, licet sanguis sit inflammatus, licet etiam aliquando sint

arteriæ duræ, tamen adhuc a corde replentur & faciunt pulſum durum, celerem, plenum.

Si vero pulmo ſit inflammatus, medium iter, quo ſanguis a venis ad cor dextrum tendens, in ſinistrum transeat, alia res eſt. Si per totum pulmonem hoc fiat, mors adeſt: ſi in parva tantum plaga, aut non in art. pulmonali, ſed in bronchiali, pulſus manet fortis & febrilis. At vero, ſi in notabili portione pulmonalis arteriæ talis inflammatio habeatur, ſanguis paucus per paucas liberas arterias transit in venas pulmonales, inde in cor ſinistrum.

Cor ſinistrum, parum accipiens, parum ad cerebrum distribuit & ad cerebellum: unde mox, a parca ſecretione ſpirituum, cor languet. Etiam cor parum mittit ſanguinis per reliquas arterias, unde mollitudo pulſus, pro inflammatorio. Itidem, ſi peripneumonia in ſubpurationem transeat, manet pulſus mollis, quia cauſa eadem inpediens in pulmone adeſt.

Pulſum autem *mollem* in ſubpuratione pulmonum ſolent vocare *undoſum*, quia à pauco ſanguine non multum extenditur arteria: arteria autem debito influxu ſanguinis coronariarum dudum in ſua ſubſtantia deſtituta & ob parvam ſpirituum ſecretionem paucis ſpiritibus gaudens, ad inpulſum cruorem ſe parum contrahit. Hinc mollis & undoſus pulſus vocatur.

Verum, ſi reſumamus pulſus fortis & debilis doctrinam, utique debilis, omnia contraria habens, quam fortis, fere convenit cum pulſu molli; mollis autem pulſus omni ratione debilis eſt.

Sed, quia ante cor dextrum plurimus ſanguis ſiſtitur, venæque exonerare non poſſunt in cor, arteriæ ſe in venas evacuare nequeunt. Hinc paucus ille ſanguis in peripneumonia ad fines arteriarum reſiſtentiam in-

inveniens, pulsum magis elevat, ut potius mollis, quam debilis, dicatur.

Hæc porro, quæ de pulsu duro & molli dicta sunt, ita intelliguntur, ut sæpe res sic se habeat; ut nonnunquam pulsus in vera pleuritide plane inflammatorius sit; veluti in omnibus acutis, parum autem durus: iterum, ut in vera & notabili peripneumonia pulsus valde febrilis, vix mollis sit; quia per dimidium, vel $\frac{2}{3}$ pulmonis liberi, sanguis sat copiosus adhuc transit & inflammatorius manet, febri continuo exagitatus.

In vero autem pulsu molli peripneumonicorum, si sanguis detrahatur, dilutus ille minimeque inflammatorius est; quæ res Baglivio paradoxo fuit. Ratio est paucitas sanguinis, qui jam conpressione orbus, adtritu carens, dissolvitur in arteriis & adhuc magis in venis.

Adde, quod nutrimenta & potulenta jam careant actione pulmonis, ut in bonum chylum bonumque vertantur sanguinem: ergo semicruda, soluta, transeunt ad cor sinistrum sicque in arterias.

Hinc facile mecum intelligetis, cur in vera eaque gravi peripneumonia tanta debilitas, & cur sæpe tam cito occidat. Quippe a sanguine, & pauco, & crudo, cerebri & cerebelli arteriæ vix accipiunt illam materiam, unde boni & copiosi spiritus generentur; ergo & cor, & arteriæ, & nervi omnes, & musculi: hinc cito lethalis adest languor.

§. 963. *Pulsus rarus - - - villos cordis:* hæc explicatione non egent.

3) *Circulum sanguinis - - - æquabilem:* id enim si non ita esset, oriretur frequentior pulsus per vasa libera; quia vasis obstructis sanguis debet per pauciora vasa libera cursum majori celeritate obire.

Sed dicetis, „in acutis peſſimis habetur ſæpe rarus pulſus, ubi tamen pleraque viscera obpilata. In feminis, in puellis debiliſſimis, ſæpe pulſus admodum rarus, & tamen adſunt obſtructiones multæ. Homines phlegmatici ita, ut a copia phlegmatis obſtructionibus laborantes ubique tumeant; homines quoque atrabiliarii, lentum ſæpe pulſum, ſive rarum, habent, & tamen cauſa mala eſt. Ergo pulſus rarus non habet tam bonas cauſas, ut *Textus* vult.“

Hinc præſtantiſſimus AUCTOR addit: *Si autem talis eſt ex debilitate, malus habetur, & periculoſus.* Ergo pulſus rarus antea conſiderabatur ſine debilitate corporis: quia enim talis ex debilitate, ſubponit cor languidum & ſpirituum ſecretionem paucam, & paucum in corpore cruorem.

In reconvalescentibus ſæpe rarus pulſus adeſt, quando obſtructiones ſolutæ ſunt, poſt bonam criſin. Oriuntur quidem ex debilitate præcedenti, ſed ideo mali non ſunt tales pulſus, quia omni die emendantur. Immo videtur emendatio hæc eò citius contingere, quò æger ſe pro ſuo modulo movet. Parvi illi motus augent circulationem, ſecretionem ſpirituum, virium reſtaurationem. Unde etiam mane a ſomno in illis eſt lentiſſimus; de die vero aliquanto fit celerior pulſus.

§. 964. *Pulſus æqualis --- bonus eſt; inæqualis ideo malus.* Quod vitæ conſtantiam deſignet pulſus, ſi æqualis roboris & frequentiæ ſit, tunc concludimus, quando & homini quieto & moventi ſe, loquenti & tacenti, clamanti & demiſſe loquenti, idem manet robore & conſtantia: neque enim aliter certi quidquam habetur. Si ſæpe debilem puellam videamus ſedentem, ſana videtur; pulſum ſat bonum poteſt exhibere: ſed

ſur-

ſurgat modo, & levem edat motum; mox pulſus ita mutatus, ut ſit & debilis & frequens & inæqualis.

Fortes milites ſic eligentem Belliducem videbamus, dum de *longævitate* agebamus.

§. 965. *Intermittens - - - pernicioſus.* Cor, primus motor omnium humorum, in ſua ſubſtantia, aut cavo, vitioſum, inæqualiter movet ſanguinem, ut impulſus intra datum tempus ſubin deſinat. Arteria pulmonalis, aut aorta, anevrysmatica, uno momento quam alio dilatatior, pulſum quandoque ſubfocat. Hæc omnia confirmata anatomicis ſectionibus: patuit ſic, pulſuum inæqualium, intermittentiumque cauſas præbuiſſe cor inflammatum, ſubpuratum, lapideum (partim), oſſeum, in ſua ſubſtantia; anevrysmatice dilatatum in ſuis caviis; obſeſſum firmis, adcretis polypis; polypos e corde enatos & arteriarum ramos ſubeuntes; arterias inflammatas, ſubpuratas, induratas, cartilagineas, oſſeas, dilatatas in ſacculos majores, minores. Etiam toties cauſa in enkephalo eſt, & non caput, ſed vitalia, in vita laborarunt. Nervi vitales poſſunt in enkephalo ſic adfici, ut vitalia morbis variis laborent in ſuis nervis, quin Anatome vitia agnoscat: nervi enim contrahi, convelli, dolere, poſſunt, ſine vestigiis horum in cadavere. Quis corpus epilepticum a morte examinans demonſtrabit (ſæpenumero, nam in univerſum ſane non valet adſertum) in musculis adfecti vitium nervi?

Pulſus inæqualis, immo ſubin intermittens, quibusdam hominibus eſt naturalis, ut olim de *idioſyncraſia* agens, explicui. — Vix explicari talia poſſunt: ſed ſaltem videmus, abſurda (potius dicendum, a legibus receptis communibus recedentia, ac ideas noſtras explicationesque exſuperantia) fieri in rerum

natura; & quod adeo præternaturale eſt, poſſe quandoque fieri maxime naturale.

§. 966. *Fortis, magnus,* [quod idem] *æqualis, tardusque ſimul, omnium optimus.* Hic erat ille pulſus conſideratus a nobis, dum de aptitudine corporis ad longævitatem agebamus: ſed ſimul non adeſſe patebat iis, quos ſtudiorum tenet amor.

Fortis & magnus, qui fere idem, *fortis & tardus*, *magnus & tardus*, vix inter ſe differentes, *ſimul, boni ſunt;* nam omnes hos pulſus bonos eſſe, antea ex veris ſuis cauſis deduxi. Cum ejusmodi pulſu, ſimul æquali, nemo unquam mortuus eſt, quum robur vitæ indicent: niſi a ſyncope cordis, uno momento quandoque nata: ut in peſte Londinenſi ſaniſſimi mercatores, in periſtylio (the beurs) loquentes & de mercibus agentes, tanquam fulmine icti concidebant mortui; ſed, ſi loquamur de morbis, cum tali pulſu nunquam quis moritur.

Debilis, parvus [quod circiter idem] *durus, inæqualis, intermittens, frequens ſimul, eſt peſſimus omnium.* Cur? Recogitate modo, quæ de cauſis horum pulſuum dicta ſunt. Cauſæ omnes erant plus minus pravæ. Si jam conbinentur omnes hæ pravæ cauſæ ſimul, non poterit talis pulſus non eſſe malus: unde *Textus* dicit:

Atque eo quidem pejor, quo plures tales notæ concurrunt ſimul, & contra. Si plures tales notas pulſus gerat, homo certo morietur. Cauſæ a nobis indagatæ & explicatæ, id ſatis demonſtrant.

§. 967. *Myuri &c.*: ut cauda muris ex larga ſenſim in apicem exilem abit, ita voluere nomine *myuri* pulſus, ſeu pulſus ſimilis caudæ muris ſenſim extenua-

nuatæ, significare, quod is ita sit intelligendus, ut secundus ictus sit paullo minor priori, tertius minor altero, quartus minor tertio &c. Ita & vocant, dum ex frequenti sensim minor fit, quasi gracilescendo: talis pulsus ipsis dicebatur μυερίζων σφυγμος.

Serrati, quasi rudis ac dentatus pulsus: id est, quod pulsus non percipiatur per totum tractum arteriæ, sed uno in loco sentiatur, paullo ultra nihil, paullo ultra iterum: ita, ut sicut in serra dantur acumina, interjectique hiatus, ita & pulsus hic sentiatur, ibi non, ibi iterum.

Caprizantes; quasi per saltus caprinos sentitur pulsus in carpo, non sentitur paullo altius: vel sentitur mox quasi per insultum, paullo post nihil.

Dicrotos; bis feriens; quando pulsus sentitur, mox incipit se arteria contrahere; sed, antequam se possit contrahere, iterum expanditur, tumque se plene contrahit.

Franciscus Solanus de Lucque, Hispanus Medicus, edidit 1737. tractatum de vario pulsu, ut criticas evacuationes in morbis præsagiente. (James) Nihel, Medicus Anglus, anglice vertit 1741. & latinum demum fecit *egregius* Noortwyck, Leydensis Medicus, Adfinis *Inl.* Baronis (van Swieten); 1746 *Inl.* Baro in suis *Commentariis cap. de febri ardente*, habet compendium ejus libri, ut ad indagandam naturam omnes Medicos incitaret, an forte hinc aliqua in Clinicum utilitas redundare posset. Utique res adtentione digna videtur; quanquam & olim, Hagæ-Batavorum, & in nostris ægris in nosocomio, hæc frequenter non observaverim. Posset tamen fieri, ut in multis ejusmodi non adessent, adessent in multis.

In

In omnibus nostris ægris operam dabimus huic examini. (*)

§. 968. *Ex doctrina --- effectus pulsus.* Calor effectus pulsus est, quum pulsus sit cordis vis pellens sanguinem in arteriam, arteriæ vis propellens iterum in-

(*) In margine Codicis HAENIUS dein addidit: „ Etiam cum famosis Medicis loquutus fui, qui summa adtentione examinarent omnia, quæ SOLANUS protulit de pulsu bis feriente, ut præcedente narium hæmorrhagiam; de pulsu intermittente, ut signo diarrhœæ criticæ; de pulsu, *inciduo* ipsi dicto, [qui est pulsus in una duabus, tribus, quatuorve, successivis pulsationibus, tam altitudine, quam vigore supra alias diastoles insurgens,] qui sudorem criticum denuntiaret: cum famosis, inquam adtentissimis Medicis loquutus fui hac de re: fecimus simul observationes; sed saltem in nostris Batavis non deteximus, quod in Hispanis SOLANUS. JAMES NIHEL, qui SOLANUM viderat, cum eoque conversatus fuerat, ideoque ex hispanico idiomate anglicum ejus tractatum fecerat, haud invenit, rem adeo late extensam, quam quidem SOLANUS scribit: tamen in genere rem adfirmat sese habere. In hoc nosocomio vidimus sæpe hæmorrhagias narium & diarrhœas criticas, ut & sudores criticos; nec tamen fuere illi pulsus, a SOLANO descripti, ita observati. Immo, pulsus dicrotos, & omni quarto ac quinto ictu intermittentes, observavimus

inpulsum sanguinem. Ab hac & cordis & arteriæ vi majori minori, citiori lentiori, æquali inæquali, pendet, vel oritur, pulsus fortis debilis, celer tardus, æqualis inæqualis.

Etenim notat --- major: quum omnis calor forte a pluribus, ignotis nobis, causis, sed maxime a notissima nobis causa, adtritu, oriatur. Adtritus talis fit major, si copia manente eadem sanguinis, ejus area minuatur per contractionem arteriarum.

2) *Humorem densum:* si, vasis manentibus iisdem, cruor condensetur, majori vi fricat arteriarum parietes. Si jam & arteria fiat arctior, & humor densior, calor enormis oriatur necesse est, a tam valido adtritu: est enim demonstratum in physicis, quo duriora duo corpora sint, quæ ad se invicem adfricantur, eo esse quoque calorem inde natum & citiorem, & majorem.

3) *Propulsionem humorum validam:* si sanguis densus sit & arteria arctata, cor debet habere vires magnas, ut propellat humores per coarctatum vas: sed vas coarctatum, nec obstructum, viribus hac coarctatione crevit, ut densum humorem valide pellat in venas: unde intelligitis, humores valide propelli.

4) *Resistentias - - - vasorum:* si arteria tota sit magis coarctata, etiam ejus finis. Ponamus, per ejus finem antea unum globulum rubrum transire potuisse: nunc

---

mus in nosocomio, sine insequente narium hæmorrhagia, sine diarrhœa.

Unde fateri oportet, in aëre batavo, ac germano, hanc rem mihi minus frequentem videri, quam in aëre hispanico Solano, & reliquis hispanis Medicis." *De H.*

nunc finis hicce coarctatus globulum vix admittit, (nisi, ut in circulatione vivi animalis microscopiô visum, globulus mutetur in oblongam formam.) Sed adde, etiam densatum sanguinem: eo erit transitus difficilior; unde, licet obstructio nondum adsit, tamen resistentia magna huic sanguini oritur ad hos arteriarum fines.

Si jam conbinentur hæ quatuor conditiones, calor intolerabilis nascitur.

Unde & - - - significat: hinc 1) vas laxatum, unde minor adtritus: 2) humorem dissolutum; ergo laxiori vase & humore tenui, adtritus admodum mollis fit; unde parvus calor: 3) propulsionem humorum debilem; quia humor non valide ferit, ea non valide obnititur; hinc debilis admodum est propulsio in venas; ergo cor, parum accipiens a venis, parum arteriis tradit: 4) resistentias fere nullas ad fines vasorum, quia vasa laxa humorem dilutum facile transmittunt: hæc conditio in puellis & hominibus debilibus.

Et æstus - - - sciuntur. Ut in omnibus excretionibus de earum bonitate, aut pravitate judicabamus ex earum similitudine, aut dissimilitudine cum excretionibus sanis, ita & sic calorem naturalem pro regula sumimus: ejus excessus *æstus* est, ejus defectus *frigus*, seu calor inminutus. Si incipiat excedere, incipiunt hæ quatuor explicatæ conditiones nasci; si multum excedat, conditiones hæ quatuor valide adsunt: metuo exinde, ne brevi tenella solida destruantur & multis in locis lethales fiant obstructiones. Prævideo, tandem a sanguine denso per vasa ultima coarctata non transiturum id, unde in cerebro ac cerebello spiritus secernantur; unde cor languebit. Si cor langueat, arteriæ vim ejus superabunt & cor quiescet. Si vero frigus adsit in ægro, novi ejus conditionem ex quatuor signis & effectibus nimii ca-

lo-

loris, nunc converſis. Dico, vaſa hic tam laxa ſunt, diſſolutique adeo humores, ut adtritus vix fiat; unde arteriæ vix a ſanguine inpulſo irritatæ, parum tantum illum promovent: arteriæ quoque eo minus adhuc irritantur, quia ad ſuos fines laxæ, patulæ nimis, non renituntur fere ad inpulſum ſanguinis: ergo, ſi ſic pergat, languebit circulatio, deficiet adpreſſio ſanguinis ad cerebellum, deficient ſpiritus animales & vitales; & mors aderit. Atque hæc quidem ita ſe habent quoad frigus in genere; quod frigus mere oritur ex defectu circulationis, non ex aliis cauſis. frigus enim illud, quod fit cum horrore & rigore, ſive ſymptomatico, ſive critico, id ex aliena materie, vaſa minima adficiente & irritante, oritur. Vaſa enim minima inde irritata conſtringunt ſe, & ceſſante in iisdem pro tempore circulatione, adeoque adtritu, fit frigus. (*) Si cor debilius ſit, quam ut vincat reſiſtentiam harum arteriarum, manent hi homines frigidi & moriuntur cum ſudore frigido: ante mortem enim paralytice laxantur vaſa conſtricta; humores tunc ſine reſiſtentia a parva vi cordis palpitantis foras pelluntur.

Si

(*) Sententia hæc circa ortum frigoris atque caloris posterioribus annis Haenio tamen minus adridebat; unde & in Prælectionibus publicis, tum ad lectos ægrorum, tum ex cathedra pathologica habitis, dubia varia propoſuit, & in margine codicis ſequentia adpoſuit.

„ Calorem tritu generari concedo, id enim multa experimenta phyſica docent. Facilius autem

id

Si vero cor vincat resiſtentias arteriarum, fit frigoris mutatio in calorem; nam validus adtritus nunc fit a ſanguine corde pulſo in resiſtentes arterias retentosque ad

---

id demonſtratur in inſtrumentis & machinis duris mechanicis, quam in mollibus, ut in corpore animali. "

„ Conceſſo vero hoc alterum conſtat; eſſe præter adtritum, cauſam caloris animalis aliam; quia ceſſante adtritu ceſſare calor deberet, ſi unice ab adtritu calor: jam vero experimenta in noſocomio docuere, & frigere partes in homine cum valido pulſu, & calere ſine pulſu. In cadavere mortuo augetur calor, ubi ceſſat adtritus, & manet auctus, aliquot a morte minutis. Si a ſolo adtritu, eſſet varius pro ætate varia; ſed quadragintaduo capta experimenta, in pueris, adultis, ſenibus, ſanis, docuere, calorem paſſim æqualem. Ignoramus noſtræ machinæ intimam naturam, & ignorabimus ſemper; hinc, uti ante cognitam circulationem per tot millia annorum, ita jam plusquam integro ſæculo poſt cognitam circulationem, poſt ſemiſæculum reſtauratæ Phyſicæ, palpamus & præcipua ignoramus. *Perillustris* HALLERUS *in Tom. II. l.* 6. refutat egregie plerasque opiniones; ſed doctrinam de adtritu, ut genitore caloris, magis adſumit, quam contra objectiones defendit: reſpondet ad quædam meorum; ſed omittit, quæ in varia ætate calorem æqualem demonſtrant, & quæ in cadavere obſervata. Experimenta in *variis Tomis Rationis medendi* adtuli, quibus evici calorem ſine pulſu; cum pulſu frigus perſeverans; non

ad fines humores. Actione quoque resuscitata vasorum in fluida, hæc adteruntur, adtenuantur, adsimilantur, præparantur; ut vel per sudores, vel alia cor-

---

non sensu ægri tantum, quod minus probat; verum etiam in aliis & thermometro & adtactu meo multorumque Studiosorum, cum pulsu æque forti & magno, quam in alia manu calido; tandem in cadavere hora post mortem calorem majorem, quam ante mortem, aut in toto morbo acuto. Pro more suo Hallerus ad quædam in abstracto respondet, sed nullo modo ad ipsam difficultatem. Nonne in morte, & a morte, cessat omnis adtritus? Tamen calor augetur: si ais, calorem a centro pelli ad superficiem in cadavere; rogo, quo instrumento hoc fit, ubi perfecta omnium quies? Immo contrarium sæpe patet, dum decem, quindecim horis a morte gelidum totum cadaver aperitur, calore adhuc in visceribus superstite: ergo non est verum hoc."

„Præterea toties vidimus adtritu minuto in febribus intermittentibus, aut remittentibus, illico subnasci frigus; & sensu ægri & nostro. Cur ibi calor non ab internis ad externa pellitur? An hoc in semimortuo, aut in frigore febrili ab hac causa inminuti adtritus non fieret, & tamen fieret in integre mortuo?"

„Ex omnibus ergo dictis capio, unam esse causam caloris adtritum, id est, esse inter caloris causas unam; verum, quum eo cessante &

corporis emunctoria loca pelli corporeque eliminari queant.

§. 969. *Tamen oportet - - - ſingularis &c.* Quum in Phyſicis raro ulla regula adeo generalis ſit, quin

---

in vivo, & in recenter mortuo calor ſubſiſtat, alias ejusdem cauſas ſupereſſe, neceſſe eſt."

„Quænam illæ? ſunt datæ plures a multis; ſed nullæ ſuſtinent examen, & deſtruunt ſe invicem: hinc ignorantiam fateor. Scio adeſſe alias cauſas, quæ feriante adtritu agant, ut homo caleat; ſed neſcio, qualis ſit."

„Bene ſolvit HALLERUS problema, quod poſſit homo calidus in animo ſenſu frigoris adfici, ex aliis experimentis; ſed non ſolvit problema, cur homo & ſenſu frigoris magno adficiatur, & ad thermometron quoque frigeat, & ad tactum Medici, dum interea pulſus æque fortis, quam in alia manu."

„Dubitavere Auctores multi, uti apud HALLERUM videre eſt, *l. c.*, an poſſet inter noſtra ſolida & fluida fieri adtritus tantus, ut inde calor nasceretur? Et forte non ſine ratione dubitaverunt: nam globuli ſanguinis non ſunt duri: patet per microſcopium, quod arctato vaſe a frigore, ubi globulus unus potuerat transire, jam globulus ſe oblonget, ut transeat. An tale corpus aptum, ut calorem tritu generet? *Expert.* OOSTERDYCK - SCACHT injecti vi lactis per æneam art. pulm. nihil caloris demonſtrabat natum in lacte."

„Et

quin patiatur exceptionem, *Venerandus* Præceptor nunc his exceptionibus recenſendis ſeſe accingit & oſtendit

1) *ſingularem arteriæ naturam* efficere poſſe, ut, quæ ſigna calorem nimium, aut frigus, aut fortitudinem, aut debilitatem &c. adnunciarent, ea nunc fallant. Sit v. g. homo, qui habeat abundantes humores, vires fortes, ut & plenum, & æquabilem, pulſum habere neceſſario debeat: mittatur ipſi in brachio ſanguis, & per infortunium lædatur arteria. Nascitur anevryſma; vel, quod arteria debilitata ſit in tunicis ſuis; vel, quod probabilius, quum arteria tota penetrata ſit a lanceola. Ubi arteria illa conſolidata eſt, erit ſaccus ibi loci dilatatus, tunicis craſſior, quo in loco ſanguis alio modo pelletur, quam alibi. Arteria in carpo dabit intermittentem, vel inæqualem, vel dicroton, pulſum; contra tamen rationem temperamenti hominis.

2) *Ætas.* Junior Medicus ſæpe diceret, infantem febricitare, ubi non febricitat. Pueri innatum calorem majorem habent, ait Hippocrates; pulſum ideo habent celeriorem. Hinc veterani Medici ſolent totam manum, vel digitos infantis ſumere intra

„ Et omnia, quæ de adtritu, ut genitore caloris in phyſicis narrantur, difficulter ad machinam humanam, vel animalem adplicantur, a qua omnes machinæ phyſicæ enormiter differunt; & quæ machina animalis talis eſt, ut ſimilis in phyſicis non detur, & ut omnes fateri cogantur, quo plus de eadem meditentur, eo minus ſe intelligere; & maxime id de humano corpore intelligendum eſt, miraculo illo peculiari manus Dei. *De H.*

ſuam manum & examinare, num pulſet manus tota, quod in ſanitate non fit, in febribus autem eorum maxime. Unum digitum ſic ſumere infantis ſæpe ſufficit.

3) *Sexus.* Femina & vir ejusdem ætatis, ambo æque optime valentes, non habebunt pulſum æqualem ſibi invicem. Viro conſtantia in ſua optima ſanitate major, quam feminæ, arteriæ fortiores, humores denſiores, pulſum fortiorem & lentiorem dabunt, quam in femina, æque ſana; neque vaſa, neque humores ſunt, ut in viro; unde pulſus frequentior; viragines modo excipiatis.

4) *Animi adfectus.* Nemo eſt, quem hoc lateat. Iratis nobis, quanta ubique pulſatio?

5) *Sex res non naturales*; id eſt, reliquæ ſex rerum non naturalium; adfectus enim animi etiam pertinent ad ſex res non naturales. Si ante meridiem ad horologium amici cujusquam pulſum explorastis habere v. g. 60. pulſus uno minuto; & iterum ejus, bene pasti, pulſum examinetis, forte 80. numerabitis.

6) *Habitus corporis*: Homo antea macilentus exhibebat pulſum fortem; nunc, inpinguescens valde, pulſum longe debiliorem. Cauſæ datæ ſunt. Vice verſa idem.

7) *Temperies propria*; ut dixi de iis, qui naturaliter habent inæquales, aut intermittentes, pulſus.

8) *Regio*: ponamus homines ſaniſſimos in ſuo genere, in regione ſicca, arida, ſole ardente ſquallida; alios, quoque ſaniſſimos, in temperata regione: in prioribus denſiores humores excoctique, & vaſa rigidiora, dabunt pulſum fortiorem, quam in iis, quibus humores minus craſſi, ſtricta minus vaſa.

9) *Tempestas*; hyberna, ſicco aquilonio, ſtringens vaſa, denſans humores, adtritum majorem, majorem calorem facit. Ventros hyeme calidiores quam æsta-

æstate, Hippocrates dixit. Pulsus tunc certe fortior adest & frequentior, quam si hyems humida, australis, omnia mollia & flaccida reddat. Æstivo tempore, Syrio ardente quam maxime, sudore diffluunt homines, a calore quasi effeminati: quando diu sic manet tempestas, exhausti sunt tenuioribus humoribus exsiccatique. Tunc humores densati supersunt, & vasa, ultra humectata, & sua in substantia excocta, rigescunt. Pulsus tunc habent hi homines utcunque duros & fortissimos, generantque tunc calorem tantum, ut, licet in thermometro calor non sit eô, qui antea adfuerat, superior, ipsi tamen nunc tempestatem clament longe, quam antea fervidiorem.

Tandem addit notabilem hanc sententiam: *Et quod multum interſit, quo ordine pulſus diverſi ſe invicem excipiant:* nam in morbis magnus pulsus post parvum, bona præsagit; parvus post magnum, mala; plenus post debilem, bonus; debilis post plenum, malus. In apoplexia si post fortem pulsum nunc debilis observetur, mors brevi aderit; labascit jam cerebellum. Paralyticus pulsum in parte adfecta non exhibebat, partis exarescentia, vel gangræna, timetur: incipit iterum pulsus adverti, spes curationis adfulget.

§. 970. *Sed & --- movendæ.* Quum vires vitæ moturæ sint materiem, a qua irritantur in morbo, mox incipiunt eæ fieri validiores, ut stagnantem in motum ducant: ergo pulsus augentur. Sin minus, bona crisis non erit, quum vires vitæ, incitatæ a materie inerti & noxia, debiliores sint, quam ut illam in motum ducant.

Motæ: pulsus tunc sunt magis febriles, quia mota jam & per massam humorum permista materies irritationes universales facit & symptomata critica.

Excretioni paratæ; itidem febrilis pulſus hoc tempore; quum vitæ vires debeant illam nunc ad excretoria loca corporis amandare; in quibus, dum inpellitur materies morboſa, quoque pro aliquo tempore ſymptomata critica nascuntur.

Et jam incipientis ſecerni; niſi enim vitæ vires continuent agitare materiem, & febris continuetur utcunque, excretiones criticæ languebunt & morbus non judicabitur. Febris quidem minuatur oportet pro rato ſecretorum & excretorum; ſed plane non concidet, donec magna copia materiæ morboſæ ſecreta & excreta ſit.

Nam ibi demonſtrant egregie tempus agendo aptum præter cætera. Si hæc vera ſunt, quæ hac §pho dicta ſunt, uti ſunt veriſſima, veniant nunc, qui dicant, Hippocraticos viros meros eſſe otioſosque naturæ ſpectatores. Faciuntne, ut inquit TERENTIUS, intelligendo, ut nihil intelligant. Sane activos illos Hippocraticos Medicos cernimus ſingulo momento, ut intelligant, utrum ea ſymptomata in ægro, eæ in pulſu varietates, oriantur a materia nunc movenda, mota, excretioni parata, excerni cœpta; an vero ex violentia morbi? Si ex violentia morbi, utique in curam urgentium ſymptomatum incumbendum eſt. Si a materia cocta, norunt, non eſſe turbandam naturam: ſed neque tunc boni Medici ſunt otioſi ſpectatores: convicti enim, quod ſint ſymptomata a materie tali orta, quantumne ſollicite adtendunt, ut videant, utrum id, quod bene cœptum, bene perficiatur, bene ad finem perducatur; an vero incœpto bono opere natura langueat? Immo, ſi natura non langueat, & talia contingat obſervare, quæ metum faciant, ne ſymptoma aliquod criticum fiat primarius morbus, vaſis quandoque arctioribus in aliquo viscere, quam ut transitum concedant; quantopere tunc

non

non cernimus illos intentos & activos, ut hoc averruncent!

Hæc autem omnia ignorant illi, qui nesciunt distinguere cruditatem a coctione, symptomata critica a symptomatibus morbi; vires vitæ bonas a viribus, aut exorbitantibus, aut depressioribus; symptomata critica, dimittenda sibi, ab iis, quæ aut augenda, aut mitiganda sint; evacuationes criticas sufficientes, ab iis, quæ, aut parciores sunt, quam ut integre judicetur homo, aut sint largiores, quam ut homo perferre possit.

Concludamus iterum igitur, Empiricos esse, & veri Medici nomine indignos, qui, methodi Hippocraticæ ignari, vel perosi, ægros curandos suscipiant; curare se posse, autument.

Minutias quasdam de pulsu nolo referre, quum pleraque sciatis. Sic v. c. in pulsu debili dum Medici dubitant, utrum pulsus adsit, nec ne, si tunc fortius premant, sentiunt nihil, quia nimis premunt. Si paullo mollius & cum patientia tangerent, invenirent. Etiam fallit, qui in digito ac pollice Medici pulsus est: si v. g. post pastum celeriter ad ægrum perrexerit, potest pulsus sui pollicis pulsu falli.

DE RESPIRATIONE, UT SIGNO.

§. 971.

Respiratio facilis, non dolens, conſtans, qualis eſt in homine ſano, ſi adeſt acutis *in morbis, deſignat organa omnia reſpirationi ſervientia rite valere &c.* Ergo 1) rite valent plurima. Ipſi pulmones ſunt bene dilatabiles, & conpreſſiles; nihil, aut parum, obſtructi. Pulmonica vaſa, art. pulmonalis, art. bronchialis, parum, aut nihil, inflammata ſunt. Nervi pulmonis, a pari octavo & intercostali oriundi, expediti ſunt, & ſufficientem ſpirituum copiam accipiunt. Unde etiam illa pars cerebelli, unde hi nervi oriundi, bona.

Ergo 2) etiam nec minor longe, quam par eſt, nec longe major, copia ſanguinis venoſi ad cor dextrum adpellit. Si enim longe minor, pulmo, non ſat ſanguinis a corde accipiens, mox languesceret: ut in magnis hæmorrhagiis videmus reſpirationem debilem fieri. Si copia longe major a corde inpelleretur, magis obſtructus pulmo ægrius reſpiraret. Ergo etiam cerebrum & cerebellum neque nimio cruore onerari, nec depauperari; ſpirituum proinde ſecretionem pro toto corpore, hac ſaltem de cauſa, non inpediri, concludimus.

Ergo 3) cordis actio ſatis bona eſt, apta, ut ſanguinem debita copia, debitoque vigore promoveat per pulmonem: ſi per pulmonem debitas vires habeat, ut promoveat cor dextrum, oportet quoque cor ſinistrum bene

ne valeat: ut sanguinem mittat per aortam ad omnes corporis partes: ergo etiam sanguine coronariarum bene nutritur, nervorumque a cerebello oriundorum laudabili functione fruitur.

Ergo 4) etiam in aortam ductus sanguis multas resistentias, aut graves, non offendit ad extremitates, quum alioqui actio cordis inde læderetur; neque admodum copiosæ arteriæ capillares in hoc morbo possunt esse obstructæ, quandoquidem tunc sanguis sat debita copia ad cor dextrum non rediret.

Ergo 5) diaphragma, quod, antagonismo suo cum thorace & musculis abdominis, respirationi exercendæ primario inservit, est bonum; alioqui dolentissima & inpedita esset respiratio, ut in paraphrenitide

Ergo 6) mediastinum, quo sustinetur diaphragma, & inpeditur, ne nimis profunde intra abdomen agatur, oportet bonum esse: si enim esset inflammatione tumidum, utique, si doleat, actione diaphragmatis tenderetur, dilaceraretur; si non doleat, saltem ab inflammatione tumens non posset obsequi motui diaphragmatis: omnibus his causis respiratio læderetur.

Ergo 7) hepar non admodum male adfectum est; quum illud, quamvis haud acutissime soleat ab inflammatione dolere, tamen doleat; &, quum ille dolor actione respirationis intendatur, homo quoque respirationem conatur subprimere. Præterea hepar inflammatum, aut obstructum, adeoque infarctum, pondere suo diaphragmatis agilitatem inpediret, interciperet; adeoque respirationem inpediret. Ergo hepar valide adfectum non est.

8) Quæ etiam omnia eadem de liene intelligenda; ob easdem causas.

Ergo 9) ventriculus non admodum male habet: si enim inflammatus sit, agitationem diaphragmatis haud

ſustinet: unde reſpiratio in gastritide laborioſa eſt, ut evitentur dolores.

Ergo 10) thorax totus admodum prave ſe non habet; nec læſus multum eſt. Igitur ſpina dorſi, costæ earumque cartilagines & ſternum; integumenta, panniculus adipoſus, musculi intercostales interni & externi, claviculæ, musculi ſubclavii, musculi ſerrati plures, membrana ſuccingens costas; omnes venæ, arteriæ, nervi, has partes irrigantes, non multum adficiuntur.

Ergo 11) peritonæum & musculi abdominales non ſunt multum adfecti, quum vitio notabili adfecti totam reſpirationem inpediant, a nimia agitatione dolentes.

Ergo 12) neque intestina, aut meſenterium, male adfecta ſunt; quum ab inflammatione dolentia, non ferant in exſpiratione adpreſſionem musculorum abdominalium: quam ob rem & in enteritide reſpiratio læſa.

13) In magna inflammatione renum actio diaphragmatis inpeditur; quia renes adcumbentes non ferunt motum capitis diaphragmatis.

14) Reſpiratio læſa admodum in inflammato utero; quia actionem musculorum abdominalium, & adpreſſionem molis intestinalis, non poteſt tenſus uterus ferre.

Nonne his omnibus partibus ita ſe habentibus, hisque omnibus functionibus non magnopere læſis, ſpes magna adfulget, fore ut natura talis materiem morbi coquat, moveat, eliminet?

Ex obpoſito, reſpiratio valde læſa demonſtrat in neceſſariis ad reſpirationem inſtrumentis, aut in adpenſis adjacentibusve visceribus, vitium notabile eſſe; quod ſi non ſolvatur, homo morietur, vel longas ſustinebit ærumnas.

Immo

Immo functiones plures inde laborabunt: æger habet v. c. duram alvum; egereret illam, si posset; sed horret respirationem læsam & dolentem intendere. Licet enim sanus parva vi respirationis sæpe alvum deponat, & licet intestina quoque ad egerendas fæces cooperentur, tamen homo a morbo debilis & in respirando dolens, si alvo dura, exusta, laboret, non poterit eam deponere, quum valida respiratione indigeat. Idem de urinæ excretione verum. Quantane igitur bona præsagit respiratio sana, aut fere sana; id est facilis, non dolens, constans!

§. 972. *Quæ autem - - - auspicii :* explicui mox: in una enim, pluribusve, harum recensitarum partium, directe, vel indirecte, respirationem lædentibus, inflammatio tunc obtinet. Est tamen exceptio quædam in hac regula; neque inmerito *Textus* adjungit: *ut plurimum;* indicans, aliquando aliter fieri.

Constat ex egregia *dissertatione epistolari* Sydenhami, tum & ex quotidiana experientia, dari dolores, quos pleuriticos omnes juraremus, qui tamen adeo absunt ab omni inflammatione, ut si inflammatoria methodo tractentur, continuo augeantur; immo in pessimam conditionem, & mortem, mutari queant. Ortum tales dolores ducunt a genere nervoso debili, ut causa proëgumena; a spasmo inregulariter motorum spirituum, ut procatarctica. Feminæ etiam non puerperæ, sed quocunque in statu, viri melancholici & hypochondriaci, idem patiuntur. Vidi in his a motu animi tantum ortos dolores colicos inmanes, ortos dolores nephriticos, pleuriticos, stomachicos; qui passim, datis blandis paregoricis & nevroticis, cedebant. Ergo *ut plurimum*, ut est in *Textu;* aliquoties tamen a spasmis nervorum illud accidit.

§. 973.

§. 973. *Respiratio - - - dilatabile.* Id vidimus jam, dum *de sanitatis generalis signis* sermo erat. Si considéremus, homines cursu se agitantes, actione valida musculorum vim magnam sanguinis determinare ad cor dextrum, hoc ad pulmonem; si pulmo inde vix angatur, vix anhelet, oportet, ut vasa ejus valde expandi se sinant a copiosiori sanguine, & ut etiam expansa valde vires exerceant robustas, ut tantam copiam in venas ducant. Si hæc omnia fiant sine multo anhelitu, sine multa anxietate, sine dolore thoracis, aut insigni mutatione pulsuum; notatur, revera corpus adesse robustum, bene sine rigiditate flexile, sine flaccíditate firmum; corpus, quod valeat sustinere mutationes multas in suis solidis fluidisque, quin multum mutetur ipsum.

Si jam in morbis acutis respiratio magna sit, & commoda, utique notat, ut antea vidimus, pulmonem, & thoracem, & pleuram, & diaphragma, & musculos abdominales bene explicabiles esse; adeoque neque in his partibus, neque adpensis, adjacentibusve, notabile inesse vitium; &c. ergo in tali morbo omnia sperare licebit.

§. 974. *Respiratio - - - priorum.* Invertite modo datas causas magnæ respirationis in contrarias & habebitis mox causas omnes respirationis parvæ.

Maxime autem - - - rigidum: id est, tensum, turgidum, haud explicabilem. Id fit in omni peripneumonia valida, pulmone fere dupla copia sanguinis onusto; in ulcere clauso pulmonis; in nimia pulmonis ad pleuram, pericardium, diaphragma, adhæsione; in omni fere agone mortis; dum omnis fere sanguis stat inter cor dextrum & fines art. pulmonalis. Hinc patet, cur parva in his omnibus respiratio, pulmone vix cedente

dente inpulsui aëris atmosphærici, & vix sequente motum thoracis, aut diaphragmatis.

Fistulamve pulmonalem - - - inmitti: ut est in omni abscessu pulmonis magno, clauso: eo enim turgente premit toto ambitu vesiculas & bronchia, ut per illa nequeat ingredi aër; unde parva respiratio. Talis etiam a glutine multo, obpilante vesiculas & bronchia; tum & in asthmate convulsivo, ubi musculi mesochondriaci spasmodice contrahuntur, spatium aëreum pulmonis arctatur.

Hinc est pessimi ominis: non in asthmaticis, quibus periodicum hoc malum per aliquod temporis spatium iterum liberam utcunque respirationem relinquit, sed in acutis. Omne, quod nimis diu respirationem parvam facit, facit demum nullam; motu parvo pulmonis, sanguine fere stagnante omni & causam mali augente.

§. 975. *Respiratio lenta &c.* De hac iterum actum etiam, dum *de sanitatis generalis signis* erat sermo. Verum caveamus, ne confundamus lentorem morbosum cum sano. Lenta respiratio fit sæpe, quia homo, etsi vellet, citiorem reddere non potest; uti v. g. in moribundis. Igitur oportet esse æquabiliter lentam, non quasi pro tempore ablatam; sed cum lentore agentem, & facilem, & magnam, & constantem. Hinc lenta etiam a parva distinguitur: bona lenta respiratio fit toto, facile explicato, thorace.

§. 976. *Respiratio celeris &c.*: magna & lenta declarabat organa respirationis expedita, libera: si inpedita nunc sint, erit celeris & parva, ob causas antea, dum de parva actum, dictas. Ut intentatas subfocationis minas homo evitet, conatur crebriori respiratione id lucrari, quod pleniori ne-

nequit: unde de tali reſpiratione bene *Textus* dicit, ſemper aliquid metuendi eam adportare.

§. 977. *Reſpiratio æqualis &c.* In homine ſano æquabiliſſima eſt reciproca hæc actio inſpirationis & exſpirationis, quum natura ſana omnium partium, illi famulantium, nullum obſtaculum ponat. Ergo ſubponuntur optima, quæ agant, inſtrumenta; optimi, qui vel perfluant, vel influant, humores.

§. 978. *Reſpiratio ſubfocativa - - - inflammatum;* ut in peripneumonia, aut pleuritide: *obſtructum*, ſanguine inmeabili in ſpatio arterioſo; glutine in ſpatio aëreo; materie quoque calcarea, gypſea, lapidea: *plenum*, materiis nunc dictis; tum tumore, aut vomica clauſa: *rigidum, ſiccum;* adeoque non cedentem impreſſioni aëris inlabentis, non expellentem eumdem aërem. *Cruorem autem inmeabilem:* ſive enim cruor directe in cauſa ſit, ut transire per vaſa non poſſit; ſive organa reſpiratoria inmorigera ſint, ut promoveant perfluxum cruoris; ſemper ſit reſpiratio ſubfocativa: conbinatæ cauſæ eò citius occidunt.

Niſi talis - - - hypochondriacis: ut in aſthmate convulſivo: verum paſſim talis cauſa ſe ipſam deſtruit: nam, dum homo fere ſubfocatur, cor ſinistrum non accipit ſanguinem; ergo nec cerebellum; ergo nec ſpiritus ab hoc ſecernuntur; ergo nervi cordis & pulmonis languent; ergo ſpasmus ſponte ſolvitur: quo ſoluto cor, quod vitam peculiarem habet, qua vivit (per aliquod temporis intervallum) exciſum de corpore, cor, inquam, ſuperabundantia ſuæ vitæ motum excitat in ſanguinem contentum, ducit in pulmonem, reſuscitat

tat hac irritatione actionem pulmonis & denuo vita sensim continuatur, ut ante. (*)

§. 979. *Respiratio - - - lethalis;* quia notat, aërem posse modo ingredi per asperam arteriam & bronchiorum initia primosque ramos; pulmone reliquo ita sanguine infarcto, ut aëreum spatium conpressione deletum sit.

§. 980. *Sublimis &c.* de qua toties egit Hippocrates; hæc prava illa, & passim lethalis, respiratio, quam jam toties descripsi fieri non vitalibus modo musculis, sed & ope multorum musculorum voluntariorum; donec demum, viribus deficientibus ad exercendos hos musculos, respiratio penitus cesset.

§. 981—982. *Venerandus* Auctor nunc in his binis paragraphis in summam primo colligit respirationis perfectissimæ & vitiosissimæ signa; tum vult, ut habita idea bona utriusque, legitime judicemus de gradu bonitatis, aut pravitatis, respirationis in morbis. Ut in omnibus signis naturalis & sana functio regulam judicii, de læsione formandi, subpeditat, ita & hic.

(*) Ut a causis internis, ita & ab externis fieri talis constrictio pulmonum potest: sunt vapores venenati antrorum quorumdam, qui sic occidunt. Boerhaave in suis laboribus chemicis ita semel habuit constrictos musculos mesochondriacos a vapore olei vitrioli, ut jamjam foret subfocandus; mox tamen hauriens aëra, spiritu alkalino inprægnatum, spasmum solvit. *De* H.

hic. Quò ergo reſpiratio in ægro habet plura ſigna bonæ reſpirationis, eò plus ſpei; quò minora, eò plus metûs.

§. 983. *Frigida lethalis;* cauſa in propatulo eſt. *Utpote fere ſemper nuncia gangrænæ viscerum & vaſorum interiorum.* Notum eſt experimentum (quod HAENIUS hic latius diducit,) aërem exhalatum tempore hyberno, aut in loco frigido, reddi, vaporis forma, viſibilem, quum condenſetur halitus humidus. Aër pulmonibus exceptus calescit, uti notum ex phyſiologicis: dum aër ille calescens ſua rarefactione inciperet premere vaſa & molestus eſſe, iterum efflatur calidior rariorque, quam inhalatus fuerat; ergo tunc ſentimus omni anni tempore reſpirationem calidiorem. (*)

In febri autem, ûbi homo ultra 100, 107, 108 gradus calet, reſpiratio eſt tantò calidior.

Quid ergo cogitare debeo, ſi aër mihi adpareat ab ægro exſpiratus non incalescere? Cogito, calorem atmoſphærâ majorem in illo corpore non adeſſe; ſed corpus vivum habet ſemper calorem atmoſphærâ majorem; ergo partes, quas adlabitur aër atmoſphæricus, incipiunt mori, id eſt, gangræna adfici: ergo inflammatio pulmonis transit in gangrænam; ergo brevi de vita actum erit.

Hic

(*) Sermo hic eſt de communi paſſim reſpiratione, & quæ ſaltem in ædibus, atmoſphæraque communi conſueta ſit; alia enim ratione ſe res habet, dum in loco per exceſſum calente verſamur; aut in atmoſphæra degimus, calidiori calore humano. *De* W.

Hic tamen, ne fallamur, caveamus: reſpiratio frigida poteſt eſſe, ſine periculo. Vidi homines dormientes, ex conſuetudine ſæpe exſpirantes aëra ore vix aperto, & quadantenus acuminato; hæc reſpiratio in ſomno familiaris ipſis. Si jam examinetis aërem ſic efflatum, experiemini frigidum eſſe. Quotidie ſic videmus v. c. Chirurgum emplaſtrum adplicandum loco affecto calefacere ope halitus ore integre aperto emiſſi; frigefacere fomentationem forte nimium calentem mediante aëre, per os in anguſtiorem aperturam contractum expulſo.

In primo caſu totum quantum exſpirat aërem lata columna; id eſt, tota capacitate labiorum adplicat emplaſtro, prope adeo ori admoto, ut labia vix non tangant: vi igitur calidior aër, lata baſi efflatus, removet atmoſphæram frigidiorem & calefacit emplaſtrum. In altero caſu, dum exigua oris apertura, in acumen ducta, efflat, conprimit primo aërem, ut minus rarescat; tum vi adplicat ad calentem liquorem. Dum hanc actionem continuat, removet continuo calidam liquoris nimium calentis atmoſphæram, cujus locum aër vicinus illico occupat; qui aër etiam incalesceret; continua autem actione ſubflantis hominis omni momento novus aër frigidior ad omnem ſuperficiem calidi liquoris adplicatur, & neceſſario liquor fit frigidior, quum continuo ſui caloris quidquam novo frigidiori aëri largiatur. (*)

Itidem

(*) Ubi ore acuminato aër inflatur in manum, ita, ut manus ſit valde propinqua ori, non ſentitur frigus, ſed calor major. Cur hoc? Calidæ atmoſphæ-

Itidem atmoſphæra nostra ſemper plus incalescit a nostra perſpiratione, a calore carnium noſtrarum, quam calor in thermometro eſt. Si jam quis in nos inflet anguſto ore, & violenter, aërem, removetur continuo calidior ille aër, nos circumdans, & a nobis incalescens, & continuo communis aër atmoſphæricus eidem ſubſtituitur. Id nobis adparet, frigus facere.

Hæc ratio, cur ardente ſyrio homo calescens ad gr. 96. & exponens ſe ſub dio, vento aëra agitante, primo gratiſſime refrigeretur, ut quovis auro talem voluptatem ſemper vellet redimere. Paullo poſt, renovato ſæpe aëre ſuo atmoſphærico, incipit ingrate frigere, ut præ moleſtia hujus frigoris domum repetat & recalescat. Differentia tamen adeo exigua eſt, ut in ſummis ardoribus æſtivis thermometron vix 10. 12. grad. differat a calore hominis. Actio interea ejus aëris, paullo minus tantum calentis, quam homo, ſtringit vaſa exhalantia, ut homo frigore horreat, febricitet, immo moriatur ſæpe ab hac ſola cauſa, ut infinitis conſtat exemplis. (*)

Ergo

---

moſphæræ, & manus & faciei, jam conmiſcentur, & etiamſi mutentur vi aëris inflati, non ſubſtituitur, niſi ſimiliter calens. Si remotior ſit manus, friget illa adflatu aëris, quia vi majori dispellitur atmoſphæra corporis calidior & ſubſtituitur aër communis. *De* H.

(*) An jam intelligitis, cur Domicellæ odontalgiis obnoxiæ, in ſummo licet æstu, continuo iisdem laborent? una ſane cauſarum harum eſt, quod ſuis flabellis faciem calentem nimis ventilent. Aëra

ſic

Ergo frigida potest esse respiratio sibilando quasi exercita, in homine sano, ita dormire adsueto; in homine ægro hanc consuetudinem adhuc aliquoties exercente. Respiratio frigida ergo mala tantum, quando non fit eo, quo expositum, modo.

§. 984. *Parva cum sibilo - - - congeri.* Mors tunc ad fores adstat, quando audimus quasi aliquid in lebete ferveret ac streperet: nam adeo sanguinea vasa pulmonis sunt inpleta, ut aëreum spatium conprimatur undique. Mucus, vel humidum illud, quod in cavo aëreo adest, miscetur cum aëre, fricantur autem continuo parietes bronchiorum, & vesicularum inter sese, conquassatur continuo aër cum illo muco, fricatione augente sursum pellitur & sonitus continuus tunc exauditur, quum fricatione laterum pulmonis aërei ducantur sursum, aëre pellantur deorsum: nonnunquam guttur obpletum tale quid adhuc excernit; sed tamen aucto omni momento spatio sanguineo & musculis respirationi voluntariæ inservientibus, spiritus ultra non accipientibus, anima fatiscit in auras.

Sed *Textus* dicit: *Si reliqua signa mala adsint;* & merito; nam in asthmaticis sane deciperemur; hi quandoque talem habent respirationem, sed non diu ita durantem: hinc prognosis nostra in talibus tamdiu mitiganda, donec videamus, sudore frigido, pulsu plane deficiente, insciis prodeunte urina & fæcibus alvinis,

---

sic continuo mutant, donec facie frigescat; tum vero perspiratio cessat: repulsa materies interiora genarum tunc obsidet. Moderatus igitur flabelli usus sit, non nimius. *De H.*

oculis fractis, demum fore paroxysmum, vitam cum morte conmutantem. Cæterum, citra asthmaticos insultus, respiratio talis lethalis in acutis; nunquam enim tunc adest, nisi & lethalia signa alia simul conpareant. (*)

§. 985. *Magna & celeris - - - crisеos.* Summi ponderis doctrina sane hæc est. Ægrotus visus est huc usque inter vitæ mortisque limina ambigere; accedens ad

---

(*) Ideo etiam *Textus* hæc addit, quod non semper ab initio talis respirationis *omnia illa signa adessent*, mortem jamjam instantem denotantia. Fateri Vobis debeo, quod semel iterumque, ad hæc non satis adtendens, initio meæ praxeos dixerim, ægrum in crastinum non superfuturum; qui tamen crastino toto adhuc inter vivos numeraretur. Vidi posthac, integro triduo talem respirationem durasse, paucis levioribus induciis subinde concessis, & tandem die tertio hominem exspirasse. Hinc, ut *Textus* bene monet, si non omnia cætera lethalia signa simul jam adsint, est quidem lethalis, sed non tam cito: si adsint, cito aderit mors. Sapite ergo meo periculo. Subinde per horas est talis respiratio, & vis vitæ superat iterum parumper resistentiam in pulmone; per aliquot arterias iterum ad cor sinistrum propellit sanguinem; respiratio paullo minus fervens est per aliquot horas; vita iterum minore respiratio iterum pessima; & vicissitudines tales ter, quater aliquando obtinent, ante ultimam tragœdiam. *De* H.

ad illum video inopinato respirationem magnam & celerem. Quid ergo causa hujus, nam heri non ita fuit? Respiratio non potest magna fieri, nisi vires sint majores, quam heri; ergo vis vitæ major latuit in hoc ægro, quam putaveram. Sed respiratio non est tantum magna, sed est celeris: ergo est inpedimentum in organis respirationis, in quod magna illa respiratio agit. Materies morbi, huc usque fixa hærens in his organis inflammatis, a magna hac respiratione subigitur, coquitur, expulsioni paratur.

Verum inflammatio fuit universalis in febri acuta continua putrida; non topica ad thoracem: concludo, materiem morbi fieri nunc mobilem, duci in arteriam pulmonalem, respirationem hinc magis inpediri, sed vires vitæ insurgentes nunc effeciſſe, ut respiratio magna valida adsit, quæ sua vi & crebriori actione nunc materiem morbi conatur ad cor sinistrum transferre.

Unde, si vel signa cruditatis minuantur, vel signa coctionis jam adsint, ex tali, celeri quidem, sed magna, respiratione, bona spero: *Textus* enim dicit, esse horum *signum* & *causam*: *causa* est coctionis & crisεos vis vitæ major excitata in materiem morbosam: *signum* est talis respiratio, materiem morbosam vires minus obprimere.

§. 986. *Magna & rara &c.*: explicui ad *paragraphum* 975.

(Compendii causa denuo prætereo textuum quorumdam Hippocraticorum expositionem ab *Cel.* Haenio hic insertam, partim criticas animadversiones in traductiones Foesii, Charterii, Dureti, comprehendentem, ac in antecedentibus, si sensum reliquorum spectes, jam adlatam.)

§. 987. *Interim bene conſiderandum - - - conſtitutione*: ſi centum bene dicantur reſpirare, forte erit in omnium reſpiratione aliquid diverſum: ſed hæc non patent ſæpe, niſi adtentiſſimo. Cæterum reſpirationes variant

1) pro *nativa conſtitutione;* quum aſthmaticus quandoque nascatur homo, ob configurationem thoracis vitioſam (ſub ipſo partu nonnunquam ſic redditam.) Unde, ſi talis ægrotet acute, reſpiratio non præciſe denotaret omnia, quæ in alio, non ita nato.

2) *Formatione varia thoracis:* quæ v. c. bona fuerat reſpiratio infanti, eidem, nunc gibboſo facto, vitioſa fit. Bene reſpiravit infans brevi a nativitate; ſciola custos, nutrixve, fasciis thoracis figuram lædit, conprimit, ita, ut infans fiat ſine ullo morbo aſthmaticus per omnem vitam. Puella egregie reſpiraverat; ſed diformis formæ & fœdæ pulcritudinis ſtudioſa junceo corpore ita thoracem coarctat inferiorem, ut inter ſpithamas illum capiatis, idque ut pars thoracis ſuperior adſpectabilis mammæque, eò magis ampliarentur: jam & dyspnoea & cardialgia continuo laborat, nec poteſt curari a ſuo Medico, quamdiu in hanc cauſam non advertit.

3) *Diverſitate ætatis;* infans ſanus reſpirat celerius, quam homo adultus, ſanus; vires enim partium minores habet.

4) *Sexûs;* femina ſana, cæteris paribus minus magnam ac lentam habet reſpirationem, quam vir ſanus; nam in illa ſolida minus fortia, humores minus denſi, vires minus fortes.

5) *Graviditatis*; ob ſurſum truſum diaphragma.

6) *Adfectûs animi;* ut dixi de pulſu.

7)

7) *Habitûs corporis;* macilentus bene respiraverat; obesissimus factus nunc ægre respirat: nimia pinguedo agilitatem musculorum subfocat.

8) *Regionis;* leviori aëri, in altis montibus adsuetus, ægre in valle respirat, & vice versa.

Verum mutantur hæc a morbis: homo sanus a vapore v. c. vitriolico fit asthmaticus; si non bene possit curari, diathesin sopitam tenere convenit. Advertendo igitur, quod ille homo habitans in regione elata montana forte per datam occasionem in aliam regionem peregrinatus aliquamdiu, nunc Tibi, Medico, narret, se, quamdiu ea in regione degeret, paroxysmo aut mitiori adfectum esse, aut prorsum caruisse, inquirendum est in naturam ejus regionis; quæ si deprehendatur longe humidior esse, est illi ægro ea suadenda, ut incolat. Hinc videtis, quibus regulis nitatur consilium aëra mutandi, quod ægris dandum.

Hinc etiam factum, ut desperanda mala fortuita curata, aut multum mitigata fuerint, peregrinatione alia ex necessitate instituta.

9) *Tempestatis anni ac cœli, atque similium*; qui in quadam regione v. g. sicca, libere respirare solebant, si per cœli inclementiam longo tempore, aut profusis imbribus, aut insolitis inundationibus regio squaleat, respirabunt homines difficilius; & ut id in sano, eo magis conspicue influere poterit in ægrotantes: ergo etiam poterit hoc mutare utcunque prognosin, quod respiratio a sex rebus non naturalibus, & non a vi morbi, sit facta difficilior.

§. 988. *Varis quidem ordo &c.*; ut in *capite* de pulsu dictum. Respiratio rarior post frequentem potest esse bona; sed rara admodum, si in cruditate morbi

ſit, poterit pronuntiare (præſagire) aut delirium, aut etiam phrenitidem. Reſpiratio antea moderata, postea lentior, poteſt eſſe a debilitate; ſed primo moderata, jam celerior, mala eſt, ſine cæteris bonis ſignis; bona eſſe poteſt, ſi a motu materiæ criticæ. Ita reſpiratio inæqualis poſt æqualem plus periculi in morbo notat, niſi iterum id pro parvo tempore obſervetur motu critico.

§. 989—990. Jam (ait hic HAENIUS in *Codice*,) explicui, & §. 889. in *pulſu* ad §. 970. expoſitum eſt.

DE URINA, UT SIGNO.

Materiem adgredior difficilem, ſæpe fallacem, maxime tamen cognitu neceſſariam; quia, ſi rite cognoscatur, lucem maximam univerſæ praxi medicæ adfundit. Sequar *venerandi* nostri PRÆCEPTORIS BOERHAAVII differendi ordinem. Intermiscebo præterea, quæ alibi ſparſim, & maxime in *Chemia* ſua, de urina habet; intermiscebo etiam, maxime inclyti HIPPOCRATIS obſervata: tum ex FERNELIO, HOLLERIO, PETRO FORESTO, HEURNIO, WALÆO, EUGALENO, & *Cl.* REGA *tractatu de urinis*, aliisque Auctoribus, quæ inprimis notanda videntur: addam

ea,

ea, quæ Practicus observaverim ipse; quædam etiam coram Vobis in nosocomio demonstrata; quæ certa, pro certis, dubia pro dubiis, pro vanis, quæ vana, habiturus.

§. 991. *Ex conspectu urinæ --- ætatis*: urina igitur sanorum hominum variat pro variarum rerum circumstantiis; ergo & ægrorum. Primo hinc videndum, quæ sit perfectissima sani hominis urina, & quibus de causis varia sit: tum ad urinam hominum ægrotantium has regulas adplicabo; sequutus consilium ipsius Hippocratis *Aph.* 7—66.

Sani hominis urina sex, octo, decem horis ab ultimo, eoque sano, ac moderato, pastu, est limpida, atque stramen, vel citreum pomum ex arbore pendens, colore referens; gustu modicissime salsa, forte levissime amarescens, odore referens aliquid, quod describere nequeam, sed quod convenit fere & utcunque cum odore, quem solet apertum vivum animal exhalare.

Sedimen ergo in ea non habetur, enæorema sæpe adest, potissimum nubecula. Hæc vero hominis sani urinæ descriptio non ita accipiatur, veluti ægrotantem, aut ægrotaturum testata illum, qui talem non redderet; quandoquidem inter ipsos sanos & sanos ab annis differentia incredibilis. Sani quidam sunt, quibus urina album sæpe sedimen ponit; sani sunt alii, manentque, quibus arenulæ & spicula salina sæpius in urina adparent. Hieronymus Cardanus scribit in *Comment. ad Aph.* 7—55., in sua propria urina jam ultra 40 annos singulis diebus adesse telam araneæ continuam, virgulis crassioribus, rectis distinctam, quales sunt aranearum telæ; idque citra ullum

ſanitatis detrimentum : idem etiam ſe in aliis obſervaſſe, addidit.

Ergo regula quidem utplurimum ſic, ut data fuit, obtinet; ſed non ita, quin aliquoties fallat.

Sed præter varietatem urinæ ſanæ in hominibus variis, differtt.

1) *Ratione ætatis;* urina hominis adulti eſt, ut deſcripta mox fuit; urina puerorum paſſim alba eſt, minusque pellucida : id generaliter verum.

2) *Sexûs:* etiam feminæ, cætera ſanæ, urinam quidem ut viri ſani habent: ſed utcunque magis & ſæpius ſediminis albescentis nonnihil habentis, ita, ut in ipſis morbis ſedimina copioſiora deprehendantur feminarum in urina, quam in urina virorum.

3) *Temperiei* : viri laxioris temperamenti cum feminis conveniunt in urina: ſedimen ſæpe habent tempore ſanitatis, & paſſim in morbis ſedimina copioſiora.

4) *Tempestatis anni* : videte Veſtras ipſorum urinas hyeme quam pallide flaveant, quam rutilent æstate! Æſtivo tempore in primis caloribus dum diffluimus ſudoribus, urina ad rubedinem, vel fuſcum colorem, vergit, copiâ cæterum parcâ. Dum diuturnis caloribus ſanguis inſpiſſescit, potus vel neceſſarii ad ſanguinem ſpiſſum diluendum cum ſanguine miscentur & continuant ſudores, talesque urinæ; vel non miscentur cum humoribus ſpiſſis, ſed tenues difflantur per cutim, & per tenues, aquoſas, urinas.

5) *Sex rerum non naturalium.* Videte, quæſo, ipſum hunc locum explicantem *egregium* PRÆCEPTOREM *Inſt. §.* 368—372.

Hæc omnia, quæ his citatis paragraphis *Præceptor* adtulit, Vosmet ipſi deprehendere in propria poteſtis urina: videte eam mane, dum ſurrexeritis; eſt maxime

co-

colorata; bibite tum ad jentaculum potum Theæ, Coffeæ, ſerum lactis; quæ brevi postea redditur urina, ea plane aquam limpidam refert, & parum fœtet. Si brevi ante prandium eam examinetis, eſt iterum coloratior; maxime, ſi ante prandium fueritis curſu, aut aliqua exercitatione defatigati. Bene pasti ſi redditam primam urinam intueamini, iterum cruda, aquoſa erit; donec, ſerius reddita, denuo chyloſa fiat, & ſera veſpera rubicunda, cocta.

Eſt aliquid in nostris humoribus ingratiſſimum, quando per aliquod tempus homo jejunavit. Nutrix, per duodecim horas jejuna plane, dat ubera infanti, quæ mox infans destetetur. Poſt jejunium 16. 20. horarum urina nostra fusca admodum ac fœtida ita, ut proxima ſit putrefactioni: adtritu diuturno enim ſalia & olea exaltata tunc cum urina exeunt. (Sed & id non abs omni exceptione accipiendum; inprimis quoad colorem fuscum. Hisce diebus per quadraginta horas ea ratione jejunavi, ut ne vel guttulam aquæ ingererem: urina tum emiſſa ſaturatiorem quidem obtulit colorem, quam ad initium, aut ad medium tempus, tentaminis; multum tamen abfuit, quin *admodum fusca* foret, nec fœtebat ita, ut proximam ſe putrefactioni monſtraret. Factum vero id media hyeme, lubenterque concedo, fore ut major fuiſſet & fœtor, & ſaturatior color, ſi tale tentamen diebus canicularibus fuiſſet inſtitutum. —)

6) *Medicamentorum*: vidistis aliquoties in noſocomio urinam reconvalescentium ægrorum, qui rheum ſumſerant: paullo ante urinam ſtramineam reddiderant; bihorio poſt adſumtum pulverem granorum XL., XLV., L., reddebant urinam rubram; ita, ut rerum ignari putaſſent, ineſſe ſanguinem; maxime, ſi per aliquod tempus ſedimen ad fundum conſpiceretur, talisque jam intra bihorium, aut trihorium, erat. Vidi meam propriam urinam

nam intra horam ab adſumto rheo croceam, & revera inmiſſam chartam, aut linteum, urinæ icteritiæ adinſtar, tingentem. Quæ tamen tinctura non ſemper adeſt. Obſervatum in noſocomio fuit, quodſi urina, poſt rheum adſumtum non ſatis rubra, ſed magis fusca, miſceretur cum urina ejusdem hominis ſtraminea, paullo ante miſſa, illico ruberrimam evadere.

Fructus opuntiæ, ſi copioſus ingeratur, reddit urinam ruberrimam; crocus maxime flavam; ut & curcumæ radix.

Puero ſano, novem, aut decem, annorum, dedi vesperi comedendos asparagos 15 16. ſatis craſſos cum pauco butyro, ſucco citri & nuce myristica; ſequenti ſummo mane, hora jam quarta, ſumſit infuſum ex rheo, caſſiâ & radice curcumæ: vix inde purgatus reddidit 1) urinam copioſam, leviter fuscam; die ſequenti ad vesperam fœtidiſſimam; 2) paucam, magis fuscam, vix fœtidam, 3) paucam, vix fuscam, ſed adeo olidam, ac ſi ipſa ſtercora eſſent admista; 4) paucam, fuscam, vix olentem; 5) ruberrimam, fœtidiſſimam, veluti ſi corruptiſſima urina cum olidiſſimo ſtercore mista eſſet, & ſimul arenulas gerens rubras, muco rubro inviscatas, ac ſi totum phlegma rutilans eſſet, totiusque urinæ color inſtar rutilantiſſimi ſanguinis. Peracta purgatione ſanus puer per omnia fuit.

Secundo, hinc ergo --- pleniſſimam: utinam hanc obſervationem animo caperet vulgus Medentium! Mittuntur ad ipſos urinæ ægrorum; ſæpe per homines ignaros ægritudinis, qui, ut nuntii, id tantum dicendum habent, ut ab Uroſcopo, ad conſpectam urinam, formulam, vel ipſum medicamentum, accipiant. Quæ, quæſo, temeritas, ut auſint tales remedia præſcribere, ignari conditionis morbi! Vel enim præſcribunt, quæ valide agunt; vel, ut astuti quidam, ne noceant, remedia

dia indifferentia. Si præscribant, quæ putant casui indicato per urinam convenire, quantane nocumenta ægris, si ex urina prava capta fuerit indicatio! Si innocua, ne noceant, per urinam decepti toties, dederint, quantine criminis rei, qui, ne lucrum ob famam uroscopiæ amittant, homines negligunt; non dantes talia, quibus periculum mortis averruncaretur! Nonne hinc calumniæ & scommata in artem medicam congesta ab *Equite de* Montagne & multis aliis Criticis? Certe non datur scientia talis ab urina sola & morborum deducens naturam & medicamenti electionem, & qui sordidam hanc artem profitentur, passim sunt rustici, vetulæ, barbitonsores, & stupidi Medici, a quibus certe ars hæc excoli non potuit, quæ toties a viris eruditione & experientia consummatis examinata, inventa est incerta, fallax, mendax, damnosa. Si vero qui eruditiores Medici famam sibi ex uroscopia quæsiverint, id auri sacra fames, non probæ conscientiæ testimonium fecit.

Ast vero, dicetis, est his hominibus arcana ars, scriptis medicis non tradita, sed arcano traduce a possessoribus adeptis artis, communicata, ab iisque demum suis discipulis. Rem hanc esse verissimam, docent observata quamplurima. Ex urina conspecta norunt dicere morbos morborumque symptomata: norunt salutem, alios morbos, mortemve, prædicere, eventu id confirmante. Ex sola urina conspecta norunt, an puellæ rapta virginitas sit, & utrum menses cessent a morbo an a furtiva Venere?

Sic fama vagatur; quæ, ut primo nascatur, & crescat eundo deprehensi sunt Uroscopi ipsi artificio indigno, eoque multiformi, efficere.

Re indagata constitit, Uroscopos, famosiores habere in atrio, quo nuntii ægrorum cum urinalibus Apollinem exspectant, vafros quosdam homines, vel unum

sal-

ſaltem talem, qui etiam fingit, ſe ſuper urina alicujus conſilium petitum acceſſiſſe, narratque hac occaſione fictum quemdam morbum, ut aliorum etiam urinas videat, & hiſtorias morborum audiat. Fit ille demum inviſibilis, vel fingit, ſe aliquid in vicinia agere debere, interea dum Medicus exſpectetur: intrat per aliam viam in ædes, & narrat vafer homo magiſtro mendaci, quid ille qui pallidam, alius, qui rubram, vel tertius, qui talem vestem gerit, de ægro effutierit. Dum poſthac intrant ſinguli, mirantur hominis ſimplices miraculum, quod plenis buccis ita rem tangat acu.

Aliis methodus eſt, ut generalia quædam obſervent in vultu geſtibusque totis conſultantium: ut ſilentes capitis aut oculorum nutu tacite ſecum adprobent, negentve, quæ fuerint dicta (id quidem ſubobscurum videtur): vel quaſi aliud rogando efficiunt, ut conſultans inprudenter dicat *ille*, vel *illa*; aut effutiat incogitanter aliquod ſymptoma, quod cum urina junctum ſimul rem totam patefaciat.

Vel denique habentur multi, qui idioma ſibi proprium habent, & tanta in genere fabulantur de effervescentia, fermentatione, ebullitione, in humoribus, de bilis inperio tanto, de ſalibus, oleis, partibus ſulphureoſalinis & ſalino-ſulphureis tam mira, idque facie conpoſitiſſima, ſæpe tanta cum religionis & pietatis adfectatione, ut ſummam in admirationem rapiantur ignari, & lubenter tunc omnia, quæ ſciunt, effutiant; quæ astutus Medicus tunc per barbarismum ſuum audacter explicat.

Si vero habeant homines callidos, qui bene omnibus verbis intendunt, ne quid inde Uroſcopus concludat, inveniuntur paſſim dicere talia, quæ vanas illorum jactationes & ventitationes turpiter confundant.

In-

Interim vulgus hominum ita per hos inpostores seductum est, ut neminem veri Medici nomine dignum censeat, quem ars ex sola urina judicandi lateat. Unde multi Medici reperiuntur, qui, ab amicis rogati, cur ita turpiter medicinam agant, meliora edocti, ingenue respondent, se ita homines dispositos invenire, ut, ni simul hanc uromantiam profiteantur, nihili faciant ipsorum scientiam, & alios adcurrant.

Verum, candidi animi est, artem, qualis est, profiteri; demonstrare uroscopiæ incertitudinem, agyrtarum fallaciam, veriora certioraque artis principia, quæ non ex sola urina, sed ex omnibus collectis signis, judicium formet: brevi quippe elucescit docti & boni Medici in medendo aptitudo.

Hæc præfatus ad urinæ examen venio.

§. 992. *In urina examinanda &c.*

§. 993. *Copia urinæ --- omnia simul:*

1) *Abundantiam potûs aquosi;* ut potest unusquisque in se advertere, si aquam multam hauserit; est enim aqua maxime diuretica. Vina ecquidem pleraque oligophora idem faciunt, ut & multæ cerevisiæ; sed quum omnia hæc id sæpe non ita faciant ratione aquæ admistæ, sed vi diuretica, ideo ad aliam classem, nempe *Nro.* 4., pertinent. Aqua pura, potus Theæ, Coffeæ, serum lactis, lac cum aqua, multam copiam urinæ dant; ita aliquando, ut excedat longe copiam solitam triplo, sextuplo, decuplo.

Si homines nimium mingant, est malum speciesque pseudodiabetes: qui ergo ex sola aucta copia, non examinata unde veniat, vellet prognosin diabetis facere, ridiculum sane se redderet.

2)

2) *Laxitatem ſingularem fiſtularum renalium;* ita, ut adpellenti ſanguini nullam reſiſtentiam præbeant, & ſic laxæ, patulæ, ſecretam urinam mox in pelvim transmittant.

3) *Perſpirationem, ſudorem, ſalivam, inminui.* Eſt regula generalis, ut excretione una inminuta alia augeatur; in corpore nempe ſano, & ſæpe etiam in corpore ægro. *Sæpe* ſtudio dixi, quum haud raro accidat in acutis, ut tres, quatuor, ſecretiones ſimul natura moliatur, per alvum, urinam, ſudores, narium hæmorrhagiam. His exceptis caſibus, res eſt veriſſima. Si mane ſurgentes in aërem frigidum nos contulerimus, oritur ſæpe magnus urinæ perfluxus, ut & ſæpius, & copioſius, mingere cogamur. Si pergamus pedites per eumdem aërem frigidum ambulare, ut magnam perſpirationem excitemus, urina iterum parca mittitur.

Si homo diarrhæa, aut dysenteria laboret, vix niſi guttatim mingit. Si forte intrans Medicus videat, copiam magnam urinæ ab ægro emiſſam eſſe, poteſt ſine ullo examine adfirmare, alvi fluorem eſſe factum mitiorem. Si ſaliva non ſecernatur, ſicco ore, urina copioſior redditur. Si quis in ptyalismo ſit, parum urinæ dat; ſi vero ceſſet ptyalismus, uberior iterum urina.

4) *Diuretica adſumta;* quæ ſunt varii generis. Diuretica autem ſunt, quæ vaſa renalia exſtimulent, ut plus ſecernant, & quæ eadem vaſa laxent; quæ facilem a ſanguine univerſo ſeceſſum dilutarum partium faciant, quæ copiam aquoſiorum humorum ſanguini adferant. Aquoſa jam ad *Nro.* I. *hujus ſphi* vidimus; reliqua exponuntur ſuo loco *ad finem* PATHOLOGIÆ.

5) *Cruoris miscelam inperfectam &c.;* quod peſſimum in morbis acutis. Etenim, ſi primo ſymptomaticis ſudoribus, aut urinis, aut alvo, ſanguis incraſſatus

tus sit, contingit haud oppido raro, ut potus aquosi vix ultra cum illo spisso sanguine misceantur, quin potius præterlabantur excernanturque copiosa urina. Hic lethalis casus, nisi additis aquoso potui saponaceis concretus sanguis solvi & aquosis possit conmisceri. Mel ideo adeo bonum, potibus ægrotantium admistum; tum & roob, julapia varia, succi omnes horræorum &c.

Hysterícis atque hypochondriacis familiare, ut in animi adfectibus, terrore, ira, matulam integram pauco tempore expleant urina aquosa: (*) reliquus sanguis circulans crassior pronus jam in obstructiones: unde, quo sæpius animo moventur, eo pejoribus laborant obstructionibus. Optimum est, liquore tepido, cui sacchari, vel mellis, quid admistum, sanguini fluorem amissum actutum reddere.

Hinc 6) *adfectus nervosos &c.*: illico exposui.

§. 994. *Præsagit &c.* 1) *crassitiem remanentis*: si non sit a copia aquosi nimia; nam tunc sanguis liberatur tantum ab his: sed si copia aquosi excedens non adsit, & vel a laxitate tubulorum renalium, vel a spissitudine cruoris cum aqua misceri renuentis, vel ab adfectione animi sit, tunc necessario reliqua sanguinis massa inspissescit.

2)

(*) Si jam plures causæ conponantur, urina potest reddi abundantissima. Si v. g. hysterica, aut hypochondriacus præ siti magna biberit copiosum potum Theæ, tum in frigidum aërem prodiens, impeditam habeat perspirationem; si brevi post valido terrore adficiatur, poterit ex geminatione causarum uberrima profluere urina. *De H.*

2) *Acrimoniam ejus:* aquoſa enim ſanguine mistæ & continuo adfuſa, abluunt omne acre, quod in ſanguine natum noceret. Si jam aqua non ultra copioſa adſit, eſt proportio illa deſtructa inter partes ſanguinis conponentes, ita, ut jam ratione aquæ copioſior ſit ea ſalis & olei. Tum etiam, ſi ultra non misceantur aquoſa cum inſpiſſato cruore, ſalia & olea non abluuntur & circulatione continua adtrituque continuatis acrimonia ſenſim augetur. Hinc in hystericis & hypochondriacis ſæpe tam gravis ſubnascitur ſcorbutus.

3) *Sitim:* ſitis oritur a defectu aquoſioris partis in ſanguine, acrimonia tunc ſtimulante; quo ſtimulo orto omne animal per ſe, cæteris paribus, ad potum fertur. Sitis oritur a calore nimio; qui hic a ſpiſſo, acri, ſanguine. Sitis oritur a vaſorum ultimorum ſiccitate: accedit talis ſiccitas, quod humores incraſſati ultra nequeant per oscula minima exhalare.

4) *Anxietates:* anxietas omni dolore ſuperior. Rarius ob dolorem, quam ob anxietatem nefarii homines ſibi intulerunt manus. Hæc anxietas inſeparabilis ab homine, cui craſſiores humores ad anguſtias ſyſtematis venæ portarum, vel ad anguſtias art. pulmonalis, inpenetrabiles hærent.

5) *Obſtructiones, harumque effectus:* ſi mox dictæ anxietates perſeverent, nascitur ex obſtructione inflammatio, vel ſcirrhus, viscerisque obſtructi ineptitudo ad ſecretionem ſuam debitam; unde brevi tota ſanitas labascit.

6) *Tabem ex diabete &c.:* videantur hic, quæ ante adlata ad §. 824. *quæ ſiticuloſa &c.* quum enim aqua quaſi avolet continuo de ſanguine, nascitur acrimonia, ſiccitas; unde bibendi neceſſitas perpetua.

§. 995.

§. 995. *Urina parciar --- 1) potus penuriam:* quum enim urinæ materies sit potissimum aqua, eaque non satis bibatur, necesse est, parcam dari urinæ copiam. Sermo quippe hic est de potu ad urinam ciendam apto: si enim talis non sit, posset copia potus, qua potus, esse sufficiens, & tamen urina parca; quando, ut *Textus* dicit, designat urina talis parca *nimiam in eo abundantiam spirituum fermentatione productorum*: cerevisia antiqua, vina probe defæcata, generosa, antiqua, copiâ alkoholis inebriant; aut saltem calores a stimulo excitant, urinas paucas pellunt. Norunt strenui potatores, quomodo antiquo illo nectare pleni tota nocte conflictentur cum ardore molesto, vix matula utentes. Vina autem minus antiqua, acida, multam aquam gerentia, diuresin probe promovere solent.

2) *Vasa obstructa &c.:* ut enim in omni loco secretiones, vasis obstructis, vel spasmodice contractis, cessant, ita & in renibus. Si spasmo contracta vascula renum v. g. in femina hysterica, diuretica fieri possunt ea, quæ *Nro.* 1. *hujus Sphi* mox dixi, urinam non ciere; v. g. vina antiqua generosa, spiritus vini &c.: nam talia, hoc in casu hausta, sæpe efficiunt, ut, qui adsint, spasmi solvantur; nunc ab hoc potu alio in loco excitato spasmo.

3) *Augmentum &c.* ut jam sæpe dictum. Causæ etiam a calculo esse possunt; sed hæc venire queunt generali notione obstructionis.

Si autem --- ischuriam &c.: videantur quæ dicta ad §. 821. Exemplum tale habuimus etiam in prima ægra hujus nosocomii, mense Julio 1754. ex quo hic adfuerim. Moriebatur hæc sine vel minima guttula urinæ in vesica, quamvis cathetere sæpius exploraretur: neque habuerat unquam ulla vel minima symptomata nephritidis calculosæ. Eodem morbo & puer 12 an-

annorum periit. Hic ab annis tribus intolerabili cruciatu a calculo veſicæ, cathetere invento, miſerrime laborans, a me ſuscipiebatur, ut experimentum anglicanum in eo fieret, injectione aquæ calcis in veſicam potuque aquæ calcis; quibus anglicana & belgica experimenta docuere, calculum ita frangi, ut homo penitus liber inde evadat.

Incœpimus finiente Majo injiciendo aquam calcis cum ſextuplo aquæ puræ, & pro potu aqua calcis tantum ad ℥iij. cum lactis ℥ij., per diem dabatur; augendo ſenſim in utroque doſin aquæ calcis. Dolores minores obſervati ſunt per aliquot dies, ut puer in ſumma gaudia quandoque erumperet. De veſica nihil exivit præter tenaciſſimum mucum; qui, ubi urinale vas evacuabatur, inſtar plumbi continuato filo in aliud vas cadebat: nulla vero fragmenta calculi exiverunt, ut inde minorum dolorum cauſam deducere potuiſſemus.

Poſt tam bona initia die 4. Junii plus cœpit dolere; magis die 5.; unde juſſi, ut ab injectione abstineretur, viſurus, an forte fragmenta calculi in veſica exiſtentes dolorem hunc crearent, eaque ſpe fretus, ut ſimul exirent cum urina, quæ eousque copioſe reddebatur. Febricula a biduo jam aderat.

Die ſexta nulla adparuit urina, & febris acuta aderat: tenesmi continui, cum alvo ex alba flavescente. Cathetere explorata veſica vix guttulam quidem urinæ dedit. V. ſ. in brachio facta dedit ſanguinem crusta tenaci inflammatoria tectum. Semicupium adhibitum fuit, cum herbis emollientibus; ut laxata, ſi poſſent, vaſa omnia, & maxime renalia, iterum urinæ ſecretionem repeterent. Enema eumdem in finem injectum eſt, dataque infuſio ex hedera terreſtri, veronica, rad. fœniculi, cum ſpiritu ſulphuris per campanam, & ſyrupo quinque radicum; toti epigastrio ac renibus cir-

circumdata eumdem in finem, cataplasmata emollientia.

At vero horum omnium juvit nihil. Singultus accessit; dolor & anxietas ventris & præcordiorum intolerabilis; respiratio admodum læsa, quamvis sine tussi; pulsus celer & parvus; somni breves cum semiclausis palpebris; alvus similis priori, & die septima Junii, sexta vespertina, obiit.

§. 996. *Præsagit --- soporem &c.*; hæc omnia in nostro ægrotulo (cujus nunc adlata historia) vidimus; *tremorem &c.* morte apoplectica obivit, somno apoplectico durante per 6 horas ante mortem.

§. 997. *Urina tenuis --- ingestam.* Resumit Auctor, quæ jam dixerat §. 993. & 994., agens de *urinæ copia aucta.* Verum, quum hic consideret talem non tantum copiosam, sed etiam excolorem, insipidam, inodoram, quod non ita ante; significationem ejus examinat & in chronicis & maxime in acutis.

Notat ergo talis urina *copiam aquæ &c.*; sine insigni malo talis urina est, dum quis v. g. biberit copiosissimum potum Theæ, vel aquam puram.

2) *Vasa renalia &c.:* jam periculum majus est. Si hysterica, vel hypochondriacus, ira valida moveantur, spasmi renes occupant, dantque talem urinam. Medicus quandoque intra mensem non restituit tale infortunium. Immo quandoque inde incidunt in acutos pessimi generis.

Si autem in acuta febri id fiat, brevi summa mala sequuntur. In phrenitide futura videntur spasmi oriri ad ductum communem biliferum & ad vasa renalia: urina tunc talis limpida, excolor, excernitur, & sæpe albæ fæces, ut ictericorum. Sed cur non simul fiunt

icterici? ſpasmus forte etiam eſt per totum hepar; unde bilis nequit in ſanguinem refluere.

3) *Arctam cohæſionem &c.:* expoſui ipſiſſimum hoc ad §. 993. *n.* 5.

4) *Adfectus animi &c.:* expoſui ad §. 993. *n.* 6.; ſed AUCTOR addit *pallorem virginum*, quia ſanguis in eo maxime aquoſus & vaſa laxa: hinc & copioſa eſt, ob laxitatem vaſorum, & aquoſa, excolor, ob humorem dilutiorem ab aquæ copia.

Addit denique *partum modo antegreſſum:* paſſim puerperæ in partu amiſerunt magnam copiam ſanguinis, amiſere & primis lochiis: laxa ſunt plerarumque feminarum vaſa; & maxime a partu, dum vacuum eſt abdomen factum & omnis reſiſtentia ad renes ablata. Ergo a ſanguine pauco, diſſoluto, & a vaſis laxis, urina talis. Quamobrem neceſſitas intelligitur, etiam ob hanc cauſam ventrem puerperarum mox probe ligandum eſſe, ut hinc laxitati eatur obviam.

5) *Viscera &c.:* hæc omnia obtinent in pallore ſubfusco virginum, quem mox expoſui.

6) *Obſtructiones &c:* vaſa & viscera id munus habent, ut ex crudis cocta parent & misceant intime chylum novum cum veteri ſanguine: ad quod vaſorum viscerumque mutua ſociaque actio, in phyſiologicis expoſita, integraque eorum ſanitas, requiritur: obſtructione jam quodam in loco hærente & visceris illius actio inpeditur, turbatur, & ne alia ſua actione juvare queat, efficitur: unde a multis omnino talibus obſtructionibus ſecretio urinæ vitiari, prorſumque valet aquoſa, inodora, excolor, evadere.

7) *In acutis &c.:* nam, ut mox dixi, urina talis inepta oſtendit vaſa & viscera, ut crudum coquant; ergo, quod crudum eſt, crudum manet; tum autem

nulla

nulla exſpectanda bona criſis: quis ergo ſtatus ejusmodi corporis? Reſpondet *Textus:*

Atque hinc materiæ morboſæ &c.: corpus cruda materie plenum eſſe docet ipſa morbi conditio; docent ea, quæ excernuntur. Hæc circumducuntur, vita durante, per vaſa adhuc libera. Inepta quum ſit materies ad vitam continuandam, ſenſim obplet, obſtruit tenella maxime vaſa ultima, & totam circulationem ſubfocat.

§. 998. *Urina talis &c.* videantur dicta ad §. 994.

In morbis autem acutis: hæc porro, toties jam dicta, paucis expediam. Aqua eſt præcipua pars, quæ cum oleis & ſalibus ſanguinis conponat lixivium illud, quod urinam adpellamus: ſi aqua ſola exeat, maneant ſalia & olea in corpore copia nimia; adtritu continuo exaltantur magis magisque & deſtruunt vaſa, corpore ad mortem in gangrænam diſpoſito.

§. 999. *Urina rubra &c.:* urina continet aquam ſanguinis; ſal ſanguinis jam aerius & verſus alkalinum vergens; oleum ſanguinis pariter jam acrius factum & putrefacto proximum; terram tenuem, ſatis volatilem, valde adtritam; Boerhaave, *Inſt. §.* 375. Videnda hic, quæ ſcripſit *Inl.* Præses *Tom.* II. *comment.* p. 434. Legenda demum in *Chemia* Boerhaaviana varia a *magno* Viro facta experimenta circa urinam, & exſurget *Textus* hujus idea clara. Legite quoque operoſum commentarium *Inl.* Baronis in caput *de calore febrili*, & habebitis perfectam omnium notionem. Etenim ab omnibus his patet, colorem urinæ ab oleo ejus ex adtrita pinguedine adtenuato, unice pendere; tum, ejus proinde colo-

rem eo reddi intenſiorem, quo major ad reliquas urinæ partes conſtituentes eſt olei proportio, ideoque per varios gradus ex urinæ ſanæ & coctæ colore naturali ſtramineo in rubedinem ſaturatam verti poſſe.

Sed olei hujus cum urina permistio validum adtritum, & inter partes humorum conſtituentes, & inter vaſa humoresque, ponit; quumque ab eadem cauſa caloris augmentum in febribus pendeat (*); ſponte liquet, cur rubor urinæ pro caloris interni ſigno habeatur.

Res multis confirmatur exemplis: ut enim antea vidimus, hominibus debilibus & frigidis pallida urina eſt, calidis & robuſtis longe coloratior: iisdem in intenſam creſcit rubedinem, ſi labore & valido & diuturno exercuerint ſeſe; quo etiam tempore calor augetur.

Quod autem *Textus* ait, adtritum validum deſignari inter partes humorem conſtituentes & inter vaſa ac humores, clare intelligimus, ſi conſideremus, in corpore humano omnia eſſe plena, non dari vacuum in vaſis, in quod vacuum cor locet ſingulo pulſu miſſum ſanguinem. Arteriæ ergo ſunt plenæ, & reſiſtunt ſuæ dilatationi. Arteriæ autem ſunt vaſa incurva paſſim & conoidea; ſi ergo cor mittat ſanguinem in arterias, obſendet ille ſanguis ſanguinem, quo jam ſunt arteriæ plenæ: ergo partes ſanguineæ inter ſeſe confricantur, adteruntur. Dein cor ſuperans reſiſtentiam arteriarum inpellit ſanguinem omnem in arteriarum latera; quæ & vi elaſtica fibrarum, & propria musculari fa-

(*) Pro parte; nam caloris cauſas præter adtritum, alias eſſe, experimentis in noſocomio captis patuit. *De* H.

fabrica iterum, dum cor pellere ceſſat, ſe contrahentes, abundantem ſanguinem in venas pellunt; maxime, quia ſanguini venoſo eo tempore reſiſtentia ad cor aufertur; valvulis iterum ad ora venoſa cordis laxatis & deorſum tractis.

Ergo elementa ſanguinis inter ſeſe adteruntur, & fit præterea adtritus inter vaſa & humores. Hinc ſalia & olea adtenuantur eo magis, quo inpulſus cordis crebrior fit; id eſt, quo cauſæ illius adtritus crebrius renovantur; & quia ab oleo adtenuato deprehenſa fuit rubedo naſci urinæ, hinc urina eo rubicundior fiet, quo per illum adtritum olea magis adtenuantur.

2) *Intimam & tenacem &c.;* quia non ſecedunt partes a ſe invicem; non dant ſedimen; eſt ergo adtenuatio ſumma, ut lapſu temporis nihil ad fundum vaſis cadat. Durabit talis febris, donec proprium corpus deſtruxerit. Nulla hinc coctio, nulla criſis; coctio enim ſubponit olea & ſalia minus adtenuata, id eſt naturali ſimiliora. Criſis ſubponit materiæ a naturali alienæ ſeceſſum a reliqua maſſa urinæ per ſedimenta.

Unde textus 3) *Hinc ergo cruditatem &c.;* ut mox dixi, adtenuatiſſimarum partium ſanguinis unio niſi tanta inter ſeſe eſſet, fieret naturali ſimilior; id eſt, deponeret morboſum, ut ſanum ſolum ſupereſſet: quamdiu id non fit, eſt cruditas.

4) *Longam futuram &c.;* criſis bona poſt coctionem: coctio non fit, ergo nec morbus bona criſi poteſt evacuari.

5) *Et magnum in eo periculum;* quia 1) vaſa minima ſæpe vim tantam, eamque adeo continuam ſuſtinere nequeunt, quin rumpantur ac deſtruantur, & quia nutritio & ſecretio fit per minima vaſa, vita

ceſſat. 2) Pergente illa adtenuatione dispoſitio ad putredinem indies augetur, & cum ipſa morte putredo nata jam eſt; unde ſanguis putride diſſolutus ichoroſus ex naribus, alvo, & ſub cute ad mortem adparet.

§. 1000. *Urina autem hæc præſagit* 1) *deſtructiones &c.*; ut mox dixi: cerebello gangrænoſo mors cordis.

2) *Coctionem &c.*; quamdiu urina talis, & niſi natura, cito ſuis viribus exſurgentibus mutet humores morboſos coctione cita. Nam, ut ſæpe dictum, ex ſola urina nunquam judicandum. Videmus id in caſu METHONIS, & *Mulieris in Thaſo* apud HIPPOCRATEM; vidimus & ſimilia apud nos in noſocomio, ubi natura, valentior reddita, cito mutabat cruditatem in coctionem: ſed caſus hi minus frequentes

3) *Criſin tardam &c.*; quia nulla prægreſſa coctio, nulla cruditatis mutatio.

Patet autem &c.; nam eo intenſior gradus cruditatis, ideo coctionis abſentia notabilior, eo criſis inpoſſibilior, eo periculum deſtructionis magis ingens.

§. 1001. *Hinc urina flammea &c.*; ſi in minori gradu adeo prava, eo erit pejor, quo morbi gradus pejor denotetur.

§. 1002. *Rubra una cum ſedimento &c.* Sequuntur nunc urinæ in eo differentes a rubra & flammea, quod illæ ſedimine carerent, hæc vero illud habeant; ſed ideo non ſunt melioris notæ; ut enim ſedimen juvet, oportet illud bonum eſſe. Mala ſedimina nil magis proſunt, quam ſedimina nulla.

Varii

Varii generis hic enarrantur; ac primo quidem sedimen grave & crassum, acsi rubri lateres, quibus ad ædificandum utuntur, contriti adessent; vel, ut alia conparatione mentem suam explicat Auctor, instar boli rubræ. Si, inquit, talia sedimina prodeant, designant

1) *Antegressum esse motum &c.;* ita, ut abradantur solidæ partes & in urina prodeant. Adtritum vidimus esse inter partes constituentes humores, & inter vasa humoresque. Si validus admodum adtritus prægressus sit, deteruntur a vi illa ingenti interni vasorum parietes, & faciunt illud crassum, rubrum in urina.

Cur ergo non potius crassum album est, quia vasorum color albus?

Videntur abrasæ particulæ misceri cum sanguine, cum eoque inviscato simul exire.

Quomodo hoc potest esse, quod tam crassa moles per ultima vasa transeat, denique per ultimas arterias renales in fistulas bellinianas secernitur? Vasa illa non videntur tam crassam materiem exceptura.

Hinc ait *Textus* 2) *vasa laxa;* ita, ut diametro aucta nunc transitum concedant crassioribus, alioqui non transituris.

Verum, vix possibile videtur, a motu valido & laxis vasis hæc posse explicari: ubi enim vasa laxa sunt, paucus adest motus, adeoque paucus adtritus: ergo, ubi paucus adtritus, non possunt ab adtritu valido vasa abradi.

Nec obstat, cum vasis laxis fieri posse magnos adtritus; nam acrimonia stimulat ita, ut irritata vasa laxiora valide reagant in sanguinem. Sic stimulus variolosus in debili puella, in infante, agit: ita acrimonia acida, aut biliosa, facit stimulos tales, ut fiant in debili, flaccido corpore febres lethales. Docent maxime id

se-

febres intermittentes, quartanæ; quæ ſine inflammatione tales urinas dant.

Textus explicat 3) *cruorem acrem &c.*; ſi humores blandi & laxa vaſa, non poſſunt adtritum magnum generare.

Verum, ſi humores acres ſint, ſtimulum ingentem adplicant ad vaſa, irritantque eadem; unde valide reagunt in humores. Fit ita adtritus, ubi deeſt una ex adtritus cauſis, nempe vaſorum arctitudo, & denſitas: hunc vero defectum ſubplet acrimonia. — Sit virgo debilis, habens laxa vaſa, humores dilutos, ſed acres, ſcorbuticos. Corripiatur variolis, morbillis. A ſtimulo hoc acres humores inpulſi in vaſa faciunt adtritum & validam febrim. Bene vocat *Textus* hanc materiem *nutritioni ineptam.* Blanda illa ſunt, quæ nutriunt: quo acriores ſunt facti humores, eo nutritio & reparatio deperditi eſt minor, ut pro nutritione marcor ſuccedat & debilitas.

Si exemplo vultis rem demonſtratam, en duplex ab AUCTORE propoſitum.

4) *Febres intermittentes &c.*; in his validus eſt prægreſſus adtritus, cum vaſis laxioribus, & humore acri. Haud enim ab inflammato cruore, & vaſis ſtrictis hic adtritus oritur; nam tunc fieret inflammatoria febris: verum in his vel quidam ignotus ſtimulus adeſt, vel cruor acer eſt, & vaſa laxa: neque opus eſt, ut copioſus admodum ſanguis ſit. Videmus tertianas & quartanas etiam debilia corpora, ſanguine deſtituta, inpetere. Dum talis diſpoſitio proëgumena adeſt, modo vel ex errore in ſex rebus non naturalibus, vel ex ſtimulo epidemico, acer ille ſanguis in vehementiorem motum inducitur; mox ſolent ſe vaſa ultima ad hunc ſtimulum conſtringere, quaſi noxium repulſura. Tunc ceſſat inpetus ille, & pro pulſu forti fit debilis; cor quoque irritatum pergit

git pellere sanguinem; unde debilis quidem, sed simul celerrimus pulsus; & quia adtritus minuitur, etiam minuitur, qui ante febrim aderat, calor: hinc horror, frigus, rigor.

In motu valido humorum fit magnus adtritus, dum partes acres ad omnia vasa adplicantur. Vasa laxa, sive natura, sive quod in sua constrictione spiritus secluserint, ab illa acrium adplicatione irritata valide, reagunt ab hac causa plus, quam agerent a forti suo robore, si illud haberent.

Adteruntur sic solidarum partium ultima elementa, cum sanguine conmiscentur, & per laxos tubulos renales excernuntur.

Urina illa sæpe, dum mingitur, jam turbida est, vel brevi turbatur, datque tunc sæpe copiam magnam hujus sedimenti.

Si tales paroxysmos multos homo habeat, potest fieri cachecticus & cacochymicus, ut viscera varia nimio vasorum detritu debilitentur, ultra vix promoveant liquida, hinc obstruantur & indurentur. Obstructis vasis sanguineis circulatio lateralis vasorum serosorum, lymphaticorum inpeditur; arteriæ lymphaticæ a suo principio ex liberis arteriis ortæ, & per viscera obstructa decurrentes, turgent, nodos formant, hydatides; immo crepant, & faciunt hydropem.

Hydropici ex hac causa, eive simili, pergunt habere vasa indies laxiora, & humores acriores. Ad minimum motum auctum, ad minimos errores diætæ, aut ad animi motus, acrior ille sanguis cor & vasa irritat, febres vagas facit, & urina talis cum sedimento crasso pergit reddi; usque dum vasa ultima incipiant corrumpi, adteri, & urinas fuscas, immo fere nigras, producere.

Alia

Alia vero res eſt, ſi acre in ſanguine, ſi vaſa debiliora; quæ duæ cauſæ proëgumenæ intermittentium, ita per ſtimulum accedentem, ut procatarcticam, mutentur, ut acre per excretoria corporis loca expellatur, ut laxa vaſa per hunc motum roborentur, & ut acri omni expulſo, corpus hoc fiat ſanum. Hic verus ſæpe & ſalutaris intermittentium effectus; ad quem HIPPOCRATES ſæpe animum advertebat, obſervans, naturam indigere ſeptem paroxysmis in tertianis.

Acri autem in ſanguine remanente, videmus tertianas & quartanas per menſes, per ſemiannos, & annos durare, aucta ſemper cauſa, quæ eas produxerat; vaſorum debilitate, acribus humoribus; ſi magis magisque per vim febris blanda & aquoſa expellantur, & augeantur acria.

Cortex peruvianus ſæpe hos motus temperat, ſedat. An, quia in nimia nervorum mobilitate & laxitate citra febres adeo proficuus, nervos roborando, minusque mobiles & minus irritabiles efficiundo? Tunc hoc per corticem effecto febris ceſſat, quia capillaria vaſa jam hac irritabilitate carentia, non intercipiunt ultra circuitum humorum. Tamen corporis vaſis emendatis manent humores acres. Alia mala iterum timenda. Immo vix aliquamdiu caruere vaſa vi corticis, quin febris redeat. Bona igitur diæta, bonisque medelis eſt tunc in acrimoniam ſuperſtitem agendum.

Præter corticem, vera antifebrilia ſunt omnia, quæ ſanguinis doment acrimoniam, licet vaſis non peculiariter proſpiciant. Si acidum ſit id acre, lapides cancrorum, & omnia antacida, æque certo & indubitato ſunt antifebrilia, quam cortex. Sufficit enim ex conbinatis cauſis proëgumenis alterutram ſuſtuliſſe. Cortex ut in vaſa egiſſet nervosque, ita hic antacida in acre præ-

prædominans, ſtimulans. Si acrimonia alkalescens ſit, antifebrilia ſunt acida acescentia.

Tutiora ſæpe ſunt ejusmodi remedia, quam ipſe cortex, in principio: agunt enim in cauſam acrem, quæ longe magis timenda, quam vaſorum flacciditas. Hinc intelligimus, cur tantum nomen ea, quæ amaricantia Artifices vocant, adepta ſint. Dum enim gentiana, helenium, centaurium minus, abſinthium, ſcordium, marrubium, galanga utraque, baccæ lauri, myrrha, cum ſale neutro, aut acido, aut alkalino mista, corpori ingeruntur, habetur remedium, quod & ſpecificam acrimoniam corrigat, & vaſa flaccida roboret, peccans gluten incidat, expellat.

Sed ſæpe hæc ſunt debiliora, quam ut effectum præſtent ſperatum. Corticis vis tunc eſt neceſſaria; repetitis enim vicibus videmus cauſam ipſam febris per febrim augeri, & morbos peſſimos chronicos nasci.

Male hinc culpatur cortex, ſi illi adſcribantur chronica mala. Vitium unicum forte eſt, quod ſerius datus, nata jam chronica mala emendare haud potuerit. Tempus dandi ergo antequam inreſolubiles nascantur obſtructiones. Culpatur etiam merito cortex, quum in principio datus inpedit, ne per ipſam febrim una cauſa febris expulſa fuiſſet, acre nempe in ſanguine hærens.

5) *In oris ſeptentrionalibus his ſcorbutum.* Hæc, ut nostis, in Belgio ſcripſit Auctor, idemque obſervant, qui inter boreales populos praxin exercuerint. Non explicabo hic corbutum, nam finis non daretur Pathologiæ. In genere tantum dicam, ſimillimam ſæpe eſſe ſcorbuticorum urinam, in certo ſcorbuti gradu, urinis illorum, qui validas intermittentis febris paroxysmos habuerint. Acres quippe humores, & vaſa laxa, unde errantes ſcorbuticæ febres; hinc a ſolidis detritis quoque urina rubra cum craſſo ruſo ſedimine.

§. 1003.

§. 1003. *Præſagit* 1) *longitudinem morbi;* morbi enim durant, quamdiu excretiones naturaliores factæ non ſunt, quamdiu non doceant, quæ eos produxerant, devictas cauſas eſſe. Urina talis maxime aliena prodiens denotat cauſæ, adeoque effectus, pertinaciam.

2) *Vaſculorum adtritionem, debilitationem, deſtructionem;* nam pro deperditis, hoc ſedimen componentibus, non adponuntur nova a ſanguine nutritioni inepto: unde illæ debilitates & languores a diuturnis intermittentibus.

3) *Sudores, urinam &c.*, conſideravimus laxa in hominibus his vaſa omnia, nec ita valida ad agendum, niſi perpetua ſtimuli agitatione. Tunc ſæpe fit, ut per laxa excretoria adtenuati humores abeant, & ſine repagulis ullis effluant de corpore: homo tabescit & perit. In ſenibus hoc a quartanis frequens. Hoc ſignificat *conliquativum.*

4) *Atrophiam;* deſignat ἀτροφία innutritionem, ut ita dicam. Si in ſanguine deſint debitæ particulæ, in deperditorum locum adponendæ, homo quotidie viribus, mole, decrescit. Auferuntur quotidie vetera, nova non adponuntur.

5) *Hydropes quoscunque;* ſcilicet confirmatos. Sæpius enim ἀναστρια viſitur, ubi talis urina non adeſt. Habent autem plerique hydropici confirmati talem, quia multa loca obſtructa ſunt, & humores acres & vaſa laxiſſima. Vagæ illis febres fiunt, & hinc deteruntur ſolida.

§. 1004. *Si in tali urina &c.*; ab iisdem cauſis nunc dictis non modo ut laterum contritorum pulvis, ſed & corpuscula abraduntur ab internis vaſorum parietibus, veluti ſquammulæ parvæ. Si parvæ

væ admodum, urina dicitur *furfuracea*; si paullo majores, *squammosa*. Haud inepte Galenus dixit, talem urinam designare scabiem internam vasorum. Est scabies, sed nata acrium humorum, non vasorum, vitio. Facile conprehenditis, si adeo mala urina cum pulvere abraso, eò pejorem esse, quò gerat frustula majora, prognosis eò tetrior.

§. 1005. *Si autem urina &c.* Videte, quomodo caput hoc de urina nos in intima morborum penetralia ducat. Jam cernitis, quid bilis, intra sanguinem refusa, in corpore faciat. Auferte modo id acre a sanguine, quod in tribus præcedentibus paragraphis consideravimus, & substituite bilem, habebitis mox explicationem omnium. Bilis hæc acris, & alkalino proxima, circumductione humorum acrior reddita, abradit internos vasorum parietes; ita, ut vel rubri pulveres, vel furfures, vel squammulæ in urina adpareant.

Si igitur exhibeatur nobis urina cum tali sedimine, sed non crocea, non tingens chartam, aut linteum inmissum, novimus certo, aut hominis esse, qui acute laborat, aut hectica, aut arthritide; aut qui validos intermittentis passus sit paroxysmos; aut qui scorbuto sat provecto, nec tamen penitus corrupto, putrido, vexetur; aut qui alio morbo adfligi creditur, dum vera causa tamen ad intermittentem pertinet; aut qui hydrope confirmato laborat. Si vero cum ejusmodi sedimentis simul croceo colore sit tingatque inmissa, audacter prædicere potestis, hunc hominem habuisse, vel forte adhuc habere, anxietates magnas ad hypochondria, habere fæces argillaceas albas, oculos & cutim flavam. Hæc sola fere urina est, quæ statum ægri non cogniti denuntiet; modo fraus non subsit; sed falli nos

poſſe, nota. (*) Hinc *Textus* addit: *Atque certa ejus ſymptomata in cute, alvo, hypochondriis, toto carpore. Unde & præſagia clara ex hiſtoria ejus morbi petenda.* — Præſagia certe longe petenda non ſunt: ſi enim bilis, acerrimus circumductorum humorum, acrior indies fiat, diſſolvet omnem ſanguinem, & producet vel febres acutas, vel hydropem, vel cachexias, cacochymias, mortem.

§. 1006. *Viridis colore urina &c.;* viridis urina rarior eſt, datur tamen. Vidit BOERHAAVE urinam inſtar ſucci expreſſi graminis. Quibus hominibus ſanguis eſt piceus, concretus maxime in ſyſtemate venæ portarum, in quo ille humor haud raro fere ſtagnat; ſi ſemel in motum ducatur, tunc dat urinam colore virentem, cum craſſo ſedimine; unde addit *Textus*: *ejusdem materiem &c.;* hiſtoria enim atræ bilis notat, dum incipit in ſyſtemate venæ portarum moveri atra bilis, anxietates ſummas oriri, dumque intra ſanguinem ex-

(*) Sic conſtat v. c. a rheo tingi urinam colore luteo, icterico. — Menſe Martio 1760., (HABNIUS in margine *codicis Prælectionum* adnotavit) in femina laborante hemitritæa, urina ſumme icterica tota die, & die ſequenti minus, ubi in toto corpore nulla ſigna icteri; & hoc mane ex urina ſani hominis mista cum ſale tartari, tinctura rhei aquoſa & oleo vitrioli, vidistis conponi urinam, odore urinoſam, colore ſubrubram, levi flavedine tingentem inmiſſas chartas, & pro pauca copia liquidi ſedimen ponentem orobo toſto ſimile: ergo etiam fallax hæc urina. *De W.*

excepta est, sua acrimonia brevi ita stimulat & aperit excretoria corporis loca, ut prodeat foras. Sed antequam prodeat, creat aliquando dolores colicos, iliacos, intolerabiles, ut quovis momento homo moriturus videatur. Dolores hi sæpe tanti, ut solutio continui fiat per gangrænam. Sæpe adhuc partes servantur, & prodit alvus viridis nigrescens, summe periculosa, similisque materia per urinam. Debilitates hinc enormes & mors; maxime dum ab acerrima materie gangræna adficit, quas pertransiverit, partes.

§. 1007. *Præsagit &c.;* pars jam rapta est, alioqui in urina non conpareret; sed si totius massæ atrabiliariæ portio notabilis, aut tota, in sanguinem ducatur, omnia timenda sunt.

Unde infinita & acuta &c.; ut partim jam dixi: colicæ, dolores iliaci, nephritides, anxietates intolerabiles, vomitus enormes, deliria, furores.

Quin etiam ex his noscitur &c.; si viridis color urinæ ita intensus, accedit ad nigrorem, sed origo eadem ab atra bile: hinc patet, varios gradus bilis atræ esse.

§. 1008. Jam ad alia in urina contenta consideranda se vertit hic venerandus Auctor: sunt ergo

I. *Sanguis.* Prodit sanguis 1) a motu valido corporis, dum per asperas vias currus diu movetur. Renes agitati, quia in sedentis forma vis maxima concussionis in renes determinatur; renes, inquam, sic agitati, dimittunt per ultima arteriolarum oscula merum sanguinem in tubulos bellinianos. Nil mali est, modo quiescant per aliquot dies, & blandos potus, blandas emulsiones copiose sumant.

2) Sanguis prodit quibusdam arcto nimium cingulo, vel arctis nimium vestibus lumbis adplicatis: constricta enim vasa venosa multa retinent sanguinem in inferioribus corporis. Unde, quibus laxiores renales arteriæ, sanguinem fundunt per urinam. Remedium his, ut minus lumbos stringant, & vasa roborantibus utantur remediis.

3) Sanguis prodit in humorum dissolutione, quia jam arteriis non mutatis ipse humor dilutissimus per oscula arteriarum transit. Nunquam id magis adparet quam in variolis. Vidi juvenem robustissimum contagio varioloso adfectum in variis venæ sectionibus exhibere sanguinem minime inflammatorium, tertio ac quarto die maculis purpureis per corpus tegi, & urinam fere totam sanguineam reddere. Quarto die moriebatur. Plures tales vidit SYDENHAMUS, sed mortuos omnes, excepto forte unico.

4) Sanguis prodit, advertente HOLLERIO, & aliis, profusissima Venere. Quies, abstinentia, blanda emulsa, ac opiata, hic conveniunt.

5) Sanguis in urina prodit ex calculo vulnerante vesicam urinariam. Causam hanc docent symptomata calculi.

6) Sanguis in urina a calculo renum. Symptomata absentia alicujus in vesica mali; symptomata præsentia calculi renum, concludere jubent, ex renibus oriri hunc sanguinem.

7) Renes subpurati dant quoque sanguinem, dum semilaceræ fiunt arteriæ ab acri adlabente pure; sed sanguis ille raro purus venit, passim pure mistus.

II. *Pus* in urina a vesica, ab ureteribus, a renibus. Signa determinantia speciem morbi, etiam determinant, unde illud pus prodeat.

2)

2) Pus verum urina excernitur, dum metastatice ad vesicam pervenit. Visæ sunt magnæ collectiones purulentæ per vesicam se expurgantes. In subpurato utero aliquoties vidi purulentam vere urinam. Forte dicetis, pus illud inter mejendum potuisse ex vagina in matulam cadere; adeoque non probare, illud simul cum urina exivisse. Respondeo, id certo constitisse per anatomen: nam cum tali urina copia puris non potuit exire de corpore: unde phthisica periit femina. Cadaver me convicit, pus cum urina prodiisse; nam uteri substantia erat pure exesa a parte dextra; sed cavum uteri ac vagina erat sanum, & integrum. Ergo inde pus non potuit venire. Deinde multi magnique abscessus se hac via exonerant.

III. *Caruncul*æ; IV. *filamenta*, *pili*, *anguillul*æ, *grumi*; V. *arenul*æ; VI. *partes calculi*; VII. *mucus in fundo*; (de his omnibus antea jam actum quum sit, repetitionem hic ratus fui supervacuam.)

Hæc igitur omnia, *designant vitia renum*, *ureterum*, *vesicæ*, *testium*, *vesicularum seminalium*, *prostatarum*, *glandularum* Cowperi, *seu* Morgagnii, *urethræ*. Præcipua explicui. Per gonorrhœas virulentas mirum quomodo aliquando partes degenerent. Omnes lacunæ, cryptæ, ostiola ad caput gallinaceum prostatarum, & seminalium vesicularum, possunt ad orificia sua conrodi, in ductibus suis laxari & fundere oblonga concreta corpuscula. Semen corruptum in teste potest ita duci in veiculas seminales, ibi magis corrumpi, stimulo suo propelli in urethram, & mira in urina phænomena exhibere. Si prostatæ, si binæ magnæ glandulæ prope prostatas erodantur, consumantur, mira corpuscula in urina prodeunt. Viri magni turpi errore erraverunt, judicando renum vitia, ubi sola Venus in causa fuerat.

Hinc, dum urinam videtis cum carunculis, cum pilis, cum filamentis, ne illico pronuntietis; neque etiam adcuſetis innocentes. Sed probo examine inſtituto circa originem talium malorum aut phænomenorum veram rei cauſam ſatagite indagare. Unde *Textus*

§. 1009. *Quænam vero ſit natura &c;* abunde explicui. Non ſola urina, ſed obſervationes de morbo factæ ſimul junctæ docent naturam morbi.

§. 1010. *Pinguis adparens urina &c.;* ſi vultis, microſcopio adplicate; mox videbitis ſplendentes arenulas, ſpicula forte etiam ſalina, & viscidum quoddam, quo cohærent. Pellicula talis tegit urinam, & ſi vas inclinetur, adhærescit pellicula ad illam lineam, quæ prius urinæ ſuperficiem terminaverat, & inclinato vaſe tegit pellicula, ſuperius fixe adhærens, totum latus vaſis. Si reponas vas ut ante, pellicula deſerit vaſis latus, & tegit iterum urinæ ſuperficiem.

Tum notat abundantiam terræ & ſalis hebetioris in ſanguine. In urina ſana eſt æqua omnium proportio; hic vero nimia copia terræ adparet, quæ primum inviſibiles conſtituit particulas, dein uniendas & leviſſimo muco irretitas in ſuperficie urinæ hærentes.

Præſagit hinc ſcorbutum &c. Præſagit nempe morbos, ubi terrestre, ubi abraſa ſolida, diatheſin ad morbum faciunt; ut jam ante dictum. Verum excipiuntur caſus multi. — Vidimus v. c. in principio hujus capitis, quod CARDANUS jam ultra 40 annos ſingulis diebus in propria urina viderit adeſſe telam araneæ continuam, virgulis craſſioribus, rectis distinctam, citra ullum ſanitatis detrimentum; idemque ab eodem fuiſſe in pluribus aliis obſervatum. In reconvalescentibus ægris haud raro urina obſervatur talis. Multi ſani homines in ſuis urinis

nis idem obſervant. Immo urinæ multæ, ſi ultra diem ſervantur, id demum phænomenon exhibent. (*)

Ergo obſervatio hæc obtinet ſaltem, ſi eadem die, qua urina reddita fuit, urina talis ſit. Obtinet; niſi diatheſes peculiares ſint, quæ inpune id ferant. Obtinet, niſi in reconvalescentibus, cum bonis ægrorum rebus, talem urinam prodire videamus.

§. 1011. *Urina autem vere pinguis & oleoſa rarior certe, ſi obſervaretur unquam.* Pingue oleoſum in urina quandoque adparet, ut §pho præcedente vidimus, ad ejus ſuperficiem. Oleoſum vidi ſæpius in colica Pictonum, vel periodicis aliis colicis, dum ℥. viij. x. olei lini, forma enematis injectæ, aliquamdiu in corpore hærerent. Copia aliquando notabilis olei in tali urina erat; qua vero via ex intestinis ad veſicam venerit, ignoro. Si ponamus oleum per lactea intraſſe in ſanguinem, inde veniſſe ad renes, via commodiſſima eſt; verum in œleophagis non animadvertitur oleoſa urina, & ſi quis biberit uncias quatuor, quinque olei lini, per conſequentes aliquot dies, oleum tamen non adparet in urina. Frangitur ope bilis oleum, ut aquæ miscibile fiat, maneatque. Undenam ergo urina cum vero oleo copioſo, quando injectum per enema fuerit oleum tale; cum nulla gutta olei, etſi per plures dies homo illud potaverit? Ratio me huc usque latet.

(*) Forſitan Cardanus levem ad ſcorbutum diatheſin habuit, & inde ejus urina ſemper hac ratione conſtituta fuit.

Sed in *Textu* agitur de urina tota pingui & oleosa: hanc raro adesse credit AUCTOR. Si tamen verum sit, quod detur talis, putat duo maxime hic adesse: 1) *vasa adtrita per majorem motum; hinc soluta, cruori mista, & cum urina excreta pinguia*: 2) *humores acres*. Ergo humores admodum acres debuissent solvere, adtenuare omne pingue, etiam rodere & solvere vasa tenuissima suo acri.

Et ideo minabitur phthisin, quia vasa erosa destruuntur & cum humore contento in massam homogeneam rediguntur: *atrophiam*, quia materies nutritia eo in sanguine non adest.

Fundi posse oleum corporis, jam sæpius consideravimus in acutis morbis obesorum hominum, qui 60, 80 lib. pinguedinis paucis septimanis amittant. Posse hoc oleum cum sanguine misceri & evacuari, etiam jam vidimus, dum de urina rubra agebatur. Verum oleum hoc non adparet ut oleum in urina.

Hinc *venerandus* PRÆCEPTOR caute agit, non admittendo omnia, quæ scribunt Auctores; sed ait tantum, si detur talis urina, eam tunc significare ea, quæ dicta sunt. (*)

§. 1012.

(*) HOFFMANUS *Tom.* 3. *Sect.* I. *c.* 31., putat, superficiem pinguem oriri a soluta pinguedine, mista sanguini præ nimio calore, & dein humore salso muriatico dissolutam esse, & renibus secerni. Refert vero ex SYLVIO in femina juvencula tam crassam pinguedinem in urina innatasse, ut butyri, aut olei frigidi instar in perfrigerata urina conpareret. In hecticis sic putat olea, sive pinguia, solvi.

GA-

§. 1012. *Urina, quæ conquaſſata ſpumam diu retinet, notat olea, & ſalia in lixivium ſaponaceum mista atque ſoluta.* Nascitur tunc ſapo, aëra incluſum reti-

---

Galenus credit, ſe vere oleaginoſam urinam vidiſſe, nullo ægri detrimento, immo cum coctionis ſignis: tamen poſtea ipſe vacillat circa hanc obſervationem.

Hieron. Cardanus, *Comment. in Aphor.* 7—37. triplicem talem urinam ſtatuit ex Actuario: 1) velut telam araneæ habet; talem jam ultra annos 40 ipſe Cardanus quotidie ſine noxa reddiderat. 2) In media urina puncta & granula olei aurei; hanc bis viderat; quo in morbo, oblitus. 3) Ubi cruſta pinguis adeſt, ut in lebetibus, quando jus concreſcit a frigore; quam ait, ſæpe ſe in hecticis vidiſſe. Pinguedo hæc non tantum ad ſuperficiem urinæ, ſed ad latera totius vaſis eſt adnexa. Putat, de hac intelligendum eſſe Hippocratem, dum damnat talem urinam. Tum 4) urina in ſubſtantia ipſa pinguis eſt; hanc & in hecticis viderat Cardanus, atque hanc omnium peſſimam ait. „Adſuesce, inquit, videre jus carnis in vitro, ut etiam ejusmodi urinam deprehendas.“ Ex Actuario & alia refert.

Tamen Hippocrates diſerte damnat eas urinas, quæ habent quaſi telas araneaium, contra quam Cardanus explicat.

In genere poteſt dici, vere oleoſam urinam vix dari; ſed cum pelle oleoſa condemnari ab Hippocrate in omnibus ægris.

tinens. Si aquam conquaſſetis, forte dat bullas aliquas; ſed illico evanidas, ſi aqua pura ſit: ſed miscete ſaponem cum aqua, bullas excitabitis tenaces, permanentes diutius.

Tales bullæ tenaces in urina notant 1) *tenacitatem miscelæ arctæ*; ita, ut etiamſi urina aliquamdiu repoſita fuerit, tamen ſic maneat.

2) *Coctionem difficilem & criſin*; coctio & criſis ut fiant, facilem ſeceſſum partium morboſarum a ſanis poſtulant. Hinc eſt intima miscela, ergo coctio aut criſis non exſpectanda.

3) *Morbos fere pulmonicos, aut catarrhos in capite.* In catarrhis per aliquot dies talis urina obſervatur: in phthiſicis multisque chronicis fere ſemper talis urina adeſt.

Attamen pluries vidi, prognoſticon hoc fallere. Conquaſſavi urinam ita, ut ſequenti die ſpuma necdum evanuiſſet: vidi multos mortuos, multos ad ſanitatem redeuntes. Dum gravi catarrho, aut coryza laboro, habeo id in mea propria urina; ſed catarrho abeunte etiam ſpuma deeſt.

Be-

Nos haud ita eas condemnamus, quum experientia edocti toties viderimus, nil mali inde ſequi; immo in urinis vere criticis haberi, ſanitate brevi ſequente. An quia HIPPOCRATES in Aſia ſcorbutum non habebat, & nos adeo frequentem in Europa experimur? An eſſet ſimul ſcorbutus, quod in acutis ſimul ſolvitur, adeoque nil mali portendit? An, ſi ſine ſcorbuto talis urina, ideo eſſet cum HIPPOCRATE condemnanda? *De H.*

Bene igitur monuit Boerhaavius in principio capitis de urina, bene praxis quotidiana hortatur, ne ſolis urinis fidamus unquam.

§. 1013. *Urina fœtida ſponte notat ſalia & olea adtenuata, ſoluta, fere putrefacta.* Obſervavimus in noſocomio per 40 dies putridas tales urinas, quarum aliæ mox emiſſæ putrebant, aliæ bihorio, trihorio, ſex horis, postea. Adtenti in hanc rem vidimus, ſervando aliorum ægrorum in morbo acuto, crudo, aut cocto, jam & ſoluto fere, tales urinas ſæpe prodire; frequenter & curatis ægris pariter.

In his omnibus id obſervavimus, quod paucæ ex corpore putridæ exirent, plurimæ putredinem intra pauciores pluresve horas contraherent. Crediderim igitur, in *Textu* mentionem fieri urinæ jam fœtentis, dum mittitur, idque ſponte.

Sponte, id eſt non ab eduliis, v. g. ab asparagis. Asparagorum effectus eſt, ut comesti jam intra ſemihoram, aut horam, urinæ concilient abominabilem fœtorem. Si quis vesperi asparagos comederit, & cubitum iturus in matulam urinam deponat, cubiculumque habeat & parvum, & clauſum, matutino tempore vix feret fœtorem. Si asparagi diu cocti ſint ad ſummam teneritudinem, non dabunt tantum fœtorem; ſi minus cocti, fœtorem majorem; elixi maximum. Nec juvat, eos comediſſe cum ſucco citri, aut in acetariis cum aceto; fateor, eſt idem.

Mirabile eſt, unde hoc veniat: non enim a ſolutione putrida humorum; nam homo æque ſanus manet, etſi asparagos mane & meridie comedat copioſe per ſex ſeptimanas; ut omni anno fere in Hollandia feci, ubi habentur eximii ſaporis & craſſitiei.

Ergo

Ergo poſſunt ingeri in corpus humanum talia, quæ, unita cum humoribus nostris, talem excitent fœtorem. HELMONTIUS, in ſuo *tractatu de lithiaſi*, *c.* 5. *n.* 18., ob talem urinæ fœtorem vehementer invehitur in Medicos, qui radicem asparagi omnibus fere apozematibus incoquunt; nam, ut ſcitis, eſt una ex radicibus quinque aperientibus. Verum, ut dixi, experientia patet, minimé eſſe id noxium, & non putrefactione humorum, ſed dote ſibi peculiari, talem creare urinæ odorem.

Interim Medici cauti ſint in prognoſi ex urina putrida reddita; ſi enim apozema ex rad. quinque aperientibus æger ſumſerit, poteſt fœtor cadaveroſus in urina eſſe; aut, ſi jure carnium uſus ſit, in quo asparagi incocti ſint. Id ergo ſcimus, poſſe a rebus comestis conciliari fœtores urinæ, citra humorum corruptionem. At vero, ſi nulla cauſa præceſſerit, *ſponte*, ait *Textus*, & tamen, quæ mingitur, jam cadaver fœteat urina, eſt aliquid, quod prudentem eſſe Medicum doceat.

Si quis dicat, tamen hominem ſervatum eſſe, qui in noſocomio tales urinas minxit, reſpondeo, ideo ex ſola urina nunquam eſſe judicandum, ſed ex conlatis omnibus ſimul morbi ſignis. Deinde dicit *Textus*: *hinc* DISCRIMEN SUMMUM, *tam in chronicis, quam in acutis*, NEC FACILEM SANATIONEM. Ergo non eſt abſolute lethalis urina illa, ſed notat diſcrimen ſummum, evaſitque demum æger noster, longo tempore uſus ingenti copia acidorum, titulo medicamenti, potulenti, esculenti.

Sed, ſi urina eſſet colore loturæ carnis, & odore ac ſapore ſemiputrida, ſimulque homo ille admodum debilitaretur, BOERHAAVIUS mortem indubitanter prædicebat.

§. 1014.

§. 1014. *Urina in morbis colorata adparens, sed plane insulsa; clamat effœtas naturæ vires, mortemque propinquam.*

Boerhaave noverat hoc maxime ex homine empirico amstelædamensi, ad quem de futura amicorum morte undique convolitarent: non enim de morbis respondebat ex urina, sed, utrum brevi esset homo moriturus. In aliam cameram ferebat urinam & gustabat. Si colorem haberet urina, nec ullam in eo salis humani præsentiam detegeret, pronuntiabat audacter, brevi moriturum hunc hominem. Sal enim naturale est nostrorum humorum, & si homo tantum serum lactis per aliquot dies sumeret pro omni nutrimento, salis detegeretur sapor in ejus urina, Si ergo color adhuc adsit ab oleo sanguinis, nec sapor ullus a sale sanguinis, effœta natura est, carens suo essentiali charactere.

Vidi tamen contrarium. Febri acuta famosus Chirurgus decumbebat, eratque summo in periculo cum pessimis signis. Empiricus homo, me præsente, dixit, se bene nosse prædicere, utrum brevi moreretur æger. Sumsit ejus urinam, colore plane straminea, ergo bene tinctam, & os totum replens, quasi masticabat illam, ut probe posset gustare. Exspuit tum, & adseveravit mihi, ægrum moriturum, quod nil ultra saporis urinæ adesset. Æger tamen post multa molimina rediit ad sanitatem quindecim abhinc annis, &, quantum novi, vivit adhucdum. (*)

Ergo

(*) Ego & alius quoque gustavimus urinam eamdem, & insulsam deprehendimus. Ergo iterum dicamus, non ex sola urina judicandum. *De* H.

Ergo, ut BOERHAAVE a principio monuit, egoque ſemper repeto, nunquam ſoli urinæ fidendum.

§. 1015. *Pallida, tenuis, cum ſedimento mucoſo, tenaci, ſalſamenta putrida ſpirans, fere ſemper notat calculum veſicæ:* Sic exacte ſe habet horum urina. Pallet, quia homines illi paſſim debiles: verum vidi, qui non debiles, & tamen urinam pallidam redderent. An ex urina in veſica ſtagnante a calculo aliquid adtraheretur, ut minus ruffa aut flava eſſet? Minime. An mucus copioſus veſicæ mistus urinæ pallorem conciliat? Neutiquam.

Etenim in hominibus non calculoſis, in quibus toties vidimus urinas putridas, ſemper putridæ illæ pallidæ erant, fuscæ nunquam. Si quandoque iterum flavas, aut fuscas redderent, hæ nunquam fœtuerunt.

Hæcque differentia fœtoris talis a fœtore asparagis conciliato. Sit urina pallida a multo potu, ſit flava naturalis, ſit fusca poſt motum & ſudorem, urina ab asparagis æque fœtet.

Ergo urina in veſica detenta videtur ab alkali, quo calculus ſemper inbutus eſt, ita colore mutari: &, ſi urina vere putrida de corpore exeat, in non calculoſis, alkalina dispoſitio in quadam corporis parte generatur.

An urina ex alkalini ſalis admistione quoque pallesceret? Omnino.

Fœtet quidem ſimiliter urina hominum, qui ſubpuratos renes habent, eſtque ſimiliter his pallida urina, quando ex laceris vaſis ſanguis non admiscetur. Sed in his urina eſt pus verum, non mucus ille tenax calculoſorum, qui ſemper cum urina exit; videtur veſica majorem muci copiam generare, ut ſe contra calculi asperitatem & acrimoniam muniat.

§. 1016.

§. 1016. *In febribus autem acutis &c.* Medicus ergo, qui ægrum ſuum coram intuetur, qui cum urina omnia reliqua ſymptomata examinat, habet tunc una cum reliquis ſignis certum ſatis prænuntium ex urina. *Textus* nunc varias urinas in acutis deſcribit.

1) *Urina, quæ habet ſedimentum album*, quæ minus abludit ab urina ſana, & docet ſaltem id, quod a natura ſana per morbum degeneraverat, & quod adhuc ita eſt, ut civitate iterum donari nequeat, ſaltem ad naturale acceſſerit quam proxime.

Deinde materies bene cocta ex omnibus ſignis ſimilis eſt puri, unde τῷ πύῳ ἀναλόγον Galenus vocavit. Ita ſæpe per abſceſſus ſubito natos materies ſe critice deponit, puris inſtar. Hinc ſedimen fit album.

Leve, ſi enim ita grave ſit, ut vix moveatur, eſt ipſum pus, vel adhuc craſſior materies, quæ docet coctionem inperfectam fuiſſe.

Lævе, quaſi politum undique; ita, ut perfectiſſime ſint ſibi ſimiles partes, aliæ præ aliis non exſtantes.

Æquale, idem fere denotans, ſui ubique ſimile.

Cito ſubſidens; hic nimis generaliter omnes Auctores loquuntur. Debuiſſent ſaltem præter propter definire tempus, intra quod ſedimen tale deberet adeſſe. Hoc non faciunt: hinc nescimus, num hoc *cito* ſit intra unam, an intra decem horas. Qualis ergo regula? An ſedimen album, leve, læve, æquale non ſemper bonum, etſi ſequenti die tantum ſubſideat? Non: nam denotat majorem arctioremque conmistionem partium morboſarum cum reliquis.

Verumtamen tale ſedimen coctum eſt? Eſt coctum: ſed, ut perfecta ſit coctio, oportet, morboſam materiem coctam facile ſeparari a reliquis partibus urinam conponentibus: erat enim levis nimis toto illo tem-

tempore, quo ſtetit permista cum urina. Bonum ſedimen cito præcipitatur: tunc habet debitam gravitatem.

Magnus HIPPOCRATES tempora justa quoque non definivit. *Epid.* 3. *p.* 1062. ait, " a principio reddidit urinas craſſas, rubras: quæ repoſitæ non ſubſidebant." Hæc in HERMOCRATE.

Pag. 1102. PERICLES in Abdera „urinam reddidit multam, turbatam, albam; quæ ſervata non ſubſedit."

Ergo indeterminate tantum loquitur: forte ab una viſitatione in alteram, ſed nescimus, quoties accederet ægros: ergo ex æquo ignoramus.

Ex omnibus licebit concludere: quo citius ſedimen urina bonum ponit, eo melius; quo tardius, eo minus bonum, ob dictas rationes: convenire tamen, ſi bona ſigna adſint, aliquam urinam ſervare diutius, ut ſaltem hypoſtaſis ſerius depoſita poſſet, coctionem aliquam adeſſe, nobis indicare. Falli poſſe hinc Medicum, qui, mane accedens, cruditatem ex urina pronuntiaſſet; dum illa urina forte hora poſt ſedimen habitura eſſet: unde alius tunc vocatus Medicus, ut ſæpe fit, morbi declararet & coctionem & evacuationem. Ergo præſtat ſemper, urinam ſaltem per diem adſervare, ut error nullus oriatur.

Subſidens: urina dicta *jumentoſa*, craſſa, ſicque permanens, nunquam quid boni denotat. Eſt quidem principium quoddam coctionis, notante GALENO; verum inperfectæ, & ſi ſic maneat diu, nunquam perfecta cura. Aut mors ſuccedit, aut alius morbus. Eſt ἕρον ὑποζυγίον. *Libr.* 3. *Epid. p.* 1083. deſcribit morbum pestilentem, a quo moriebantur quam plurimi. In his ἕρα ταραχώδεα, πολλὰ, κακὰ. Vidi, quibus turbata talis urina adeſſet ad binas menſuras eodem, quo morie-

riebantur, die. Adsunt plura talia exempla sparsim apud Hippocratem.

Si vero cum tali urina alia quoque bona adpareant, si urina talis sensim quid deponat, sequenti die copiosius, bonum judicium sequutum esse, aliquoties vidimus in nosocomio.

Neque bona *subsidens* urina est, quæ, licet non maneat crassa æqualiter, tamen per totam molem suam habet plagas quasi pendentis adhuc sediminis, aut nubis crassissimæ.

Est apud Hippocratem sæpe descriptio *urinæ genitale semen referentis*; quæ dubia quænam demum sit.

Qui in Dealcis horto decubuit, & habuit urinam turbatam, etiam in principio dimisit ἐναιώρημα οἷον κρίμνα γονοειδέα: hic post multas ærumnas die quadragesima judicatus est. Foesius reddidit: „urinæ tenues, in quibus varia inerant suspensa, quædam in medio innatantia; hordei tosti non exacte moliti crassioribus frustulis fere similia, genitaleque semen referentia.“ Certe in genitali semine non sunt crassiora talia corpuscula, ita ut aliis ex Hippocratis locis explicatio hujus petenda sit.

Apud Philistidem, *l.* 3. *c.* 1070. *Epid.* secunda die fuit urina cum enæoremate genitale semem referente: quinta die mortuus.

Epid. 6. *p.* 1170. in *Perintho* genitale in urina id ipsum, quia criticum, Theodori conjux sexta nocte paucam urinam reddidit glutinosam, semini genitali similem, & quæ festuca trahebatur; septima mortua. — Videtur Hippocrates festuca tentasse sedimina, vel enæoremata alba, ut videret, num esset materia albuminosa, an verum, coctum, sedimen, aut enæorema bonum.

Ergo γονοειδές criticum ſemel dicitur ab HIPPOCRATE in Perintho; qui in DEALCIS horto, non niſi poſt multas ærumnas & labores quadrageſima judicatus eſt. PHILISTES & THEODORI conjux mortui ſunt.

Genitale igitur ſemen referens per ſe non eſt bona hypoſtaſis, utpote nimium tenax; inde non bona criſis: non mirum, ſi vel longus morbus, vel mors, ſequatur; qui evaſêre, aliunde bonas habuere evacuationes, quæ hujus urinæ defectum ſubpleverunt.

Quod autem in eo, qui in DEALCIS horto decubuit, viderit genitale illud habere veluti frustula craſſioris hordei toſti, non bene moliti, id alibi non advertit. Eſt aliquid, quod in ſedimentis non bonis ſæpe adeſt; ita ut urina hujus duplici ratione bona non eſſet. (*)

Tur-

(*) Γονοειδες non ſignificare videtur *materiem ſeminalem*, 1) quia obſervavit HIPPOCRATES eamdem in conjuge THEODORI; porro non deponunt feminæ materiem ſimilem ſemini. 2) Quia non modo urinam vocat gonoideam, ſed & alvi excrementa, ut conjicere debemus ex *Coacor. n.* 186. apud FOES.; 187. apud CHARTERIUM; nam ait ibi, quod το γονοιδες διελθον: διελθον videtur de alvo dici; ita FOESIUS. Et evidenter in *Coac.* apud DURETUM, 321. & 553. κοιλιη ταραχώδης, διαδιδοσα σμικρὰ γονώδεα, μυξώδεα; „ alvus turbata, pauca exhibens genituræ ſimilia, mucoſa "; quæ DURETUS ibi explicat „ de colliquamento tenuium intestinorum, quorum adeps liquatur, ac dejectiones edit, veluti opimas, id eſt, albas, & le-

Turbinatum; ut non planum, sed conoëide sit versus superiora; hoc levitatem debitam denotat; si gravius debito est, hæret ad fundum instar placentæ.

Vix odorum; nisi naturalem odorem referens; non multum fœtidum: quo enim plures dotes naturales habet, eo melius.

Toto morbi tempore usque ad crisin; tunc designatur, ab initio jam fieri coctionem aliquam, quæ spem facit, ut die debito perfectum judicium subsequatur.

Talis igitur urina, omnes has notas & conditiones habens, est optimi indicii, & præsagii.

2) *Urina multa alba, strangurioſa, cum sedimento copioſo, alboque, critico tempore emissa, sanat, & abscessus tollit;* etiamsi prius bonæ urinæ non fuerint.

Apud Hippocratem multæ habentur instantiæ, huc facientes. In Charione judicium 20. die bonum & perfectum, postquam observata fuisset pridie hypostasis in urina. Judicatus jam fuerat die 7, sed urina non erat cum hypostasi, & die octava parvam tantum habebat; die 14. febris rediit.

Epid. 6. p. 1179. Urina crassa, alba, qualis Archigenis, in febribus, quæ sunt cum lassitudinis sensu, interdum 4. die prodit, & ab absceſſu vindicat.

Epid. 6. *p.* 1191. Urina multam habens hypostasin, solvit deliria; ut contigit Dexippo, post capillifluvium.

(Compendii causa alia, idem demonstrantia, exempla hic prætereo.)

---

leves. Liquatur autem adeps a vi tabifica, tum ardoris hepatici, tum bilis, abradendo intestinis molesta." *De H.*

3) *Urina die indice critici copioſior, cum ſedimento albo, vel rubello, copioſo, levante, notat die critico ſanationem fore, integra crili;* dies indices Criticorum vocavit HIPPOCRATES *Aph.* 2 — 24. hoc ordine: „Septimorum index quartus eſt, octavus alterius ſeptimanæ initium: eſt etiam ſpectandus undecimus; ſiquidem alterius ſeptimanæ quartus eſt. Rurſus quoque ſpectandus decimusſeptimus, is ſiquidem a 14. quartus eſt, & ab undecimo ſeptimus.“

Subrubram nubeculam laudat HIPPOCRATES, *Coac. n.* 575., quarta die, ſi omnia cætera ſigna rationabiliter ſe habeant; veluti promittentem die 7. ſalutem.

GALENUS, *Comment. in hunc Aphorismum*, putat *rubrum* colorem tanquam rarum quid denotatum ab HIPPOCRATE; eſſe enim contra ejus ſententiam, *p.* 40. *Prognoſt.*, ubi celerem ſalutem ex albo pronuntiaverat colore; addit: „ſi vero urina ſubrubra, & hypoſtaſis ſimilis, ac lævis fuerit, hæc priori quidem multo diuturniorem, ſed admodum ſalutarem, ſignificat.“ Unde iterum colorem album GALENUS rubro præfert, tum experientia propria, tum ipſius HIPPOCRATIS alio in loco auctoritate.

Quodſivero HIPPOCRATEM adtentius expendamus, inprimis textum longiſſimum *n.* 575. *Coacarum*, concludendum videtur.

1) Quamvis HIPPOCRATES ubique præferat nubeculas, enæoremata, ſedimina alba rubris; tamen laudaſſe ſubrubra & nubeculas & ſedimina die 4. adparentia; veluti, ſi cætera ſigna bonæ coctionis adeſſent, ſalutem integram die 7. promittentia.

2) Præter diem 4., ſaltem præter dies, qui ante 7. currerent, condemnaſſe ſubrubras nubeculas, & ſedimina, aliis diebus conſpicua, tanquam quæ morbum præ-

nun-

nuntiarent fore diuturniorem, immo aliquando maxime diuturnum.

3) Ergo rubrum tale sedimen, vel saltem nubeculam, tantum in peracutis, qui ad diem 7. judicentur, vim quamdam habere ad judicium 7. die futurum denuntiandum, forte per inflammationis celeris, magnæque, adparentem coctionem: ita, ut quamvis alba sit coctior materies rubrâ, tamen coctio crudi in subrubrum sedimen sufficiat ad crisin integram, die 7. futuram prædemonstrandam.

4) Rubrum hoc, si 7., 11., 14., 17., die adpareat in urina, denotare majorem tarditatem coctionis in morbis minus acutioribus. In summa inflammatione, in peracuto morbo, poterat talis coctio sufficere, quum ea jam 4. die talis esset, & propter tam subitam mutationem promitteret subitam crisin: at vero inperfectior talis coctio posterioribus indicibus necessario vel materiem minus morigeram, vel vires haud ita fortes, demonstrant; hinc morbus in longius trahatur, necesse est.

5) Galenum in Aphorismi hujus explicatione mentem Hippocratis non intellexisse, neque per illum *Coacarum*, qui verum sensum subpeditat, explicasse: adeoque, quod vim indicis diei in hoc casu ad solum diem quartum restringat, non esse ipsius solius observationem, verum ipsius Hippocratis in *Coacis* adsertum.

6) Hinc, quod Boerhaave in *Textu* de die indice dicit, id non de omni die critico, sed potissimum de 4. die intelligendum esse.

Si ergo urina, ad diem 4. antea parca, nunc *copiosa*; antea sine ullis contentis, jam habeat aut *nubeculam subrubram*, aut *sedimen rubellum*, aut etiam *album*, idemque *copiosum*; si talia observentur *cum reli-*

quis ſignis bonæ coctionis; notat, *die critico ſanationem fore integra criſi.*

Urina tenuis & riſſa, non ſubſidens; explicui ad §§. 997 & 999 *Fusca* huc referenda.

2) *Alba, tenuis, aquoſa*; expoſita §. 997.

3) *Aurea, tenuis, conſtans, non turbata*; aurea dicitur & illa *crocea*, icterica; ſed hæc videtur potius referenda ad *rubras*; expoſitæ §§. 999. & 1000.

4) *Turbida perpetuo, nec ſubſidens*; turbidarum urinarum triplex ſpecies:

1) Turbidæ redditæ, turbidæque manentes;

2) Turbidæ redditæ, ac ſenſim ſubſidentes;

3) Redditæ tenues, & ſenſim turbatæ, turbatæque perſiſtentes.

Quæ turbidæ redditæ ſedimen ponunt, & cæterum clarescunt, bonæ vel malæ ſunt, prout color tum urinæ eſt, tum ſediminis: ſi enim urina fusca, rubra eſt, & ſedimen rubrum, craſſum, inſtar boli, non juvat. Sed ſi ſedimen album, aut albescens, & urina non valde rubra, bona eſſe poteſt.

Quæ reddita tenuis turbida fit, nec deponit, bona multa non promittere poteſt; quum notet quidem principium coctionis dari, ſed inperfectiſſimæ.

Circa urinas nunc recenſitas tria bene notanda; prout morbus acutus, in quo redditur, *peracutus* eſt, *acutiſſimus*, *acutus*.

1) *Notat in morbis valde acutis coctionem impeditam, cruditatem magnam, criſin difficilem, morbi longitudinem, ſummum vitæ periculum.*

AUCTOR præſagium talis urinæ, coctionem, aut nullam, aut mutilam, deſignantis, trifariam dividit, ſecundum triplicem morborum claſſem; *acutiſſimorum*, qui intra quatuor dies terminantur; *peracutorum*, qui intra 7, 11, dies; *acutorum*, qui intra 14., 17., 20., 24., 27., 31., 40., dies finiunt.

Pri-

Primo itaque in peracutis *coctio inpedita*, *cruditas*que *magna*, designata his omnibus urinis, crisin propterea difficilem prædicit.

Cur autem & morbi longitudinem, & summum vitæ periculum designant? — Si vires validæ & constantes adsint, spes est, fore ut, etsi materies in cruditate pertinax sit, viribus tamen validis serius ocyus subigi queat: verum, si cum pravitate cruditatis simul vires vitæ projectæ sint, non sufficiet homo, ut in perfectam coctionem possit perdurare. Viribus igitur debilibus Medicus ex quacunque descriptarum urinarum periculi magni familiam conmonefaciat.

2) *In acutissimis inflammatoriis fere certam portendit mortem;* si morbus intra quatuor dies, vel bona crisi terminandus, vel morte, oportet signa cruditatis ante quartam diem disparere, evanescere, ut subito citum judicium fiat: sin minus, mors præ foribus adstat; nam non datur dilatio, est acutissimus morbus intra 4. diem aut bona, aut mala crisi terminandus. Hinc *fere* certa mors, nisi, post summam cruditatem quarta die ex inproviso coctio perfecta & crisis completa fiat; ut in muliere in *Thaso* ardente febre laborante: quum itaque tales casus rariores, merito *Textus* dicit, *fere* certam portendit mortem.

3) *Denique in acutis moderatis designat longum molestumque morbum;* si enim pertinax cruditas adsit, & vires non sint disjectæ, in morbo, qui a 14. ad 40., 60., 80., & ultra, potest excurrere, habentur omni die, saltem omni die critico, nova prælia inter vires naturæ & morbi, utrum horum prævaliturum sit: neque, dum dicitur designari longus morbus, ideo omne periculum exsulat: minime. In longo, acuto morbo vires vitæ, quæ diu cum morbi vi pugnarunt, sæpe subcumbunt, ut demum morbus de vita triumphet. Sic

in *Epidem.* CORONIS ancilla poſt varios in morbo caſus ſub 40. moritur: itidem TIMOCHARIS filius: tum & poſt multas luctas cum morbo ſuſtentatas ANTIPHANIS filius ad 67. moritur. — POLYCRATIS uxor haud diu ultra 70. diem contra morbum debellavit, ſed ſubcubuit. — Puerpera in *Thaſo* ad frigidam, nunc morbo ſuperior, nunc inferior, ad 80. moritur. — PARION in *Thaſo* periit 120. die.

Igitur morbo in longius excurrente ideo non excluditur omne periculum; morbo nempe in longius excurrente cum prædictis urinis: nam id in nostris ægris obſervavimus, quod HIPPOCRATES in *Prognoſticis* dicit: „Urinis ſubrubris cum ſubrubro ſedimine, quotidie & conſtanter prodeuntibus, morbum quidem in longius excurrere, ſed tamen periculum non adeſſe. Hinc, quod de periculo dixi, maxime de pravis illis urinis intelligendum eſt.

Abſceſſum fore varium; ſi enim ſenſim fiat mutatio crudorum in cocta, neque per urinam, neque per alias vias evacuentur cocta illa; neceſſe eſt, materiem morboſam abſceſſus facere ad aures & inguina, cruraye; de quibus actum ad §. 953. &c.

Si hoc non, ſaltem metaſtaſin mali variam. Vidimus alio loco, metaſtaſes ad pulmones, ad hepar, ad cerebrum, ad oculos, ad aures, ad coxas, ad digitos pedum manuumque &c. fieri materiæ talis depoſitiones; hinc lenta morte obcubuiſſe, quibus viscera plura obſiderentur; quosdam, quibus ad digitos deponeretur materies, brevi mortuos eſſe; quia, ut HIPPOCRATES ait, non erant ſatis aptæ partes illæ copioſæ materiæ ſuscipiendæ; quosdam inde manſiſſe fatuos, ſive maniacos, aut ſurdos, aut cœcos, aut claudos,

dos, aut demum corrupta materia in loco metaptoseos, sive metastaseos, sphacelo periisse.

§. 1017. *Urina igitur &c.* Non semper; nam aliquando adparet bona, cum sanguine corrupto.

2) *Morbi statum &c.;* non semper, nam aliquando urina prava & coctio per alias vias bona adparet. Cum urinis pravis sanatos & Hippocrates describit, & nos vidimus, licet rarius.

3) *Statum secretionis &c.;* non semper; urina aliquando naturalis, & omnia pessima, ut quandoque in malignis.

4) Non semper; possumus omnium harum partium morbos in genere definire sæpe; sed patuit antea, pus in urina effeciſſe, ut renes adcusarentur, renibus tamen optimis: ita Bonnetus, Hollerius; 2) non distinguimus ex urina, an ex renibus, ex prostatis, ex testibus, glandulis cowperianis, oriatur eductum.

5) In femina in nosocomio vidimus urinam tingentem lintea, sine ullo ictero. (Rarius hoc licet sit, non tamen est rarissimum, nec hunc solum fors observatum casum, quis credat.)

* *
*

ADPENDICIS loco ad caput hoc de urina ut signo, nectere libuit observata quædam ac tentamina recentissima cum lotio humano capta, notatu omnino digna, sive praxin spectes, sive theoriam medicam, aut chemicam corporum analysin.

Excerpsi hæc ex Tractatu: Physikalisch-chemische Untersuchung der thierischen Feuchtigkeiten von J. A. Weber, H. G. Wiedischen Hofrath,

Mitglied der gel. Geſellſchaft zu Roterdam. Tübingen, 1780. (*)

Monet primo loco *Cel.* VIR, nullum humorum animalium adeo inter ſeſe differre, quam quidem lotium; urinam v. c. vaccinam plurimo ſcatere ſale alkalino fixo; minime id in urina obtinere hominum: in hac autem deprehendi majorem quantitatem ſalis alkalini volatilis, quam quidem in urina vaccina; urinam equinam gaudere copioſiori ſale alkalino volatili, urinâ humanâ & vaccinâ. Sal hoc alkali volatile urinæ equinæ cauſticum reddi, ſi diutius digeratur in ſole; id autem non obtinere circa lotium humanum. — Solam urinam humanam tentaminibus ſuis *Cl.* AUCTOR adhibuit.

Tentamen 1. Urina humana recens a ſale alkalino, aqua ſoluto ac adfuſo, non mutatur, nec minima obſervatur effervescentia.

Tent. 2. Nec majorem mutationem adfert oleum vitrioli cum urina recenti miſtum: notatu digunm nil ex hac miscela excuti terreſtris.

Tent. 3. Acidum nitri, acidum muriaticum, acidum vegetabile in urina recenti nil mutarunt.

Tent. 4. Urina recens cum aqua calcis mista, illico lactescit; calx utpote evadit cruda, ac ad fundum vaſis ſenſim excutitur. Idem evenit phænomenon, ſi urina putrida jungatur cum aqua calcis; etſi antea jam ſaturata illa fuerit acido muriatico, aërem fixum inde extricante.

Tent.

(*) Ampliorem lotii hiſtoriam chemicam exhibebo in peculiari laticis hujus disquiſitione, propediem edenda.

Tent. 5. Solutio aluminis, aliæque ſolutiones terrarum ac metallorum illorum, quæ ope acidi muriatici dejici nequeunt, ab urina recenti præcipitari non poſſunt.

Tent. 6. Tinctura ſucci inſpiſſati heliotropii tricocci (Lakmus) & ſyrupus violarum ab urina recenti puerorum plane rubeſcunt; ab urina autem adultorum colores non mutantur.

Tent. 7. Saccharum ſaturni aqua ſolutum, & Luna ſoluta aqua forti ab urina recenti copioſe, coloreque albo dejiciuntur: reducitur illud in ſaturnum corneum, hoc in lunam corneam.

Tent. 8. Mercurius ſublimatus corroſivus ab urina recenti non mutatur; mercurius autem ſolutus in acido nitri aut aqua forti, dejicitur colore albo; ſublimando hocce præcipitatum obtinetur mercurius corroſivus.

Tent. 9. Calx viva urinæ recenti admista illico liberat ſpiritum volatilem alkalinum; qui, ſi deſtillationis ope abstrahatur ab hac miscela, cum acidis non efferveſcit, ſal ammoniacum non ſubpeditat, ſi acido ſalis ſaturatus ad formam deducatur ſiccam, tumque ſublimationi exponatur, hinc vero causticus eſt.

Tent. 10. Dum urina mediante ſufficienti doſi calcis vivæ ac deſtillatione a ſpiritu alkalino privata, reſiduum per linteum colatum ac ad putrefactionem ſubeundam repoſitum fuerit, obtinebitur exigua nonniſi ſpiritus alkalini quantitas, ſi nova acceſſerit deſtillatio.

Tent. 11. Acido nitri misto cum urina recenti, miſcela ad octavam usque partem leni calore concentrata, tumque per aliquot dies frigori expoſita; nullæ tamen enatæ cryſtalli, ob unguino-

guinoſam lotii ſubſtantiam : ad ſiccitatem itaque totum redegit *Cel.* WEBER ; plurimi adhuc vapores avolarunt nitroſi. Maſſa exſiccata, carbonibus ardentibus injecta decrepitabat, ac detonabat.

Tent. 12. Scoriæ reguli antimonii aqua ſolutæ, a lotio recenti adultorum nonnihil præcipitantur, ut in ſummitate liquidi cuticula nonniſi flavescens poſt aliquot horas adpareat. Si vero urina puerorum tentamini adhibeatur, præcipitatio inſequitur manifeſtior.

Tent. 13. Urina recens deſtillationi ex retorta vitrea expoſita, calore in auxilium vocato remiſſiori, ſequentia exhibuit phænomena. Primum transſcendit in excipulum aqua diaphana, nonnihil male olens. Prodit liquidum hoc, donec lotium adeo concentratum fuerit, ut altum petere amplius nequeat. Aucto tum calore, transſcendit ſpiritus flavus, volatilis cum acidis effervescens. Collo retortæ adcreſcit ſal volatile : ſequitur demum oleum ſpiſſius, fœtens, ex nigro fuscum, ſpiritui volatili nuptum.

Tent. 14. Remanet ab operatione hac carbo, ſaporem linguæ inprimens ſalſum. In pulverem redactus, aquæ calidæ tum inmerſus, ac per noctem repoſitus fuit : altera die per chartam emporeticam miſſum liquidum, ut a moleculis ſejungeretur carbonaceis.

Liquidum diaphanum, quod filtrum transierat, ſequentia exhibuit phænomena.

Solutionem cinerum clavellatorum non mutavit.

Acidis admistum bullulas aëreas quasdam dimittit.

Ad-

Syrupum violarum viridi colore tingit.

In ſolutionem ſucci inſpiſſati heliotropii tricocci vim non exſerit.

Solutiones metallorum ac terrarum, acidorum ope factas, aliquantulum turbidas reddit, inſtillatum.

Quodſi liquidum hoc ipſum diaphanum tamdiu evaporetur, donec cuticulam contrahat in ſuperficie, tumque exponatur cryſtalliſationi, ſal enascitur cuboideum, linguæ ſaporem ſalis culinaris acrioris inprimens, carbonibus ardentibus inſperſum decrepitans.

Tent. 15. Salis hujus ejusdem unciam unam conmiſit AUCTOR retortæ vitreæ, adfudit uncias tres aquæ fortis, adplicuit excipulum, & deſtillationem inſtituit. Prodiit ſpiritus forma primum vaporum flavorum, quos inſequebantur dein albi, ad finem usque operationis in excipulum expulſi.

Erat ſpiritus hic aqua regia vera, ex acido nitroſo acidoque muriatico conpoſita. Videtur, ait *Cel.* WEBER, aquæ fortis aut nimiam adhibibitam fuiſſe doſin, aut nimis fortem illam fuiſſe; unde acidum illud nitroſum aquæ fortis, quod a ſale alkalino ſalis urinæ vinciri non poterat, ſub initium jam deſtillationis prodiit in excipulum.

Fundo retortæ inhæſit maſſa alba, duraqua ſalina; quam aqua calida ſolvit, ſolutionem crystalliſationi dedit.

Nascitur exin nitrum lanceolare, purum, cui hinc inde admistæ cryſtalli cubicæ; prodeunt inprimis cryſtalli nunc dictæ, cubicæ ſub evaporatione liquidi repetita; cryſtallis nitroſis per præcedentes evaporationes maximam partem jam eductis.

Cry-

Cryſtalli nitroſæ, quæ pleræque lanceolares cernuntur, ſupra carbones ardentes vivide deflagrant; cubicæ autem detonant quidem, ſimul tamen decrepitant.

Tent. 16. Si maſſa eadem, quæ fundo retortæ poſt deſtillationem inhæret, aqua ſolvatur, ſolutioque evaporationis ope magis concentretur, ſal ad fundum deſcendit ſub concentratione, ſupra carbones ignitos decrepitans, & ex integro reſiliens.

Tent. 17. Solutioni maſſæ illius adfudit Cl. VIR dimidium olei vitrioli, ratione ad pondus habita: miscelam deſtillationi conmiſit ex retorta vitrea: quamprimum liquidum magis incaluit, vapores adſcenderunt ex rubro fusci, ad finem usque deſtillationis producti.

Exhibuerunt vapores hi acidum nitroſum, acido muriatico junctum; quod quidem inde patet, quum, ſi argentum in eo ſolvatur, notabilis ejus portio ſub forma lunæ corneæ in fundo vaſis remaneat inſoluta.

Maſſa poſt deſtillationem hanc in retorta remanens, aqua ſoluta, cryſtalliſationis ope largitur primum tartarum vitriolatum, dein ſal mirabile Glauberi, pauca doſi tartari vitriolati adhucdum maritatum.

Tent. 18. Sal ex carbonibus urinæ elixiviatum (*Tent.* 14.), aqua ſolvit, dimidiam partem, ratione ad pondus ſalis ſumta, olei vitrioli addidit, totum ex retorta vitrea deſtillavit.

Obtinetur mediante hac operatione acidum muriaticum purum. Sal, in retorta reſiduum, cryſtalliſatione ſubpeditat tartarum vitriolatum, ſalque mirabile glauberianum.

Tent.

Tent. 19. Sal ex carbonibus urinæ extricatum (*Tent.* 14.) carbonibus denuo mistum, caloreque magnoque liquatum, minorem quantitatem hepatis sulphuris exhibet; quod inde conficitur, quum, si sali huic liquato, aqua soluto, instilletur acetum, fœtor adscendat analogus fœtori extricato per præcipitationem hepatis sulphuris ope factam.

Tent. 20. Idem sal, una cum carbonibus in pulverem redactum, & in retorta probe loricata calore magno tortum phosphorum præbet kunkelianum.

Tent. 21. Carbo urinæ in crucibulo, igni aperto inposito, prorsum exustus, terram relinquit, salis alkalini fixi tantillo nuptam. Terra hæc elixiviata cum acidis effervescit, ac ab iis solvitur, nisi acidum fuerit vitriolicum; cum hoc enim effervescit quidem pariter, attamen in gypsum una concrescit.

Tent. 22. Lotium putrefactum, ad mellis usque spissitudinem concentratum, ac in locum frigidum repositum, intra quatuor pluresve septimanas sal dimittit, ex acido peculiari saleque volatili alkalino conpositum. Sali huic peculiare illud est, quod, uti detexit *Inl.* MARGGRAFIUS, cum pulvere carbonum remistum phosphorum KUNKELII, seu potius BRANDTII, destillationis interventu subpeditet, tum & quod, salis ammoniaci secreti GLAUBERI adinstar, sal alkali volatile forma fluida dimittat, dum ignis actioni validiori subjicitur.

Tent. 23. Putrefactioni relicta urina humana hæc exhibet phænomena.

Urinam recentem in cucurbitula vitrea calori 90. gradum thermometri fahrenheitiani *Cel.* WEBER exposuit. Limpidissima tum erat, colore pallide flavo donata.

Elap-

Elapſis binis diebus turbida erat; color tamen non mutatus, nec ſedimentum deſcendit ad fundum vaſis; nec odor alkalini ſalis volatilis manifeſtior adſcendit.

Intra octiduum ſedimentum rarius; liquidum turbidum; color rubellus magis; odor alkalinus volatilis.

Ut pateret, án putrefactionem ex integro ſubierit urina hæc, admiscuit AUCTOR eam acidi muriatici quántitatem, quam ſal alkali volatile enatum recipere poterat; calori per octiduum denuo expoſuit: elapſo eo tempore color ex rubro fuscus; odor volatilis plurimum.

Eamdem denuo, uti prius, acidi muriatici doſin lotium hoc recepit, donec ſaturatum ex integro eſſet. Tum vero odor volatilis nullus amplius perceptus, etſi digeſtio per octiduum adhuc protracta; unde conjicere datum, aut urinam eam ſubiiſſe putrefactionem, qua omne ſal alkalinum, in ea contentum, liberatum fuerat; aut ſal ammoniacum, ab admistione acidi muriatici in illa productum, obſtitiſſe ulteriori putrefactioni.

Quotiescunque acidum muriaticum uniebatur cum urina putrida, liberavit AUCTOR hanc prius a terra ſua, ne partem obſorberet acidi dicti, tumque analyſin ipſam turbaret.

Terra hæc cum acidis effervescit, non tamen ex integro ab illis ſolvitur. Elutriata, ſiccata, carbonibus ardentibus inpoſita, fœtorem dimittit. In crucibulo candescentiæ ſubjecta, primum griſea, demum alba evadit.

Saporem causticum linguæ tum inprimit; in acido muriatico, nitroſo, ac vegetabili, ad parvam usque doſin, disparet.

Ter-

Terræ hujus reſiduæ pars in aqua deſtillata puriſſima decocta; adfuſa dein ſolutio cinerum clavellatorum; dejecta ſic ad fundum terra alba, in acidis ſolvenda, cum acido vitriolico gypſum præbens, ab aqua denuo ſolvendum, mediante liquido alkalino dejiciendum.

Tent. 24. Deſtillationi data urina putrefacta ſequenti ſeſe geſſit ratione.

Ex retorta, balneo arenæ inpoſita, deſtillata, calore leniſſimo jam dimittit ſal alkali volatile forma ſicca; ſat album; præterea & ſpiritum volatilem alkalinum. In chopina urinæ putridiſſimæ concentratæ, adſumi poterit, contineri unciam unam ſalis alkalini volatilis, cum acidis multum effervescentis.

Sal hoc alkalinum volatile, acido muriatico ſaturatum, præmiſſa exſiccatione, & ſublimatione, drachmas decem relinquit ſalis ammoniaci legitimi, puri.

Dum urina putrida ſupra ſal alkalinum fixum, recens calcinatum, aut ſupra cineres recentes deſtillatur, obtinetur ſpiritus alkalinus volatilis, odore fortiori donatus; urina ipſa minus ſpumat, ac transſcendit, quam ſi additamenta hæc adjecta non forent. Spiritus autem hic idem, præmiſſa ſaturatione ac ſublimatione minorem ſalis ammoniaci quantitatem exhibet, quam prior.

Plane nullum ſal ammoniacum obtinetur, ſi ad experimentum vocetur ſpiritus alkalinus, ſupra calcem vivam deſtillatus, etſi ratione odoris, ac ſaporis omnium reliquorum fortiſſimus ſit. Sed nec cum acidis effervescit, nec terram dejicit, in acidis ſolutam.

Poſt ſpiritum alkalinum, ſalque alkalinum urinæ transſcendit aqua ſimplex, oleo æthereo remistum, uti odor docet laticis.

Quodſi reſiduum ad ſiccitatem fere deductum ſit, calorque intendi queat, expellitur, uti ex urina recenti, denuo ſpiritus volatilis, ſalque volatile alkalinum, minori tamen, ac ex illa, copia: ſali huic junctum prodit primum flavens, dein nigrescens fœtidumque oleum.

Finita deſtillatione fundo retortæ incumbit carbo, uti poſt deſtillationem urinæ recentis; inhærent hùic & eadem ſalia, ac ſubſtantiæ, quæ deſcriptæ fuerunt in tentamine decimo quarto.

Ex omnibus hisce tentaminibus *Cl.* WEBER conſectaria deduxit ſequentia.

Ex primo tentamine, quod liquidum alkalinum cum urina recenti non effervescat, concludere datur, in ea nullum liberum inhærere acidum: concludere vero etiam poſſemus, nullam in urina deprehendi terram, quum ab alkalino ſale non excutiatur: invenitur tamen copia ſat notabili, dum urina putrefactionem ſubiit, aut exſiccata calcinataque fuerit.

Demonſtrat autem phænomenon hoc ipſum, terram urinæ non per acidum ſolutam in latice hoc ſuspendi; alias enim per inſtillatum ſal alkali certo certius dejiceretur. Videmus jam, terram illam tanto magis ex urina recedere, quo magis hæc putrefacta fuerit. Conſtat nobis, putrefactionem ipſam non niſi ſejunctionem eſſe partium, totum quoddam conſtituentium. Partes hasce ſubſtantiæ cujusdam interventu nexas mutuo fuiſſe oportet, antequam lotium ſubiiſſet putrefactionem; ſubſtantia hæc, prout conjicere licet per experientiam, calore decomponi, aut ex liquido putrescente expelli poterit. Demonſtravi præterea, *Cel.* WEBER ait, in *Tractatu* meo *de fermentatione*, manifeſto, aërem externum inmerito accuſari ceu corporum deſtructorem, quum per experi-

perimenta demonſtrarim, non ingreſſum aëris in corpora, ſed egreſſum potius aëris peculiaris fermentationem & putredinem excitare; quem quidem aërem ſub fermentatione vinoſa oculis ipſis cernere datur.

Aëris hæc ſpecies, ab inventoribus ſuis aëris fixi nomine donata, & in corporibus varia ſub proportione varioque elasticitatis gradu detegenda, illud ipſum vinculum conſtituit, quo nectuntur invicem partes corporis, ſubeundæ fermentationi, aut putrefactioni, apti nati; eſt illud ligans, quo uniuntur partes in ſaliva, bile, aut urina. Quamdiu aër hicce in corpore perſiſtit, characteribus aëris fixi præditus, tamdiu & corpus in eodem, quo antea fuerat, ſtatu manebit, nec putrefactionis inſtat metus. Hinc urina per totam hyemem, in locum frigidum repoſita, quin putrescat manere poterit incorrupta; etſi æstate intra biduum jam experiatur initia putrefactionis; quum ſcilicet calor aëris hanc ſpeciem, uti ipſum aërem atmoſphæricum in motum deducat, expandat, ac volatilem reddat.

Denuo illud repetere juvat, proſequitur *Cl.* AUCTOR, ſubſtantiæ huic peculiari, aëri fixo, adtribui debere miscelam ac nexum partium heterogenearum urinæ; atque, ſi hæc ceu demonſtrata ſubponantur, phænomenon, quod terra urinæ per ſal alkali expelli nequeat, ea ratione explicandum erit, aërem fixum lotii majorem adfinitatem colere cum terra, in illo contenta, quam quidem cum ſale alkalino fixo, aut volatili, ſuperaddito.

Idem & ex ſecundo tentamine concludendum erit; terram ſcilicet urinæ majori adfinitate jungi cum aëre fixo, illi inhærente, quam cum acido vitriolico; atque hanc ob rationem cum acore hoc non concrescere in gypſum, etſi calcareæ ipſa ſit indolis.

Ex tertio tentamine ſequitur, in urina recenti nullum eſſe ſal alkali liberum.

Ex quarto tentamine discimus, in urina multas contineri partes pingues, quibus calx viva in crudam denuo reducitur: has easdem præterea partes eſſe, quibus hæc metamorphoſis adtribui debeat, non autem aëri fixo lotii, inde ſequitur, quum cum eo etiam lotio ſuccedat experimentum, ex quo aër fixus per acidum antea fuerit expulſum.

Urina puerorum, uti ex ſexto tentamine patet, manifesto acore donatur; demonſtratur hinc exceſſus acidi in corporibus infantum; unde multi ætati huic peculiares morbi repeti & poterunt, & debebunt.

Tentamine ſeptimo evincitur præſentia acidi muriatici in lotio, etſi cum alkalino ſale maritati. Idem & ex tentamine octavo fluit: quum mercurius, aqua forti ſolutus, non ſolum dejiciatur, ſed & præmiſſa ſublimatione in mercurium ſublimatum corroſivum vertatur.

Calx viva, cum humoribus animalibus mista, nunquam non ſpiritum alkalinum fugat; in nullo tamen animali fluido manifeſtius id ſuccedit, quam in lotio, uti ex tentamine nono ſequitur. Spiritus hicce volatilis per miscelam hanc non primo generatur, ut prius adſerere conati fuerunt Chemici, ſed liberatur ſolum, ac vinculis, quibus antea irretitus erat, privatur; aëre nimirum fixo, partibusque oleoſis; quas utrasque calx viva quum ſub calcinatione perdiderit, hinc easdem ſub miscela cum lotio recipit, atque ſpiritum alkalinum iis liberat; ſimul vero, dum ſali alkalino volatili phlogiſton eripit, illud cauſticum reddit, ipſamet in calcem vivam reverſa.

Spiritum alkalinum urinæ non per putrefactionem hujus primo generari, tentamen decimum evincit;

cit; quum, ſi ſpiritus ille volatilis calcis ope ex urina recenti ſejunctus fuerit, per alteram denuo putrefactionem paucus ſane ſpiritus exin obtineatur.

In tentamine undecimo acidum nitri junctum fuit parti ſalis alkalini volatilis urinæ, & pauco ſali alkalino fixo, in liquido hoc contento; qua ex unione patet ratio detonationis miſcelæ concentratæ & carbonibus ardentibus conſperſæ.

Tentamine duodecimo nonnihil acidi liberi in urina recenti adultorum contineri demonſtratur; eo majorem autem copiam inhærere urinæ puerorum, qua, uti ab acido, ſcoriæ reguli antimonii ex ſolutione ſua expelluntur.

Deſtillatio urinæ recentis humanæ nos docet, ſpiritum alkalinum volatilem urinæ recentis arcte nimis nuptum eſſe cum aëre fixo, quam ut vi caloris lenioris deſtillatorii inde ſejungi queat. Ipſæ oleoſæ lotii partes hac aëris ſpecie eatenus vinciuntur, ut validiori igne opus ſit, ſi illas catenis ſuis liberandi ſit animus. Inde etiam nascitur non interrupta intumescentia, ac in ſpumam elatio, ſi vel minimum gradus caloris ſub deſtillatione fuerit auctus. Quodſi itaque æstus validior, fundum retortæ ad candescentiam deducens, urinæ inſpiſſatæ admoveri queat, aër fixus deconponitur, aut expellitur, jamque principia conſtitutiva urinæ liberantur, recedunt partes volatiliores — ſal alkali volatile, & partes oleoſæ — deſtillationis ope a fixioribus, quæ in fundo retortæ remanent.

Ex tentamine decimo quarto ſequitur, contineri in capite mortuo poſt deſtillationem urinæ recentis reſiduo, elixiviato.

1) Carbonem.

2) Nonnihil ſalis alkalini fixi liberi.

3) Sal medium, ſali communi ſimile, quod in tentamine decimo quinto manifeſtius adparet; ex hoc ſiquidem discimus, ſal hoc urinæ, ſal muriaticum referens, tum acido conponi muriatico, unito cum ſale alkalino fixo vegetabili, tum acido eodem, juncto cum ſale alkalino minerali. Prius majori adeſt copia, quam poſterius, hinc & antea in cryſtallos concrescit. Eamdem etiam ob rationem in hac deſtillatione ſalis muriatici urinæ cum acido nitri tum nitrum verum prismaticum, tum & nitrum cubicum remanet, quod poſterius ſale adhuc remistum eſt culinari, per acidum nitri non ex integro deconpoſito, etſi ſuperflua in miscela illa adfuerit acidi hujus ejusdem quantitas. Id ipſum quoque conficitur ex tentamine decimo ſexto, dum ſal muriaticum, dote ſibi propria, ex calido lixivio ſecedit, quod nec nitrum, nec alia ſalia præſtare ſolent.

Per tentamen decimum ſeptimum, & decimum octavum pariter conficitur, quod per decimum quintum & decimum ſextum fuerat evictum, in urina latere ſal digeſtivum SYLVII, ſalque verum muriaticum.

Ex decimo nono tentamine fluit, adeſſe in urina acidum vitriolicum; cujus quidem præſentia inde patet, quum odor ſulphureus ex fuſa illa maſſa adſcendat, ſi acidum adfundatur. Phænomeno hocce ſeductus fuit NEUMANNUS, ut adſumeret, acidum ſalis oriri ab acido vitriolico, quum, ſi ſal muriaticum liquetur cum pulvere carbonum, maſſæque huic adfundatur acidum, adſcendat odor, analogus odori, quem ſpirat hepar ſulphuris, acidis remiſtum. Ratio autem phænomeni vera Chemico huic ſane non patuit. Ignorabat ſcilicet, in muriis, ex quibus excoquitur ſal commune, non ſolum ſal ebshamenſe, ſed & verum latere ſal mirabile GLAUBERI, ſub cry-

cryſtalliſatione ſal ipſum muriaticum ſubiens, & in conliquatione cum ſubſtantia quadam phlogiſtica hepar ſulphuris conſtituens; quod in decimo nono tentamine detegimus.

Ex tentamine vigeſimo, & vigeſimo ſecundo fluit, in urina latere acidum phosphoricum, peculiare, necdum ſatis cognitum; quod vero exigua ſolum doſi in liquido hocce adeſt, ſi conparetur cum aliis ſalibus, in urina ſolutis.

Terram urinæ calcareæ indolis eſſe, patet ex tentamine vigeſimo primo.

Ex phænomenis, quæ ſubpeditat putrefactio urinæ, ſequentia deduci queunt conſectaria.

1) Indigere lotium calore majori, aut longius producto, quam alios humores animales, ſi putrefactionem ex integro ſubire debeat.

2) Odorem volatilem non certum omnino præbere indicium putrefactionis plenariæ, ac evolutionis ſpiritus alkalini volatilis.

3) Signum certiſſimum ſalis alkalini volatilis ex urina liberati per putrefactionem eſſe, ſi urinæ color ex pallide flavo in rubrofuscum mutatus fuerit.

4) Aëre fixo urinæ per calorem elaſtico facto, & ex liquidi hujus conpoſitione egrediente, partem terræ, partem oleoſarum partium, partemque ſalis alkalini volatilis liberari.

5) Terram ex urina ſecedentem partibus multis pinguibus eſſe remistam; quum ſub calcinatione fœtorem ſpargat, ac primo colorem griſeum induat.

6) Terram hanc non ex integro eſſe calcaream, quum in acidis non reſolvatur omnis; eſſe ſimul interſperſum ſeleniten: nec mirum id ipſum eſt, quum in omni fere, quam haurimus, aqua, ſat

magna ſalis hujus lateat doſis; prout manifeſte id evincitur cruſtis, vaſa, in quibus aqua longiori tempore decocta fuerit, obducentibus. Sed & in ipſis matulis ſeleniticas incruſtationes detegere licet.

Circa deſtillationem urinæ putridæ ſequentia veniunt notanda.

1) Intumescentiam ejus ac ſpumescentiam indicare, multum adhuc in ea contineri aëris fixi.

2) Aërem hunc fixum nectere invicem partes pingues, terram, partemque ſimul ſalis alkalini volatilis; atque hæc quidem aëris fixi portio igne candescentiæ primum deſtruitur.

3) In lotio plurimum ſalis alkalini volatilis contineri.

4) Tum cineres recentes, tum & ſal alkali fixum calcinatum, parte phlogiſti ſui eſſe privata, hinc vero eorum ope ſal alkali volatile urinæ phlogiſto ſuo privari, partemque ejus reddi cauſticam, quæ pro conficiendo ſale ammoniaco hinc deperditur.

5) Spiritum alkalinum ex integro cauſticum, acido ſalis ſaturatum, non largiri, ſublimationis ope, ſal ammoniacum; quum phlogiſton, additione calcis vivæ, ſali alkalino volatili plane ereptum fuerit. Sal vero alkali volatile cauſticum, acido muriatico unitum, non ſubpeditare, accedente ſublimatione, ſal ammoniacum, in diſſertatione de calce manifeſte ſatis evici, *Cl.* AUCTOR ait, nec autumo, Chemico circa rem hanc dubium aliquod adhucdum enasci poſſe.

6) Per putrefactionem, in quocunque demum corpore enatam, nullam hujus mutationem fieri, nullas novas produci ſubſtantias, nullam partem con-

verti

verti in aliam, nec ſal unum abire in aliud, prout Chemici veteres, multique adhuc ex recentioribus ſomniârant. Sál digeſtivum SYLVII, ſeu ſal culinare, baſi alkalina vegetabili præditum, parum adeo invertitur, ac ſal muriaticum verum, in urina detegendum. Quodſi putrefactio urinæ tamdiu producatur, ac libuerit, orbisve durârit, *Cl.* AUCTOR ait, nunquam non idem ſal digeſtivum SYLVII, idem ſal muriaticum, idem acidum phosphoricum in urina putrefacta illa deprehendetur, prout in urina recenti omnes hæ ſubſtantiæ fuerunt deprehenſæ.

7) Experientia hac refutari ſane debebunt omnes illi fabricatores nitri, qui ſyſtema ſuum metamorphoſi ſalium, quæcunque demum illa fuerint, ſuperſtruunt; qui pro certo habent, ſalia omnia, partibus pinguibus juncta, mutari in ſal alkali volatile, atque, hoc facto, proximam hanc eſſe viam ad optimam, quæ ſperari queat, nitri meſſem.

Riſum teneatis Amici!

Videmus autem, in urina putrida eadem adhuc recludi ſalia media, eademque ſub proportione, uti in urina recenti: demonſtravi, *Cel.* WEBER proſequitur, in *diſſertatione de nitro*, etſi urina per integros ſeptem annos putrefactioni fuerit expoſita, ſal illi inhærens muriaticum nihiloſecius ſemper manere muriaticum: ſed, etiamſi verteretur in ſal alkali volatile, quale inde enatum foret lucrum? Reſponſio ad hoc quæſitum videri poterit in tractatu meo germanico de nitro, ac in opere: Magazin für Aerzte, Chemiſten und Künſtler. Ut rem paucis expediam — Nil — plane nil inde obtineretur lucri.

Vera urinæ humanæ principia conſtitutiva.

Urina itaque humana, ex tentaminibus adlatis, indeque deductis conſectariis, conponitur partibus ſequentibus:

1) Aëre fixo;
2) partibus pinguibus, oleoſis;
3) ſale alkalino volatili;
4) doſi quadam ſalis alkalini fixi;
5) ſale digeſtivo SYLVII, ſeu ſalis culinaris illa ſpecie, quæ acido muriatico, ſaleque alkalino vegetabili conponitur;
6) ſale muriatico vero;
7) parca copia ſalis Glauberiani;
8) ſale eſſentiali, ſeu naturali, urinæ;
9) terra calcarea;
10) ſelenite;
11) aqua.

HY-

HYGIEINE.

(EXPOSITIONI huic QUARTÆ PARTIS INSTITUTIONUM MEDICARUM *Cel.* BOERHAAVII, quam CL. DE HAEN paucis nonniſi conplecti ſolebat, viginti ſiquidem & unica paginis totum in codice manuſcripto abſolvitur, multa adeo adjeci, ut additiones ipſum textum copia facile excedant. Amœniſſima ſane & graviſſima ſimul pars hæc ipſa eſt, & non Medicorum ſolum, ſed omnium, qui ſalutis ſuæ curam habent, quibusque de meliori luto finxit præcordia TITAN, adtentione digniſſima. Non ingratum LECTORIBUS fore ratus fui, ſi *Hygieinen* ſaltem, quum inter reliquas Inſtitutionum medicarum partes breviſſime a BOERHAAVIO propoſita, breviſſime ab HAENIO dilucidata fuerit, eâ methodo hic exhiberem, qua in privatis ſermonibus rem medicam tradi poſſe, quin & quodam ſub reſpectu, debere, reor; longior ſaltem rerum uſus me docuit, ſingulis Auditoribus & acceptiorem multo eſſe, & animo longe magis inhærere eam expoſitionem, quæ non ſicca & ſterili, ut ita dicam, rei, quam exponere debes, doctrina abſolvitur, ſed tum hiſtoriæ naturalis, tum politicæ, tum phyſices, tum geographiæ &c. floribus exornatur, dilucidatur. — *Additamenta mea* tum ſignis ( ) ſi minora ſint, tum brevioribus lineis, ſi nonnihil ampliora, ab *Haeniano Textu* denuo ſejunguntur.)

Hæc

Hæc HYGIEINE ad Medicos maxime ſpectat. Volunt omnes diu vivere: Principes & Magnates, ut vitæ deliciis fruantur diutiſſime, amant cum Medicis ſuis de remediis longævitatis agere. Inmiscet huic doctrinæ ſeſe genus omne Eruditorum, Phyſici, Theologi, hiſtoriæ naturalis amatores: (quin & fabri & vetulæ; quodſi enim vel leviſſima ſeſe obtulerit occaſio, ocyus prodibunt ex omni angulo agyrtæ, ac medicaſtræ, ſuum ſinguli proponentes, ac ſuper aſtra extollentes, arcanum, euporiſton: maximam partem in damnum eorum quos deceperunt, experimenta per mortes agentes.) Oportet ergo Medicum in hiſtoria naturali verſatum eſſe, ut digne cum Magnatibus poſſit de hac materie agere: maxime, quum idiotæ multi nugivenduli obtrudant illis arcana ſua ad ſanitatem & longævitatem; quibus ſæpe nihil perniciosius, aut ſaltem nihil ſtultius.

§. 1018. *Tria ſunt munera &c.* ut nempe 1) ſanitas præſens conſervetur:

2) Ut morbi in temperie, ut in ſemine, latentes & facile excitandi præcaveantur:

3) Ut vita disponatur ad longævitatem.

§. 1019. *Sanitas enim quum ſit aptitudo &c.*; hæc nota ex PHYSIOLOGIA, *cap. de Nutritione.*

§. 1020. *Proinde &c.*; eodem ex fonte patent.

§. 1021. *Reſtitutioni huic materiem præbent cibus, potus, forte & aër; dicit* BOERHAAVIUS: *forte & aër:* aër eſt chaos omnium exiſtentium in natura rerum; ergo & alimentoſarum particularum. Si forte fiat, ut deglutitæ mistæque hæ particulæ, in

aëre

aëre præsentes, cum reliquis alimentis misceantur & lacteis absumantur, certo etiam nutriunt utcunque, sed non sufficienter; solo enim aëre pastus moritur.

Hanc præparant & aptant &c.: ut ex tota Physiologia patet.

§. 1022. *Quamobrem patet &c.* Exposita hæc antea, ad §§. 744—745., ubi ingesta in classe *rerum non naturalium* explicantur.

§. 1023—1024. *Tamen difficile est &c. Cujus &c.* per se patent.

§. 1025. *Ita quidem, ut unicuique &c.;* nationes incredibiliter differunt vivendi ratione. *Bramini, Brameni, Bragmanni*, Philosophi, sectam peculiarem colunt in India, in inperio magni Mogolis & Regis Persarum. Metempsychosin credunt, ita ut existiment, animas humanas ex uno corpore in aliud, immo ex homine in bruta transire, eque brutis in humana corpora. Hinc nulla unquam animalia occidunt, quod anima humana sæpe insit. Ergo & nunquam sumunt carnes piscesve. Vivunt tantum ex vegetabilibus, sani, vegeti, longævi. (*) Apud Bernier & Mandelslo in *Itinerariis* eorum habetur historia. Aliæ nationes solis fere carnibus viventes sanæ vivunt, & habent inter se longævos. Si contingat, ut capti, aut tempestatibus jactati cogantur alio in aëre, aliis cum alimentis vivere, languent toti. (More monticolarum plerorumque Europæ, qui e rupibus suis egressi, victumque crudissimum, cui a teneris adsueti, meliori multo mutantes, pessime sæpenumero habent, omnia inprimis nosomaniæ mala experti.)

Præ-

(*) Præcepta religionis Indorum noſſe qui voluerit, adeat bina opera celebratiſſima; quorum germanicas hic adduco editiones, quum in noſtris terris & facilius haberi queant, & gallicis etiam, vario ſub reſpectu, præſtent. Primum horum: Zend-Aveſta, Zoroaſters lebendiges Wort, worinn die Lehren und Meynungen dieſes Geſetzgebers von Gott, Welt, Natur, Menſchen; ingleichen die Ceremonien des heiligen Dienſtes der Parſen ꝛc. enthalten ſind. Riga, 1776. gr. 4to. — Alterum eſt: Ezour-Vedam, oder der alte Commentar über den Vedam: von einem Bramen aus dem Samskretaniſchen ins Franzöſiſche und aus dieſem ins Deutſche überſetzt. Mit einer Einleitung und Anmerkungen, nebſt einem ungedruckten Fragment des Bagavadam; von J. Ith, Bibliothekar. Bern 1779. 8.)

(Ritus moresque gentium, una cum deſcriptione alimentorum, quibus variæ diverſiſſimis utuntur, morum, vestitus &c., optime innoteſcent ſciendi cupidis ex præſtantiſſimo opere: *Hiſtoire générale des voyages &c. &c.* aliisque plurimis, tum ſeorſim editis, tum in unum collectis, *relationibus itinerum*: adduci autem, ex ingenti numero, præcipue debent hic relationes pulcerrimæ, recentiores ac recentiſſimæ, quas Viri ediderunt poſt annorum ekatontadas celebrandi: *Cl. Cl.* ANQUETIL, ANSON, BYRON, CARTERET, COOK, FORSTER, GEORGI, GMELIN, GÜLDENSTÆDT, HASSELQUIST, KALM, KRASCHENINNIKOW, LEPECHIN, LINNÉ, NIEBUHR, OSBECK, PALLAS, POCOCK, *Iwanowitsch* & *Nicolaus* RYTSCHKOW, STRAHLENBERG, WALLIS, &c. &c. &c.

Ca-

Cæterum, etſi diverſiſſimo ab invicem vivendi genere utantur non ſolum homines plures, verum & nationes integræ, quin in ſanitatem adeo redundet noxa; tenendum tamen, ſubitam, aut priori plane obpoſitam, in victu mutationem non ſine damno magno tentari. „ Vir ſingularis ingenii, in Batavia vivens, Boerhaavius ait, *Prælect. acad. T. I. p.* 92.; lautiſſimæ vitæ adſuetus, cœpit ſolo gramine vivere, brevi ecquidem deſiſtere coactus, ob ingruentem diarrhœam, quæ tamen innoxia, & verno tempore, bobus familiaris eſt “. — Melius fertur mutatio, ſi ſenſim, & leniſſima a recepta diætæ norma fiat declinatio, novæque auxeſis, Huc refero inſtantiam, a Boerhaavio pariter relatam, *l. c. p.* 93. Viri inter Gubernatores Reipublicæ Batavæ per totam Europam fama late noti; ſecum conſtituentis, ſumere in ſe ipſo experimentum, quam parvo homo vivere poſſit: viventisque per plures menſes ſolis piſis; nec inde quid incommodi paſſi, ex victu adeo a conſuetudine remoto. In quibus tamen omnibus maxima nunquam non ratio habenda fabricæ cujusvis peculiaris hominis, cui talia tentamina in mentem veniunt, aut qui ea, nimium quantum quidem, aſt incaſſum, reluctans ac invitus, inſtituere tenetur. — Adtendendum præterea, an homo talis cæterum ſanitate gaudeat inlibata, an non alias ob rationes parciori diæta utatur; ſic v. g. potui magis dediti plerumque ciborum minori multo copia victitare ſolent, quam alii, Baccho minus litantes; qui diu coacti fuerant curta ciborum ſupellectile uti, demum eo deducunt ventriculum, ut, etſi nunc liberaliori menſa fruantur, ne quidem poſſint amplius tantum ingerere, quam alii, queis cæterum accedunt, aut quam olim ingeſſerant ipſi. Cadaverum ſectiones docuere, ſpiri-

rituum ardentium potui deditis, qui maximam partem parum comedere ſolent, primas vias conſtrictas magis, anguſtiores, calloſas & ſcirrhoſas quodammodo eſſe; unde omnino manifeſta phænomeni adparet ratio. Qui vix non per omnem vitam vegetabilibus & cerealibus cibis victitare ſolent, carnes, etſi optime ad leges culinariæ artis præparatas, vix non adſpernantur, ſaltem non eo adpetitu ſectantur, quam alii, quibus indies in menſes adponuntur.

Fidem fere ſuperant, niſi a viris fide digniſſimis ac autoptis relata forent, quæ de ſordidiſſimo quarumdam gentium victu proſtant exempla. Taceo nunc ANTIQUORUM *Theriophagos*, & *Akridophagos*: noſtro ævo exiſtunt integri populi, palato tali coriaceo prædíti. Pediculos in deliciis habere *Hottentotos*, dudum relatum eſt. *Hunigal* ferculum gratiſſimum eſt *Kamtſchadalarum*, referente egregio KRASCHENINNIKOW, conſtat capitibus piscium, quæ muria condiuntur, foraminibus, hunc in finem in terra excavatis, conmiſſa. Corruptionem tantam ſæpenumero ſubeunt, ut ad plures paſſus alii homines fœtore arceantur; quo tamen non obſtante *Kamtſchadalarum* multum adrident linguæ. — Feſta celebrantes alium cibum parant, *Selaga* dictum, ex variis radicibus, baccis, lardo balænarum & kaviar, ſeu ovis piscium, aëris, aut ignis ope ſiccatis; quibus vulgo pro alimento utuntur, admistis ſimul corticibus betulæ, e. ſ. p. Plures tales inſtantias exhibendi occaſio erit in opere: *Anecdota rem medicam inluſtrantia, ex Itineratorum celeberrimorum relationibus excerpta;* cujus primam partem proxime in publicam emittam lucem.

Liceat hac occaſione ſequentem locum adducere ex EZOUR-VEDAM, *l.* 4. *c.* 4.; ex quo ſimul adparet, quousque abstinentiam populi illi produxerint.

Ad-

Addico verſionem germanicam *Cel.* Ith, *Bernæ* 1779. editam. „ Die Faſten Sondrajonon beſteht in einer zwölftägigen Enthaltung zur Ehre des Mondes. — — — Den erſten Tag ißt man überall nichts; den zweeten eines Kornkerns groß; den dritten eines, den vierten zweyer, den fünften dreyer Eyer groß; den ſechsten ſo viel man in der hohlen Hand halten kann; den ſiebenten das zweyfache, den achten das dreyfache, den neunten und zehnten den vierten Theil von dem, was man ordentlich zu ſpeiſen gewöhnt iſt. Den eilften ißt man nichts, ſondern man trinkt den Urin von einer Kuhe; (quod animal illis ſacrum habetur); den zwölften ißt und trinkt man nichts. Wer nach dieſer Vorſchrift faſtet, der iſt der Vergebung ſeiner Sünden gewiß.“ — Conſtat fide *Cl.* La Loubere, *du Royaume de Siam &c. T. I. p.* 441., in India jejunium dierum quadraginta, quin & centum, quum nunquam non inſignem temperantiam in diæta obſervent, pro re minime ſingulari haberi. — Monuit jam Clemens Alexandrinus, *Stromat. l.* 3. *p.* 451., Brachmannos antiquos tridui jejunium ſæpenumero celebraſſe.)

His tamen non evincitur, per quadraginta, vel centum, dies abs omni omnino alimenti genere, uti termino jejunii ſeductus credere quis poſſet, homines illos perſiſtere poſſe: nam etſi pauxillum nonniſi adſumant cibi, adſumere debebunt tamen. Nec valent quid hic inſtantiæ ranarum, hirundinum, urſorum, taxorum, murium montanorum &c. quorum omnium aliæ exponendi rationes. Laudari hic meretur Jo. Jac. Ritter, *Diſſert. de inpoſſibilitate & poſſibilitate abstinentiæ longæ a cibo & potu; occaſione puellæ frutingenſis, &c. inediam longam ſimulantis* (*) *Baſil.* 1737. — Excerpere

(*) Cui ſimilis nuperrime decantata illa Monica Mutzsch-

pere inde juvat demonſtrationem ſequentem, inpoſſibilitatis, vitam abs omni prorſum alimento ſuſtentandi; nam de ſupernaturali poſſibilitate hic non agitur.

Quantitas tota, AUCTOR ait, alimentorum adſumtorum, quam *a* vocare liceat, dividitur in partes tres. 1) in excretiones ſenſibiles, *b*, 2) in inſenſibiles, *c*, 3) in partes, quæ in ſubſtantiam nostram abeunt, *d*. Eſt itaque inſenſibilis transſpiratio *e*. = a — b — d. Quodſi b = o, nullæ ſcilicet excretiones ſenſibiles factæ fuerint, erit c = a — d. — Si nulla adſit transſpiratio inſenſibilis, nempe c = o; erit a — d = o & a = d: unde corpus plurimum increſcet, ſi alimenta ſemper adſumantur. — Si d = o, ſeu, ſi nulla pars adſumtorum in ſubſtantiam corporis vertatur, corpus manebit in eodem omnino ſtatu, & alimenta tum ſunt a = b + c. Quod ſi hinc excretiones ſenſibiles & inſenſibiles procedant, neceſſarium erit alimentum; etſi unicum ſolummodo locum habeat.

§. 1026. *Ipſa quoque - - - 1) aëris.* Aëri montano adſuetus dum in vallibus habitat, ægrotat; qui in vallibus ſanus fuit, male habet in montanis. Tamen aër montanus, ut deinceps patebit, ſalubrior eo, qui in valle eſt: ſed conſuetudo omnia vincit.

Id non ſolum in *hominibus*, ſed & in ipſis *plantis* & *animantibus* veriſſimum. *Plantæ* aut prorſum pereunt, aut plurimum mutantur alteri ſolo, & aëri, quam queis antea adſueverant, conmiſſæ. *Linnæa*

MUTSCHLERINN; cujus abstinentiam multi pro portento tamdiu habere potuerunt! —

næa floribus geminatis jam minima eſt, jam in proceritatem pedum 12 — 18. excrescit: *Victorialis radice retiformi Offic.*, in alpibus flore caret; in hortis florem fert, & ſemina & folia multa magna, læta; in alpibus unico, exhausto, longiori inſtructa; *v.* van Doeveren, *de vermibus &c. c.* 5. *Sedum minimum flore albo*, ſolo arenoſo, ſterili, aut parietibus, ubi paſſim invenitur, innatum folia habet exigua, teretia, ſucculenta, confertim ſibi invicem adproximata; ſolo pingui autem commiſſam plantam illico exorbitare, folia tenuiora, longiora, ab invicem removeri, caulem multum produci, ſæpe expertus fui. — *Animalia* plurima moriuntur, unice ob climatis mutationem: ſic v. c. inpoſſibile hactenus fuit, in Europam adferre ſimias illas pulcerrimas, candidiſſimas, erythrophthalmas, incolas regni *Galam*, provinciæ *Bambuck*. — Sed & ipſi *homines* hinc non excipiuntur; uti copioſiſſimis conſtat inſtantiis eorum, qui patrio ſolo quaſi adfixi, in omni alio, centies meliori, loco languent, demum nostomania enecandi.)

2) *Cibi*; rusticus educatus carnibus & piscibus ſalitis, fumo induratis, pane atro, cereviſia veteri, ſanus eſt, donec cogatur jure carnium, carne recenti, mollibusque vivere leguminibus (oleribus dicendum potius fuiſſet); eſt tamen per ſe diæta hæc poſterior ſalubrior priori.

3) *Potus*; qui adſuetus omni generi potuum, huic perinde eſt, quo potu utatur, ex omnibus ſe æque bene habenti. Certo autem generi potus adſuetus, eo carens languet, vel ægrotat. *Ludovicus* Cornaro, qui ultra centum annos vixit, integris ſenſibus conſtantique valetudine, certo vini genere, ad exactam men-

ſuram quotidie ſumto adſuetus, ægrotabat, ſi id vini genus recentius non cito ſatis adferreretur, & eodem jam veterascente uti deberet.

(Maximam, abs controverſia, laudem meretur certa quædam in diæta moderatio & temperantia, eaque unica plurimi morbi tuto præcaventur, alii & curantur, vitæque, quatenus quidem a diæta id præſtari poteſt, longæva redditur Verumenimvero, ni temperies, & conditio ſingularis aut idioſyncraſia hujus illiusve hominis aliud requirant, laxior aliquantulum, a diſſoluta & abnormi utique diverſiſſima, diæta præferenda erit ſtrictiſſimæ illi, ad grana & guttas omnino redactæ, quali CORNARIUS utebatur. Sexcenti namque occurrere queunt caſus, ubi inpoſſibile plane fit, eam retinere: tum vero præſens vix non illico erit morbus; quum tota œconomiæ animalis ratio jam eo deducta fuerit, ut vix ſenſibilis diætæ mutatio æque magnum, vel majus, adferat discrimen, quam in alio homine, remiſſius vivente, multo major unquam adtuliſſet. In capite de vulneribus ſatis patuit, eamdem eſſe HIPPOCRATIS ipſius ſententiam, quam & CELSUS eleganter adeo propoſuit.)

4) *Motus*; vitæ ſedentariæ dicatus, vix per horam ambulat, quin anhelet; adſuetus itineri pedestri, ubi decem horis ambulavit, vix anhelat. (Legi meretur, tum ob theſin hanc, tum ob inlustrationem ſtatûs hominum, fibra debili præditorum, tractatus *Cel.* WITHERS: Bemerkungen über die langwührigen Mattigkeit; aus dem Engliſchen. Altenb. 1779. 8.

5) *Medicamenti*; a granis ſex ſcammonei homo, qui raro purgatur (potius dicendum, cui debiliora, ſenſibiliora viscera) fere ὑπερκάθαρσιν habet; alter a ſcrupulo vix movetur, cui conſuetudo ſæpius purgandi eſt,

(ro-

(robustaque ſunt viscera; nam frequens rerum uſus docuit, multos eſſe homines, qui nunquam adſuescere queant medicamentis magis drasticis, etſi a minima ordiantur doſi, ſenſimque tentent ad majorem adſcendere). Tria, quatuor grana guttæ gambæ inſuetis alvum aquoſam 56. vicibus movent, (moverunt; nam in omni caſu alius omnino quoad numerum purgationum eventus; etſi in dato ſemper ſequi poſſit & ſoleat ſuperpurgatio). Novi feminam ſexagenariam, quæ 12 grana gummi gambæ omni menſe ſumebat, proprio Marte, unde vix ter quaterve alvum deponebat.

Præter conſuetudinem, idioſyncraſia in uno ita eſt, ut a cortice peruviano valide purgetur, quale exemplum in noſocomio practico habuimus in hydropica, ut etiam ſæpius ſe vidiſſe Sydenhamus testatur; hanc ob cauſam opium cum cortice jungens. (*Cl.* Mohrenheim retulit mihi inſtantiam pueri, in quo ipſe lithotomiam inſtituerat, qui a cortice peruviano graviſſimam adquiſivit diarrhæam, adeo ut, prout adſumtus fuerat, demum alvo egereretur pulvis; omiſſo cortice, ſubſtituta doſi quadam vini rubri, ac in cibum conceſſis farinaceis, ſiluit ſenſim alviſluxus.) Alii a cortice nec conſtipantur, nec laxantur; alii ſummam habent inde alvi adſtrictionem: (alii cortice uti plane nequeunt; quum adſumtum vomitu mox rejiciant; ut Ipſe expertus fui). Idioſyncraſia alia eſt quorumdam, quales Ipſe novi, qui a nullis fere purgantibus, quacumque ſub forma datis, moventur. Arcanum tales purgandi eſt, ut præſcribatur purgans largiſſimum ex manna, foliis alexandrinis & ſale quopiam, ut pro epicraſi tantum & toties inde ſumant, donec alvus moveatur: ubi incipit illa moveri, tunc doſi minori per aliquod tempus continuandum. — Erat ampliſſimus in

urbe Hagana Conſul, qui mihi, primum Medicinam ipſi facienti ajebat, neminem Medicorum unquam alvum ſibi bene purgare potuiſſe, adeoque de hac re ne frustra cogitarem. Indicatione id jubente tamen, methodo illico dicta egregie purgatus, didicit, artem medicam potentiorem eſſe, quam antea crediderat.

Sunt, quos caſtaneæ & poma ſic dicta terreſtria purgent; alii plures, quos conſtipent.

(Novi hominem, qui a ſolo odore prunorum ſiccatorum, tumque in aqua decoctorum, illico purgabatur; alios fructus omnes abs incommodo ferebat; adſumto autem quarta tantum parte pyri vel minimi dolorem ventriculi & leniorem colicam illico querebatur, quam mox alvi excipiebat purgatio. Phænomena hæc ab omnibus omnino pyrorum ſpeciebus.

Tenendum præterea, corpus plurimum mutari, ratione ſequentis idem datum remedium effectus, dum conditione præternaturali diverſimode mutatum fuerit; uti demonſtratur inſtantiis Melancholicorum, Hypochondriacorum &c., qui ingentes purgantium doſes nonnunquam non ſolum abs noxa, ſed & abs omni effectu, ferunt. In *Additamentis ad Tractatum Cel.* HAENII *de vermibus*, *p.* 56. monui, in cura anthelmintica notandum eſſe, purgans & poſſe & deberi plerumque fortius exhiberi, quam exhibendum foret, vermibus non præſentibus; quod & magis confirmatur loco ex *Cl.* ZÜCKERT, *p.* 55. adducto. Narravit mihi paullo ante adductus *Cl.* MOHRENHEIM, ſæpius ſeſe obſervaſſe in morbis putridis a granis 8—10. tartari emetici, actuoſi adeo cætera medicaminis, ne unicam quidem productam fuiſſe emeſin, ne unica vice motam alvum. Prognoſin certam ſæpe inde formavit funeſti eventus, quum

quum eo deductis rebus ægri, breviori insequente temporis intervallo mors coronidem inponeret malis. — In aliis autem casibus corpus, purgantibus antea vix mobile, morbo nunc præsente, adeo remediis obsequens redditur, ut minor longe dosis, quam in hominibus aliis, sat sensibilibus visceribus præditis, requisita foret, vix non nimia sit. Hinc in omnibus Medicum, inprimis juniorem, aut homini cuidam, inprimis feminis, aut nervorum variis adfectionibus laborantibus, nunc primum Medicinam facientem, moneat prudentia, ac recessuum talium a communi lege memoria,

— — — — ne quid
Inconsultus agat. — — —)

6) *Veneni;* opium v. c., magna dosi sumtum, subsocat omnes sensus, reddit hominem pro tempore apoplecticum: majori adhuc, plane occidit. Qui adsuetus non est, raro tria grana simul feret sine noxa: Thraces (Turcæ, Persæ) drachmam unam, duas, & ultra, ferunt, & fere ea copia indigent, ut fortes sint, & intrepidi in prælio. Immo, etiamsi tranquilli sint, capti in prælio, enerves quasi videntur, carentes opio: manus exosculantur victori, si demum opium concesserit.

Appianus, Titus Livius, Aliique, qui nobis vitam descripserunt Mithridatis, Regis Ponti, tradunt, Ipsum veneno inexpugnabilem sese percepisse, dum, a Pompejo victus, pulsusque, se in fuga veneno interimere vellet: eo, quod venenis sumendis sensim sese adsuefeciset; unde tandem, irrita vi veneni, suo sese gladio ipsus confodit. — Aulus Gellius, Auctor secundi seculi æræ christianæ, sub Hadriano florens, *Noctium atticarum l.* 17. *c.* 16. narrat, *ponticas anates* venenis victitare, ac Mithridatem sanguinem illarum anatum miscuisse medicamentis veneno

digerendo dicatis; esse hunc sanguinem ex potentissimis ingredientibus *confectionis* dictæ *Mithridatiæ*: ea conpositione MITHRIDATEN se a venenis epularum clandestinis semper tuitum esse. Ex hac descriptione saltem patet, *Mithridatium* DAMOCRATIS non esse id, quod conposuit MITHRIDATES; neque alias quascunque conpositiones ex ruta, gramine, sale &c., verum esse antidoton MITHRIDATIS.

(PLINIUS, *l.* 29, *c.* 5, ait: „Coagulum quoque agninum adversus omnia mala medicamenta pollet; item sanguis anatum ponticarum. Itaque & spissatus servatur, vinoque diluitur. Quidam feminæ anatis efficaciorem putant.“ — DIOSCORIDES etiam sanguinem anatum utilissime in antidotis admisceri dixit *l.* 2. *c.* 97. — V. quoque SCRIBONIUM LARGUM *Conpositiones Medic. CLXXXVII.* Quidquid id sit, quod Veteres de virtute antitoxica sanguinis hujus adtulerunt, abs hæsitatione sane fateri licet, multum erraturum, qui sanguine, sive ponticæ, sive austriacæ, anatis adversus venenorum vim munire se posse crediderit: quod adsertum latiori demonstratione nostro ævo sane non egere crediderim.

Nec majorem meretur fidem antidotus alia, quæ MITHRIDATI æque propria circumfertur, SERENO SAMMONICO, *c.* 60, descripta & PLINIO *l.* 23, *c.* 7.; „conposita est duabus nucibus siccis, ficis totidem & rutæ foliis viginti, simul tritis, addito salis grano.“ — RHODIUS in peste sæviissima, anno 1521. universam prope Italiam, sed inprimis Patavinam urbem, diris modis vastante, fallaciam hujus antidoti expertus fuit; uti retulit in *Notis ad* SCRIBONIUM LARGUM. — SAMMONICUS ipse antidotum eam satis vilem jam pronuntiavit: v. AUL GELLII *Noct. attic. libr. XX. Edit.* GRONOV. *&c. Eden-*

se

te J. Lud. Conradi &c., *Lipſ.* 1762. *T.* 2. *Comment. ad c. cit.*

Quamcunque vero antidotum Mithridates habuerit, manifestum eſt, fore ut nullatenus illius ope tutus fuiſſet adverſus venena illa conrodentia, cauſtikotata, quæ nostro ævo innotuerunt: nec adverſus famoſa illa Indica, Lamascenſia, Angolitana, Japanica; nec contra pleraque alia venena, quæ, inſcio homini, doſi ſubficienti, exhibita, tragœdiam citius multo abſolvunt, quam de medela apta ſubin vel cogitari queat; aut quæ lentum, fati inevitabilis, aſt obſcuri, fomitem corpori inferunt; eo minus domandum, quum, & cujus indolis ſint, plane lateat, & in corpore illa adeſſe, tum primo fiat certum, quum medelam adhibuiſſe, aut neglexiſſe, eodem redeat: quorſum *aqua della Toffnina*, *Poudre de ſucceſſion*, aliaque ſimilia, in tartaro primum inventa, referuntur toxica.

Venenis nonnullis, e regno inprimis vegetabili petitis, adſuescere nos *ſenſim* poſſe eatenus, ut doſin non exiguam demum abs ſenſibili noxa feramus, multis conſtat ex inſtantiis. Vidit, ut unam ſaltem alteramve adferam, Univerſitatis Vindobonenſis decus, *celeberrimus* Stoll, quem cum voluptate nomino, a dimidio grano extracti *belladonnæ* excitatas fuiſſe, dum ægri eo uti incipiebant, in quibusdam furorem & amentiam transitoriam; ſucceſſu tamen temporis & per gradus vix non inſenſiles adaucta doſi illos eosdem abs minima noxa tuliſſe grana 6, 8, 10. — Idem fere cum extracto œnanthes crocatæ, (*) acci-

(*) Extracti hujus, multum actuoſi, in nostris terris recipi mereretur omnino uſus. Ante tres abhinc

diſſe didici; magnam etiam doſin opii intra breve ſatis temporis intervallum abs ulla mutatione præternaturali ſtatus corporis, aut mentis, adſumi poſſe, dummodo minimo augmento pergatur, expertus ſui.)

Hieronymus CAPIVACCIUS refert hiſtoriam puellæ, quæ parva copia primum, ſenſim majori, conſueverat napellum comedere; plantam vere venenatam, (cujus deleteriæ vires ex opere *Cel.* GMELIN, *Geſchichte der Pflanzengifte* ꝛc. ſatis patere poterunt) eaque fere ſe nutriverat, ac nil mali paſſa inde videbatur.

(Monere hic debeo, non ſine discrimine accipiendas eſſe hiſtorias omnes, quæ de Toxikophagis paſſim narrantur. Nam venena quædam non omni tempore venenatas exſerunt vires. Sic v. g. HAENIUS non ſine magna admiratione nobis in collegiis ad lectos ægrorum retulit, *Cl.* KRATOCHWILL *radicem colchici* abs omni inſequente noxa comediſſe. Conſtat autem, id abs omni miraculo fieri poſſe, quum radices illæ non per totum annum venenatæ ſint: comedit hinc easdem etiam abs damno *immortalis* HALLERUS. — Præterea non omni ſub climate vis deleteria æqualis eſt, ac eadem; ætas, cultura, ſolum, multum hic mutant; quod inter alia fungorum demonſtratur inſtantia. Sed, præter adſuetudinem adſumentis, & temperies, & idioſyncraſia, & victus & viarum primarum conditio &c. hic non negligenda exponenti v. c., cur homines nonnulli ab adſumta aqua forti non fuerant læſi; cur alii ab octo granis

---

hinc annos primus, reor, eum propoſui in *Editione germanica tractatus Plenckiani de morbis cutaneis.*

granis vitri antimonii non adfecti; &c. dum alii denuo a rebus, vix umbra acrimoniæ præditis, convulsiones & superpurgationes & mala sexcenta alia patiantur.)

Tabacum venenum plerisque non adsuetis est (potius dicendum, veneni fere adinstar agit) maxime, dum quis boni tabaci fumum prima vice haurit. Quantæ inde nauseæ, quanti vomitus, diarrhœæ, sudores frigidi, animi deliquia inde sæpe oriuntur! In Belgio, ubi juvenes sexdecim, aut septemdecim annorum omnes discunt tabaco uti, etiam prima vice hæc omnia symptomata expertus fui. Tamen posthac in delicias summas ita vertitur, ut langueat homo, si tempore consueto eo carere cogatur.

Idiosyncrasia mira in feminis. Non gravidæ a vitro uno alterove boni vini inebriantur fere (non adsuetæ, aut valde moderatæ.) Nonnullæ autem in graviditate plus quam duo tresve strenui potatores sumere possunt, citra vel minimum incommodum.

(Rariora multo exempla Observatores, præsertim Schurigius, adnotarunt. — Vidit Tulpius mulierem, quæ prægnans delectabatur tam inpense halecibus salitis, ut ante partum comederit mille & quadringentos haleces. Attamen, Tulpius addit, sine ventriculi offensa, ullove sanitatis dispendio. Conputo subducto, qui hanc observationem etiam refert *Inl.* van Swieten ait, patet, quod quotidie quinque comederit haleces, qui gratum quidem dant ferculum, verum a robusto homine vix ferri possent tanta copia. Sed & infans eodem delectabatur adpetitu, ut, quum necdum posset verbis, Tulpii sunt verba, expetierit tamen ejulatu, haleces. —

Opti-

Optimam etiam Matronam novit VAN SWIETEN, quæ, ſobria ſemper, unum alterumve diem incœpit vinum adpetere quam maxime; pudibunda tamen quum eſſet, noluit vinum petere majori copia, quam ſolebat. Maritus, rem ſubolfaciens, callide ſubminiſtravit occaſionem facilem, ut, clam omnibus, huic deſiderio ſatisfacere poſſet: faſſa eſt postea, nunquam aliquid gratius ſibi contingere potuiſſe; &, licet ſatis largam copiam vini hauſiſſet, optime ſe habuit.

Monuit *Inl.* VAN SWIETEN, ciborum, vel potuum illa deſideria, quibus gravidæ nonnunquam adficiuntur, non ſemper per totam graviditatem durare, ut in muliere illa, quæ tot devoraverat haleces; ſed ſæpius ſe vidiſſe, nectit, quod ſatis cito evanuerint, & denuo redierint quandoque. — Singulare autem illud inprimis duco, dum gravidæ ſubin rem quamdam vel inſigniter adpetunt, vel averſantur, quam extra graviditatem vel averſatæ fuerant, vel adpetierant, vel & adiaphoræ tulerant; dumque deſiderium illud, vel averſatio, vel & aliud, inſolitum antea, phænomenon, præſens ſolum eſt, geſtantibus illis utero vel puerum, vel puellam; conſtanter adeo, ut hoc ex phænomeno ſexum prodituræ ſobolis abs errore demum præſagire queant. Retulit *Cl.* GODART hiſtoriam Dominæ nobilis, cui, puellam geſtanti, alvus nunquam non conſtipata; geſtanti puerum, nunquam non laxa erat. — Retulit VAN SWIETEN hiſtoriam alterius feminæ, coffeæ potum deſiderantis, dum editura eſſet in lucem puerum; averſantis, dum editura puellam. — Notatu dignum & illud:

FE-

Femina, undecies gravida, ſemper quatuor primis menſibus graviditatis hydrophoba facta eſt; a conceptione incipiente aquæ metu, excepto tremore & animi deliquio, quotiescunque aquam adſpiceret, aut ſtrepitum illius perciperet. *Journ. de Medec. T. XVI.*)

§. 1027. *Quamobrem mutatio &c.;* quia igitur homines certo vivendi generi adſueti, certis alimentis, certis conſuetudinibus, bene ſe habent, non oportet eos ad inſolita, quamvis ſolitis eſſent meliora, cito transire; quum conſuetudo, vel idioſyncraſia, id jam naturale reddiderit, quod alioqui contra naturam foret. Hippocrates id ſuo jam tempore docuerat, Medicum curare oportere tum communia, tum propria intuentem. *V.* & *Aph.* 2—38. & *Aph.* 2—50. 51.

Si ergo malæ conſuetudines forent in meliores vertendæ, paullatim, prudenterque id faciendum; v. g. addictus quis fuit nimio uſui vini, aut ſpirituum fermentatorum; ſatius erit, illum ſenſim, quam illico, pravam mutaſſe conſuetudinem. Helluo fuerat, indeque male habens, mox ſummam colit ſobrietatem; ægrotabit: pedetentim oportuiſſet inminuere gulæ intemperiem.

Cæterum, ſi homo varietatibus multis in vita ſit adſuetus, vel lente prudenterque ſeſe illis adſuefecerit, optime ſuæ ſanitati conſulit. (*)

Hinc

(*) Homo ſanus, inquit latiniſſimus Celsus, qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, ac neque Medico, ne-

Hinc dixit Textus §. 1028. *ſed ſenſim mutando &c.;* (quæ ad hunc locum dici poſſent, maximam partem in præcedentibus jam fuerunt adlata; ut ſupervacua hic foret repetitio.)

§. 1029. *Aër maxime gravis, adeoque ſimul, ut fere ſemper eſt, ſerenus & ſiccus, ſuo unicuique loco ſaluberrimus habetur.*

Tempore nebuloſo, & maxime in ſeptemtrionalibus regionibus, aër in barometro eſt graviſſimus: tunc ſane non eſt dicendus ſaluberrimus. Verum, nebuloſo excepto, aër ſerenus & ſiccus graviſſimus eſſe ſolet. Tempore humido austrino homines ſe graviores ſentiunt, quam tempore ſicco, ſereno, hinc ajunt aërem eſſe ſibi graviorem. Ratio erroris eſt, quod humido tempore minus perſpirantes ſenſum laſſitudinis in nobis experiamur; quem in aëre ſereno, ſicco, egregie perſpirantes, non ſentimus. In ÆTIOLOGIA aëris varias proprietates conſideravimus: animalia plurima vidimus in aëre leviori mox male habere; in aëre graviori diu vivere, & aucta licet multum gravitate, tamen longe minus male ſe habere, quam aucta ejusdem levitate.

Suo cuique loco &c.; gradus levitatis, aut gravitatis determinari non poteſt. Erit v. g. locus monta-

---

neque Iatroalipta egere. Hunc oportet habere varium vitæ genus, modo ruri eſſe, modo in urbe, ſæpiusque in agro; navigare, venari, quiescere interdum, ſed frequentius ſe exercere. Siquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam ſenectutem, hic longam adolescentiam reddit. *Lib.* I. *c.* I.

tanus, in quo graviſſimus aër non ſit gravior aëre leviſſimo depreſſarum vallium. Doctiſſimus Scheuchzerus in *itineribus* ſuis *helveticis* ſolebat montium altitudines menſurare deſcenſu Mercurii in barometro, poſtquam didicerat, ſcrupulum unum deſcenſus, qui fere cum linea convenit, deſignare 80 pedes altitudinis. (Quæ methodus a Scheuchzeri temporibus hucusque magis exculta fuit.) Hinc videmus, in varia altitudine locorum variam eſſe aëris gravitatem. Ubi ad 28. pollices Mercurius deſcendit, eſt levis, reſpectu locorum, ubi indicat pollic. 29., vel 30.; eſt gravis reſpectu altitudinis, ubi tantum 27. pollices altus Mercurius eſt. *V.* Scheuchz. *Itin. alpin. ann.* 1702. *p.* 9.

Ergo talis aër, qui ſuo cuique loco gravis, ſaluberrimus.

Quod de gravitate, idem de ſerenitate & ſiccitate verum. Ex Itineratoribus conſtat, loca plura dari, quæ vix unquam aëre utantur ſicco, ſereno: (*) aër ergo in illis regionibus maxime ſaluberrimus, qui & minus humidus, & minus nebuloſus ſit. Si in una regione aër graviſſimus fuerit, ut in alia regione leviſſimus, ſaluberrimus erit omnium in regione, in qua eſt graviſſimus; erit omnium pernicioſiſſimus in regione, in qua eſt leviſſimus.

(*) Inſignes inſtantiæ occurrunt in Tractatu *Cel.* Lind, circa *morbos Europæorum in climatibus calidis.* Plurimæ autem aliæ legi poterunt in *Hiſtoire générale des voïages*, aliisque *Itineratoribus* celeberrimis, quorum nonnullos ſub initium partis hujus pathologiæ adduxi.)

§. 1030. *Aëris effectus varii &c.* hæc omnia in Ætiologia explicata.

§. 1031.

§. 1031. *Qualitates etiam aëris excessu suo producentes morbos, emendari possunt obpositis inductis. Frigidus enim mutari potest in calidum & siccum; ope ignis accensi, per ligna sicciora, & aromatica nutriti.* Quercus, juniperus, abies, dant talem materiem: magis exsiccant, si igne aperto in camino exurantur, quam si tantum in hypocausto; nam solus calor id non facit, qui potest ab omni alio ligno in fornace excitari, sed ligni qualitas per aëra dispersa.

(Qualitas tamen hæc ligni, si in camino, qualis plerumque esse solet, hoc conburatur, in aërem, seu atmosphæram cubiculi non multum adeo diffundetur, quum vix non omnis per tubum camini, una cum fumo, aëre rarefacto, diffugiat: unde lignum juniperi in foculis accendere, ac in ipso cubiculo conburere solemus. Notandum, hac occasione, venit, sanitati magis conferre, si cubiculum camini, quam si fornacis, inprimis ferrei, ope calefiat: in primo enim casu aër in cubiculo nunquam non conservatur purissimus, quum uno torrente, una cum contentis ac resolutis exhalationibus inpurioribus per camini ostium abripiatur, accedenti novo, recenti faciens locum; dum, fornacis ope cubili calefacto, non solum commodum hoc non obtinetur, sed & dolores capitis sæpenumero, hac unica ex causa, progignuntur: ab inpuris retentis, ad majorem adhuc corruptionis gradum ipso calore deductis, a phlogisto per parietes fornacis penetrante, & atmosphæram reddente *phlogisticatam*, sanitati noxiam, magnam partem repetendi.) — Cubicula præcipue ptochotrophiorum, orphanotrophiorum vulgarium, tum contuberniorum majorum militarium, gerotrophiorum, &c. ubi multi homines degunt, atmosphæram pu-

putrescentibus effluviis inficientes, aut calefiant caminorum ope, aut ventilatoribus & spiraculis saltem instruantur, uti & optime monuit *incomparabilis* Pringle, lustrenturque igne, juniperino ligno sustentato; aceto evaporatione in auras acto; acido muriatico, minori dosi, (in cubiculis, ex quibus per unam alteramve horam abesse queunt incolæ) ope acidi vitriolici a basi sua liberato &c. &c. aliæ adhuc aëra purgandi methodi in sequentibus adducentur.)

Halitu aromatum calidiorum sponte, vel igne fragrantium; cinnamomum, caryophylli aromatici, macis, nux moschata, piper, maxime album, crocus, rosa, tunica, keyri, mastiche, olibanum, sarcocolla, labdanon, styrax, succinum, bäccæ juniperi, flores jasmini, lavandulæ, rorismarini, tum aurantiorum, liliorum convallium, mari syriaci &c.; omnia hæc efficiunt, ut aër, qua aër, uniatur his particulis, & dimittat suam aquam, quam intra sua elementa continet, ita ut nunc fiat elasticus magis, siccior.

(Non tamen eadem hac enumerata omnia, ratione agunt; circa vegetabilia expositio Haeniana *partim* admitti poterit; in aliis autem denuo, v. g. olibano, mastiche, sarcocolla, labdano, styrace, succino &c., prunis inpositis, (nam tum primum, cui destinantur, exsequuntur finem;) in illis, inquam, ad alia quoque adtendendum, *quæ ignis vi inde liberantur, aërique tum admiscentur, principia; acida* inprimis ac *oleosa*, magis minusve *empyreumatica; acria, pungentia, antiseptica.* Saccharum v. c.; quo, carbonibus inspersо, passim uti solent scopo lustrandi aëra, acidum dimittit pungens maxime, lancinans, oculos, organa respi-

rationis ac olfactus plurimum irritans, lippitudinem transitoriam, ſternutationem, tuſſim, excitans. Quodſi hinc fumus talis excitetur in cubiculo, quod oculorum lippitudine, aut infirmo pulmone laborantes incolunt, vix non plus oberit, quam proderit. — Monuit jam *Cel.* STAHLIUS, fumigationem, quam benzoë ingreditur, Pulmoniacis obeſſe, quin & hac ex cauſa adfectiones graviores pulmonum produci: quod quidem ex analyſi chemica reſinæ hujus aromaticæ, ſal illud maxime ſuaveolens, volatile, tuſſim, dum odor fortius paullo adtrahitur, mox excitans, *florum benzoës* nomine notum, exin producente, facile confirmatur. — Præterea odores plurimi feminis, quin & viris nonnullis, inprimis hypochondriacis, ut plurimum adverſi ſunt; unde vapor v. c. accenſorum paſtillorum fumalium, (Vindobonenſibus Franzisterlein) multis paſſiones hyſtericas, ac ſyncopen excitat. — Odores etiam, cæterum innocui, damnum adferre majus poterunt, ſi aut nimii ſint, aut hominem feriant, conpage debiliori, irritabiliori, aut idioſyncraſia peculiari, donatum. Refert HEISTERUS caſum viri hypochondriaco malo laborantis, liliorum odore enecti. Notavit TRILLERUS, præter infinitos vix non alios caſum puellæ ex violarum odore nimio mortuæ. Crocum hominibus æque ac animantibus exhalationibus ſuis narcoticis lethum accerſiviſſe ex obſervationibus notum eſt; e. ſ. p. Ex quibus patet, quantis cautelis Medicus, malum quodpiam emendaturus, uti debeat, ne vitaturus Charybdin incidat in Scyllam, noxamque minorem conpenſet majori.)

Vento calido admiſſo, vel arte excitato; ſupra ardentes rogos advecto; ſi v. c. ædes pateant ab aus-

austro, & ventus inde veniens apertis januis feneſtrisque expiciatur.

(Hippocratem peſtem accenſis, in pylarum anguſtiis, ignibus a Græcia arcuiſſe, patriamque novo prophylaxeos genere adverſus communem finitimis cladem præſervaſſe, hinc & ingentibus honoribus ornatum fuiſſe, Multi adſeruerunt. Interim tamen, non omnia, quæ a Pluribus dicta fuerunt, ex hoc unico capite pro evictis, aut extra omnem jam controverſiam poſitis, accipienda eſſe, vel ex hac ipſa demonſtratur inſtantia. Primum quidem, accenſas pyras non pro catholico luis cujuscunque epidemicæ, ab alia regione aut adventuræ, aut præſentis jam, remedio proponi poſſe, patere poterit ex obſervationibus malorum, hoc Medicinæ genere adeo non emendatorum, ut aucta exin fuerint. Inſtruitur quidem, ait *Cel.* Zimmermann, von der Erfahrung ꝛc. 2 B. S. 193, variis in locis ignis, ut ſic emendetur aër: aſt ignis promovere potius, quam ſubflamina-re, putrefactionem videtur; peſtis enim, uti notum eſt, ſæviſſima obſervatur, dum æſtus maximus. Notavit Mercurialis Venetiis, Opifices igne ad labores ſuos maxime utentes, a peſte correptos fuiſſe primos. Ait Hodges, Londini ob magnos per triduum accenſos rogos intra unam noctem quater mille homines raptos fuiſſe, quum alias non ultra quadringentos morerentur: vix non eamdem obſervationem Maſſiliæ factam, Mead teſtatur. — His tamen omnibus non obſtantibus pervicaces eſſe adeo quosdam ſcio, ut ignes ceu prophylacticum in peſte proponere auſint: ſed an mirum hoc, quum & peſtem akmen putridorum negare queant?)

Si vero calore, & ſiccitate aër peccat, emendatur exhalatione disperſæ frigidæ; quum pars aquæ ſenſim aëre adſumatur exhalando. Unde, qui aër ſupra magnos lacus & maria adfertur in aliquem locum, ſemper humidior eſt. *Fonticuli Boyleani* aquæ vaporem multum poſſunt conciliare.

(Notatu digniſſima ſunt, quæ de exhalationibus aquoſis in atmoſphæram adſcendentibus adnotarunt Phyſici. Aquam cataractarum ad ducentorum pedum altitudinem vaporum forma in aërem adſcendere, teſtatur SCHEUCHZERUS. EX mari mediterraneo intra unicum diem, æſtivo tempore 520800, 000,000. dolia aquæ exhalare monſtravit HALLEY, *Philoſ. Transactions, Nro CLXXXIX.*; evaporationem illius pro una die ad $\frac{1}{10}$ pollicis reducens. Summam vero exhalationis ejusdem ad dolia 156240, 000,000,0., ſeu prioris triplum, reduxit *Inl.* HALLERUS, ex obſervatis, in multo latiori canali factis; queis conſtitit, aquæ intra duodecim horas diei æſtivi ad 3. usque lineas in auras diſſipari, monens ſimul, fore, ut in regionibus calidis major adhuc quantitas diffletur. — Ob aquoſorum talium halituum in aëre præſentiam jumenta & equi ſitim reſtinguunt, quin aquam potent; uti notatur in *Philoſ. Transact. Nro. XXVII.* de inſula Jamaica, & a *Cl.* LIGON, *p.* 27. de inſula Barbados. — Aquæ atmoſphæricæ demonſtrationem, inter plurimas alias, quas hic præterire debeo, adfert calcis vivæ in aëre libero exſtinctio, tum ſalium alkalinorum fixorum, ſiccisſimorum, aëri libero expoſitorum, deliquescentia, auctumque pondus, manifeſtum adeo, ut drachmæ ſeptemdecim intra quatriduum duodecim drachmis graviores redditæ fuerint, obſervante BOERHAAVIO. Uncia ſalis tartari, Vir magnus ait, mutata in quatuor

tuor fere uncias olei tartari per deliquium, adtraxit tres uncias aquæ. Certus vidi in aëris tam parva portione, quæ intra ampullam, capacem trium librarum aquæ, contineri poteſt, tantum aquæ hærere, ut unciam ſalis tartari inmiſſam humectare aliquantulum poſſit, ſuoque in pondere augere. — Vidit Kenelm Digby, libram ſalis tartari laticis libras novem in ſeſe rapuiſſe ex aëre. — Oleum vitrioli concentratiſſimum glaciale aquam aëream inpetuoſe adeo in ſeſe trahit, ut ſubin non ſine periculo diſplcſionis vaſis ob enatum ex unione momentanea fere acidi fortiſſimi & aquæ atmoſphæricæ ſummum calorem, fiat experimentum. — Mirabilem caſum van Swieten, demonſtraturus poſſibilitatem reſorptionis aquæ ex atmoſphæra in hydropicis, quam Hippocrates jam adſumſerat, *l. de flat. c.* 6., retulit, *Comment. ad Aphorism.* 1240., obſervatum a *Petro* Servio, ſummi Pontificis Urbani *octavi* Archiatro, de ſacra virgine, quæ jejunio, vigiliis, meditationibus, corpus omnino exhauſerat ita, ut, cum maxima totius ſiccitate, urens adeſſet calor. Illa per aliquot ſeptimanas, ſingulis viginti quatuor horis ducentas & ultra libras per veſicam excrevit. —

Aquæ ope aërem, ab exhalationibus putrescentibus, phlogiſticis luſtrari poſſe, demonſtratur experimentis recentiſſimis ſummorum Phyſicorum, inprimis *Inl.* Priestley; deducit autem rationem reſtitutæ aëri plurimum phlogiſti continenti, ideoque reſpirationi inepto reddito, aquæ ope ſalubritatis, ex eo, quod ab aqua phlogiſton, quo aër antea ſcatebat, abſorbeatur. (*) Eadem deprehendit

(*) I think, Vir magnus ait, *Experiments and obſer-*

Cel. FONTANA, SIGAUD DE LA FOND &c. & EGO IPSE)

Si calor nimius, faciendo rimas (ſpiracula) in obpoſitas cubiculi partes, renovatur continuo aër; adeoque, ſi externus aër ſit frigidior, ope talium rimarum continuo aër calidus expellitur, & frigidior ſuccedit. (De his jam paullo antea actum.)

Si nimia ſiccitas, emendatur exſpiratu halituum aquoſorum ex plantis frigidis, aquæ inmiſſis, ut ſunt: halix, populus, roſa, ſambucus, opulus, morus &c.

Hic legite egregium HALES in pulcro Tractatu *de ſtatica vegetantium.* Æſtivo tempore miſit pyrum humilem ponderis 71 lib. & 8 ℥. in aquam radice ſua. Spatio decem horarum 15 lib. aquæ extraxit, & 15 lib., 8 ℥. transſpiravit.

Ramos magnos arboris pomiferæ, pyriferæ, armeniacæ inpoſuit aquæ: ℥. 15, 20, 25, 30, aquæ transſpirabant ſpatio 12 horarum; ſi folia ramis adnexa manſiſſent; cæteroqui fere nihil.

(Demonſtravit HALESIUS, heliotropium, magnitudinis trium pedum, intra duodecim horas exhalare libram unam cum unciis quatuordecim. Vegetabilium exhalationem ad perſpirationem humanam

---

ſervations on different kinds of air, Vol. I. *p.* 138. *Edit.* 2. it appears pretty evident, from the preceding experiments on the calcination of metals, that air is, ſome way or other, diminished in conſequence of being highly charged with phlogiſton; and that agitation in wather reſtores it, by imbibing a great part of the phlogiſtic mater.

nam (*) uti 50 : 15. ſe habere determinavit, e. ſ. p. — Circa hanc rem pulcerrima denuo experimenta, Halesio nondum nota, inſtituit Priestley : *Ap. cit. p.* 88. inter alia ait : „Since the plants that I made uſe of manifeſtly grow and thrive in putrid air; ſince putrid matter is well known to afford proper nourishment for the roots of plants; and ſince it is likewiſe certain, that they receive nourishment by their leaves as well as by their wots, it ſeems to be exceedingly probable, that the putrid effluvium is in ſome meaſure extracted from the air, by means of the leaves of plants, and therefore that they render the remainder more fit for reſpiration.“

Idem teſtatus fuit perſpicax æque *Phyſicus*, ac egregius *Politicus*, *Benjamin* Franklin, in *Epiſtola ad Cel.* Priestley ſub finem addit : „I hope, this will give ſome cheek to the rage of deſtroying trees that grow near houſes, which has accompanied our late improvements in gardening, from an opinion of their being unwholeſome. I am certain, from long obſervation, that there is nothing unhealthly in the

(*) Videndum hic omnino opus æternitati ſacrum, *Elementa Phyſiologiæ Inl.* Halleri. — Ipſe Hales exhalationem 100 hominum ad lib. 243. reduxit. Brown Langrish dixerat, exhalationem 1000 hominum intra 74 dies pedes circiter 71 æquare. Boissier *de* Sauvages vaporem, ex urbibus populoſis adſcendentem ad quatuor circiter pedes, ſeptemque pollices accedere; e. ſ. p.

air of woods; for we Americans have every where our country habitations in the midest of woods, and no people on earth enjoy better health, or are more prolific."

Sequeretur ex his ſua ſponte, quam egregie ſanitati ſuæ conſulant Nobiles, ad ædes ſuas aut hortum, aut plures ſaltem arbores, plantando, ut ſic aërem per filtrum quaſi miſſum, reſpirent.)

Aliud genus emendandi aërem hoc eſt: homo ſanus degit in loco humido, minus ſanus in ſicco: ſuadebo ipſi, ut eligat inferiorem ædium partem ad habitandum & dormiendum. Hygrometra docent, humidiorem eſſe aërem inferiorem ab exhalationibus, & ex aqua aëris, quæ a ſuperioribus deorſum cadit. Si lacunaria & parietes & pavimentum lignea ſint, & deſuper picta, (coloribus oleo inprægnatis) humiditatem magnam conciliant, quia aëris humiditas non inbibitur. At vero, ſi homo erit ſanus, ſuo more in aëre ſicco, minus in humido, dormiat in elatiori ædium parte habeatque cubiculum non pictum; ita ſicciori aëre gaudebit.

Eadem obſervanda regula, quando corpora humida, aquoſa, rigida, ſicca, curanda nobis traduntur.

(Secundum illam tritam legem: contraria contrariis curantur; quam vero non in omni caſu ad litteram accipiendam eſſe, uberius alibi demonſtrabitur.)

Circa aëris renovationem etiam cogitandum. In noſocomiis caſtrenſibus longe plures maligni morbi oriuntur ex aëre non renovato, & miasmate centenorum ſimul decumbentium ægrorum inquinato, quam ab aliis cauſis. Hinc in tali loco, ubi frigus tempeſtatis, aut inanis metus, omnia claudit, tubus paretur, qui in externum aëra pateat, ſub apertura autem tubi ignis ardeat. Aër cubiculi hinc ſemper expellitur foras, &

in-

intrat in vacuum novus aër. Ergo sic semper aër renovabitur; ægri recreabuntur, putrida atmosphæra continuo ablata; causa multorum morborum præcavetur. In locis, ubi tot homines non sunt, ibi facilius potest aër renovari; ita, ut clausis lectorum cortinis, janua & fenestræ per $\frac{1}{8}$ horæ partem mane ac vesperi aperiantur, ut mutetur atmosphæra.

(Circa mutationem ac renovationem aëris prius nonnulla jam fuerunt dicta. — Adferre autem hic paucis juvat historiam febris sic dictæ *nosocomialis*, maligniſſimæ, sane speciei morbi, *febri carcerum* plurimum analogi. — Quum hic locus non sit, integram de hoc morbo conscribendi diatriben, referam inprimis symptomatum syndromen, ex celeberrimo Pringle collectam.

Symptomata, *Inl.* Pringle ait, morbi hujus, si paullatim ingruat, sequentibus absolvuntur: sub initium minores caloris frigorisque reciprocationes, tremor manuum; sensus rigoris brachia occupans; debilitas artuum, adpetitus prostratus; æstus internus; somnus non reficiens ac interruptus; dolor circa sinciput; idearum quædam perturbatio; pulsus celer; lingua alba, sitis tamen non magna; dedolatio.

Quodsi augeatur febris citius, symptomata omnia multo quoque graviora: prostratio virium universalis, nausea, dolor per dorsum productus, dolor quoque magis perseverans, ac major perturbatio mentis cum tristitia quadam: pulsus celerior & variabilis. Sanguis venis emissus adeo ab invicem differt, ut certi quid nunquam inde potuerit prædici: pessima tamen rerum conditio, si in liquamen ex integro resolutus sit. Lotium jam rubet, aut igneo colore tinctum; jam pallet; jam diaphanum est, jam

turbidum, deconpoſitum. Si ægri lecto inhærcant tepido, nec antea diarrhœa adfuerit, alvus plerumque conſtipata eſt; ſi vero frigori ſint expoſiti, uti in noſocomiis campeſtribus ſæpius accidere ſolet, diarrhœa ſymptoma frequens eſt, tumque nunquam critica. In peſſimis caſibus accedit diarrhœa lente ſerpens, conliquativa, ichoroſa, vel & ſanguinea, horrendum fœtida.

Sub initium æſtus mediocris; per decurſum morbi autem, pulſu conlabente, etſi ſub primum adtactum calor non excedens videatur, quin naturali minor, PRINGLE ipſe, aliique plures, ardorem inſolitum perceperunt, in Medici explorantis digito ſenſum quemdam ingratum per minuta nonnulla adficientem. (Id & ego ipſe in variolis confluentibus expertus fui; etſi quidem pro ſymptomate ſemper præſente non propoſuerim.) Cutis plerumque ſicca, & ſubarida, etſi, inprimis ſub initium, ſudores jam breviores, jam longiores adfuerint. Juvamen ſudores tum ſolum adferunt, ſi vel ſub initium morbi accedant, vel ad finem erumpant. Conliquativi rarius hi ſunt, ſed lenes, producti, & per totum corpus æquales. Sudores in univerſum fœtent, ac omnibus, ipſisque ægris, vix non intolerabiles.

Lingua plerumque ſicca eſt, ac ni ad hoc advertamus, cito indurescit, nigrescit, ac ſulcis finditur: ad finem nonnunquam aliquantum emollitur, ac humescit; colore tamen tincta ex viridi flavoque misto. Sitis nunc magna eſt, nunc mediocris. Malo jam multum producto fœtor oris; circa radices dentium ſordes nigrescentes. Ægri nonnulli nunquam delirant; omnibus autem mens multum perturbata, & ſtupor; paucis ad mortem usque præſens mens: multis cito ſatis perditur ob nimiam phlebotomen,

tomen, vel ob intempeſtivum remediorum calefacientium uſum. Somnus paucus; facies, ni delirent, triſtis potius, quam febricitantis hominis. Tarde nonniſi lugubrem, aut valde morboſam, obferunt faciem. Oculi ſquallidi, album ſubrubellum: delirium nunc frequens magis, inprimis noctu: rarius furibundum evadit. Tremor tendinum ſæpius obſervatur, quam ſubſultus. (*) Delirium, tremor, increſcunt, prout pulſus conlabascit; remittunt, prout inſurgit. Auditus ſæpius malus, ſub finem vix non ſublatus. Vomitus, & gravitatis ventriculum obſidentis ſenſus ſymptomata ecquidem ſunt paſſim frequentia; eſſentialem tamen morbi non abſolvunt partem: uti & pleuritis, dyspnoea, & dolores erratici non tam febri ipſi, quam quidem conſtitutioni ægrorum, aut refrigerationi, adtribuendi.

Maculæ exanthematicæ ſæpiſſimi quidem, non tamen individui, morbi ſocii. Maculæ hæ veræ ſunt petechiæ: nunquam ultra ſuperficiem cutis eminent; jam lividæ, jam magis minusve rubræ; exiguæ; discretæ; ſæpius tamen prorſum confluentes; frequentiſſimæ thoracem dorſumque obſidentes, rarius crura & brachia, rariſſime faciem; jam citius, jam ſerius prodeuntes, nunquam criticæ, nec inter ſymptomata lethalia referendæ, ſed aliis pejoribus phænomenis junctæ morbi ſolum adaugentes periculum: quo magis purpureo colore tinctæ, aut violaceo, eo & majus portendunt periculum. Periculoſiores adhuc purpureæ,

(*) In *ſecunda editione germanica* operis *Pringliani tremor manuum* ponitur, ubi in prima fuerat tremor *tendinum*.

pureæ, aut violaceæ pustulæ, ac vibices. Omnia hæc exanthemata subin post mortem nonnisi in conspectum veniunt.

Febris hæc, etsi continuis accensenda, sæpius tamen noctu exacerbatur, insequentibus altera die remissionibus & partes quasdam occupantibus sudoribus. Haud raro, dum diutius adfuerat sibi similis, typum adsumit hecticæ, remittentis, aut intermittentis.

Tempus durationis non idem; malignitati morbi analogum. Vidit PRINGLE intra septiduum, computu ducto ab ea die, qua æger lecto adfixus manserat, morte, aut sanitate terminatum. In nosocomiis plerumque per 17 — 20. dies producta: nonnulli post quatuor primum hebdomadas mortui, aut sanitati restituti. Quodsi morbus diutius, id est ultra 17. dies, duret, terminatur sæpius subpuratione parotidum, glandularumve subaxillarium; quodsi hæc non adfuerint symptomata, verosimile est, abscessus quosdam internos morbo subpeditare fomitem.

Crisi absoluta multi conqueruntur de dolore artuum, agrypnia, capitis debilitate ac perturbatione, vertigine, tinnitu aurium.

Quodsi aër ad summum usque fuerit infectus, malignus, decursus morbi celerrimus, ac intra quinquiduum, aut benigna crisis, aut mors: [observatio tamen hæc in noviſſima editione omiſſa.]

Dantur demum & gradus quidam remissiores morbi, difficilius determinandi, in nosocomiis majoribus, ægris plurimis repletis, nonnisi detegendi: debiliores evadunt ægri, etsi morbus, ob quem in nosocomium fuerant delati, curationem breviorem admittere videatur. Tum diagnostica unice observantur signa, dolores nonnulli capitis, lingua albicans, ad-

adpetitus proſtratus, alia ſymptomata minoris momenti febrilia. — Hæc ex *Inl.* Pringle. Latius circa hanc rem agendi in *Adverſariis Phyſico-medicis* erit locus.

§. 1032. *Aër igitur ſerenus, gravis, temperatus, calidus, & ſiccus, a mediterraneis puris & a fluminibus ſpirans, leni agitatus vento, ſubitarum & magnarum mutationum expers, apricus & ruralis, ab exhalationibus ſalinis oleoſisque defœcatus, optimus in genere ſanitati tuendæ.*

Talis aër a Verulamio & Boerhaavio optimus ſemper inventus fuit ad ſanitatem inlibatam & durabilem vitamque longævam conciliandam.

Verum, utut hæc in genere vera ſunt, vita ſana & longæva ubique fere invenitur, modo adſit temperantia. Nam in humidis æque ac in ſiccis, in calidis æque ac in frigidis, in altis æque ac depreſſis, in mediterraneis æque ac ſecus maria, longævi ac ſaniſſimi reperiuntur. Forſitan, quod laudati magni Viri maximum numerum tulerint ex regionibus, quibus aër plurimis recenſitarum qualitatum donatus adeſſet.

(Non ſolum temperantia, ſed & adſuetudo facit, ut aërem, aut calore, aut frigore, aut humiditate, aliis omnibus noxium maxime inpune ferant, nec fere unquam male exin adficiantur adſueti. Bene hinc monuit *Cel.* Zimmermann, adſuetudinem determinare videri, ratione corporis, ſenſibilitatem relativam omnium partium (*). — Verumtamen tenen-

(*) Adferre liceat ex opere *Cel.* Viri, von der Erfah-

nendum ſimul probe, peſſime acturos, qui, exemplum tale imitaturi, male ſano conſilio, quin fabricæ corporis ſui, temperamenti, ſanitatis, ad morbos varios aptitudinis, morborumve jam corpori inhæ-

---

fahrung, 2. B. S. 619. ꝛc. locum, huc optime facientem:

Durch die Gewohnheit wird die Kälte erträglich. Ich ſehe in den kälteſten Wintern viele von unſern Bauern mit entblößter Bruſt ohne ihrem Nachtheile einhergehen, und, welches noch mehr iſt, ihre Kinder laufen zuweilen, wie der heilige Franz von Aſſis, und die irokeſiſche Heilige, Katharina Tegahkonita, mit nackten Füſſen auf dem Eiſe. Ein würdiger Geiſtlicher hat mir erzählt, er habe eine Stunde von mir Bauernjungen ohne Nachtheile auf dem Eiſe mit nackten Füſſen ſchlitten geſehen. Addiſon ſagt, die Einwohner von Nova Zembla gehen nackend, ohne ſich über die Kälte zu beklagen, in welcher ſie gebohren ſind. Obſchon Boerhaave Leute mit herkuliſchen Kräften des Nachts in dem naſſen Graſe ſchlafen, und in eine unheilbare Gliederſucht verfallen geſehen, ſo haben wir doch eine Menge Bauern in der Schweiz, die aus dieſer Urſache durch die bloſſe Gewohnheit nicht den geringſten Schaden leiden. —

Obſervationes hasce propria experientia confirmare queo. Hyeme ſæviſſima anni 1776. in Sileſia boruſſicæ ditionis degens, ſæpenumeromiratus fui, Infantes 3. 4. 5. 6. annorum circa domus

hærentium &c. aëri temperatiſſimo, cubiculari adſueti dunc ſimul & ſemel, apertiſſimo, frigido humido, produm, celloſo, ſeſe exponere & corpus practice nimis debile, ac fractum, theoretice durare, & ruſticano ſimile reddere voluerint. Quales tamen inconſulti non raro adeo occurrunt, ut fors monitum hoc ſupervacuum videri poſſet; nunquam non aut morbis graviſſimis, aut morte ipſa, facti male concepti pœnas daturi.

Concernit obſervatio hæc & Parentes illos, qui, infantes non delicate adeo educandos eſſe, in Lockii, aliove opere pædagogico, cernentes, illico experimenta cum propriis infantibus inſtituunt; minime denuo adtendentes, an conpages corporis debilis, Parentum peccatis ſæpe nimis ortum debens, labilis aliunde ſanitas, &c. id permittant. Relatus mihi nuper caſus eſt puelli formoſi enteritide necati, quod

---

mus patrias hinc inde curſitantes, ludentes, unico induſio indutos; capite, pedibus, pectore ad umbilicum fere nudos. Nullum tamen membrum gelu adſtrictum vidi; cutim ſolidiorem quidem, quam in otioſis cernitur puellis, non tamen coriaceam adeo, ut craſſitie vicem vestium poſſet obire: manifesto denuo documento, quantum valeat adſuetudo. Etſi vero nunc in cubiculo ad fornacem hærerent, plerumque multum æstuantem, nunc ſupra glaciem, nivem, aut in aqua glaciei proxima incederent, rariores tamen multo dentium dolores, aut rheumata, aut coryzas, aut catarrhos ibidem vidi, quam quidem in ædibus Nobilium, omnibus præſidiis adverſus injurias vel leviſſimas aëris inſtructorum, paſſim deprehenduntur. *De W.*

quod Parentis inperio, ut firmaretur ſcilicet ſanitas, nudis pedibus, tempore frigido humido ambulaverit. — Vix non ſimili fato accidiſſe novi ſæviſſimam omnium poſſibilium rheumatum ſyndromen, dum, HELMONTII exemplum imitaturus homo, adultus quidem, ſed minime firma ſanitate inſtructus, caput aquæ fontanæ ſalienti ſubjiceret. Helleborismo utantur potius male feriati tales imitatores, ſervum pecus. — Omnis ab antea adſuetis receſſus nunquam non, ut jam alias monitum, fiat per gradus inſenſiles, ac ſemper attendatur cautiſſime, quæ ſequantur phænomena, quo & mature ſatis adhuc a novo vitæ genere deſistere, & enato malo, antequam conclamatum evadat, remedium adhibere queamus. Sed hæc nunc ſufficiant!)

§. 1033. *Cibus autem cenſetur optimus ille, qui ſimpliciſſimus &c.*

Docent hoc homines, qui ſani longævique fuere, antequam alimenta multa excogitata arsque culinaria inducta fuerit. (Hæc ſane non eſt ſola, aut potiſſima, ratio longævitatis Protaparentum, orbis ipſius incunabulis magis accedentium; etſi quidem inter alias plures & hanc admittendam, minime negaverim.)

Patriarchæ primæ mundi ætatis, ultra nongentos annos viventes, ſolis vegetabilibus videntur uſi fuiſſe. *v. Genes. c. 1. v. 29.* &c. — Per traditionem videntur Ethnici aliquid hac de re cognoviſſe, ut OVIDIUS I. *Metamorphoſ.*:

— — — — — „ per ſe dabat omnia tellus,
Contentique cibis nullo cogente creatis
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes. “

Ita

Ita primævi vixiſſe ante cataclysmum videntur; nullibi enim legitur de animalibus comestis. Novi quidem, quosdam id ſtatuere, quia ABEL legitur fuiſſe paſtor ovium; verum indigebant homines vestibus, unde forte lanam ovium lavare, & cum certis filis ex arboribus, vel foliis, petitis texere in vestes noverant; vel ut defatigata corpora molliter inponerent, antequam uſum crinium (equinorum) aut plumarum, lapſu temporis didiciſſent. Non enim conſequitur argumentum: fuere antiquitus paſtores ovium, ergo oves comederunt. Nam cygnos, ut inde plumas pro lectis molliſſimis & calamos ad ſcribendum habeamus, non vero ut comedantur, alimus. Forte ſic multa in hiſtoria naturali invenirentur: colimus multa vegetabilia, non ſemper, ut inde habeamus victum, ſed vestitum, ut linum, ut pigmenta, ut ædes &c. ex iis paremus. Maxime autem ovibus indiguiſſe primi Mortales videntur, ut Deo holocausta obferrent, quod patet in ſacrificio ABELIS ipſius. Camelorum in Aſia cuſtodes ſunt, non pro eſu (illos nutrientes) ſed pro uſu in ferendis oneribus. Equorum, ubi copioſi procreantur, ſunt cuſtodes, eos alentes, ut uſum homines inde ad curſus, carpenta, aratrum &c. habeant. Sic, quod ABEL cuſtos ovium fuerit, non demonſtrat, oves ab hominibus comestas: ſacrificia, vestes, decubitus, eas poſcebant.

(Vera hæc ſunt, ſed facile patet, argumenta, hic prolata, parum convincentia eſſe pro theſi ſtatuminanda; ſi nulla alia ratio eſſet, vel ex eo, quod inſtantiæ hic adductæ maximam partem petitæ ſint a talibus rebus, quibus aut omnino non ad victum uti poſſumus; aut quibus palato gratiores ſanioresve ac cibarias magis, plures alias habemus, ut illas facile negligere poſſimus, aut quæ demum præter uſus, queis paſſim ac præcipue adhibentur, in alimentum

quoque cedunt, ſi non nobis, aliis certe gentibus integris, aut hominibus: dudum enim conſtat, ac antea jam innui, quam diverſo per totum orbem victu homines utantur. Adferre ſubficiat in confirmationem adſerti illico dicti, tum & quod aliæ nationes varia cibis adhibeant, quibus & nos abstinemus, & quibus nonnunquam ipſæ meliora habere poſſent, unam ſolum alteramve, ſermonis ornandæ gratia, inſtantiam, ex *itineris relatione Cel.* OSBECK, petitam. Sinæ uſui alimentario adhibent ſcombrum pelamidem, licet caro ſicciſſima, palato minime grata. Carne ſuilla & piſcibus more ſolito, una cum oryza, pro cibis utuntur; rarius carne alia, rariſſime bubula, quam excipit caprina ac ovilla, tum cuniculorum &c.: lepores, aliasque ferinas carnes OSBECK menſis adferri nunquam vidit. Feruntur etiam, ait, Sinæ magno cum adpetitu equorum, canum gliriumque carnes ingerere: maximam partem radicibus, fructibus ac oleribus victitant. Pauperes ſinenſes miſere adeo vitam degunt, ut ſues inortuas ac in mare projectas, poſt aliquot dies ſumma æquoris denuo petentes, avide conquirant. &c. &c.)

Primum vero, quod legimus, carnes animalium hominibus conceſſas, eſt poſtquam mundus ultra 16 ſæcula jam a ſua creatione numeraret, inmediate poſt diluvium, ut patet ex *Geneſ.* 9. *v.* 3.: SANCTI PATRES & *ſacræ ſcripturæ* INTERPRETES optimi credunt, AUCTOREM NATURÆ ideo carnes conceſſiſſe Mortalibus, quod aquarum prægreſſo diluvio ſubmerſa terra debilior eſſet reddita ad generationem, indeque omnes plantæ fructusque ad nutriendum debiliores factas; præſertim eo tempore, quo tota tellus penitus humectata ab aquis eſſet. Immo arbores & herbæ multæ primis annis vix dare nutrimentum potuere; nec potuit limoſa

terra

terra excoli. Animalia autem a Noacho in arca ſervata, ibidemque jam multiplicata, ſubſiciebant, pro nutrimento octo hominum, qui ex tota gente humana ſuperſtites erant. Verum prohibuit Deus, ſanguinem cum carne comedere, procul dubio, ne vivas carnes, ſed mortuas, & ideo exſangues, (*) comederent; quum barbaræ nationes, omniaque animalia, quæ vivas carnes discerpunt, & comedunt, natura ſint crudeliores & homicidæ: immo ex ipſo *Textu l. c.* ſatis patet, hanc Dei intentionem fuiſſe, quum pœnam mortis indictam Noacho diceret illi, quicunque hominem occideret. (**)

(*) Mortuas, & *ideo* exsangues: ex hiſtoria autem tum artis culinariæ, tum rei cibariæ, notum eſt, non omnia animantia, quæ *mortua* cibis adhibentur, ideo & exſanguia eſſe; præcipue, ſi vox hæc ſenſu ſtrictiori ſumatur: inſtantiam inter alia præbent pisces, inprimis minores; tum aviculæ, abs minimæ ſanguinis guttulæ jactura, ſtrangulatione vita privatæ; ut & aliæ, quæ ſtudio ita necantur, ne quidquam ſanguinis pereat, v. c. gallinæ domeſticæ, quæ ut ferinæ carnis ſaporem referant, crudeli plane arte ita necantur, infuſo in œſophagum ferventi aceto cum variis aromatibus plantisque aromatophoris decocto. —

Mitto hic illam quæſtionem, ethico-aſcetico-theologico-phyſicam, ab Haenio pro demonſtrata hic adſumtam: an crudelitas ferarum ſarkophagarum, nationumque illarum barbararum anthropophagarum tremulasque ſub dentibus, ob abiturum demum in ore crudeli vitalem ſpiritum, carnes mandentium, inde repetenda unice ſit, quod ſanguinolentum vivumque devorent pabulum? Mihi ſaltem ratio hæc, ſi quæ ulla alia, explicando

phænomeno insufficiens, hypothetica & precaria videtur: quin vario ex capite sat facile refutatur. —

(**) Multum disceptatum inter Eruditos fuit circa concessum Mortalibus carnium usum. Monetur in ampliſſimo ac eleganti opere: Ueberſetzung der allgemeinen Welthiſtorie [cujus, quum in nostris terris facilius haberi queat, & variis acceſſionibus aucta sit, *germanicam* adduco *editionem*,] 1. B. S. 229. ab AUCTORIBUS ANGLIS, permiſſione manifesta NOACHO post cataclysmum a DEO data, tum & adsignatis, sub mundi exortum, vegetabilibus, ut in cibum cederent hominibus, æque ac animantibus, vix non videri, usum hunc alimentarem carnium antea non fuisse licitum: alios tamen credidisse potius, veniam hanc conprehensam fuisse simul sub inperio illo in cuncta animalia, quo OMNIPOTENS exornaverat ADAMUM. Argumento hic adfertur discrimen munda inter ac inmunda animalia, ante diluvium jam cognitum. Nam ea unice DEO obferebantur vegetabilia & animalia, quibus homines pro cibo & sustentatione optime uti poterant. Discrimen, *egregius* BAUMGARTEN in addita observatione ait, animalia inter pro sacrificiis idonea, vel non idonea, omnino innititur aptitudini eorum, aut ineptitudini pro alimento humano; hinc mediate saltem demonstrat usum esûs carnis antediluvianum.)

Id interim verum, posiquam tellus aliquo post diluvium tempore iterum fertilior reddita erat, homines inventos fuisse, qui solis vegetantibus & sani vixerint & longævi: immo integræ nationes; Indi Philosophi BRACHMANNI, jam tempore ALEXANDRI MAGNI celebres, solis vegetantibus vivunt, usque modo, quæ

supra

ſupra terram, non in ejus ſinu, crescunt; hodieque ad fluvium Gangen magna pars inperii magni Mogolis, ubi Brachmannorum religio colitur, vegetantibus ſolis vivunt.

(Gentivæ, *Cl.* Olof Toreen ait in *Relat. itin. Suratenſis*, aut Ethnici malabarici, ſolo vivunt lacte, butyro ac vegetabilibus; optimo tamen fruuntur corporis habitu; quin & pingue multis cernitur abdomen. — — — Europæis poſt longius iter maritimum Surattam inſulam adpellentibus, carnium eſus liberalior diarrhæas vomitusque ſimul excitat, ut ipſa in discrimine verſetur vita. Fors, ſubdit Toreen, Brama, aut alius quiscunque demum fuerit Malabarorum primus Thesmotheta, carnibus illos abstinere juſſit, quod deprehenderit, cibos tales iis adferre poſſe noxam. Uti & ob rationes inprimis diæteticas Muhammed ablutiones frequentes ſequacibus ſuis injunxiſſe videtur.)

Flavius Josephus, Auctor Judæorum ſæculi primi æræ chriſtianæ, adornavit nobis *Lib.* 18. *Antiquit. judaic.* amplam hiſtoriam *Eſſeniorum*, gentis religioni unice deditæ, incertæ originis, incertæque religionis; ita, ut ex sanctis Patribus alii illos crediderint Chriſtianos fuiſſe, alii ſamaritani ſchismatis, ſaltem heterodoxos. Philon, alius Hiſtoricus judaicus primi ſæculi, quem S. Hieronymus ſcribit Romæ S. Petrum, Apoſtolorum Principem, conſuluiſſe, tradidit nobis *Therapeutarum* hiſtoriam, gentis etiam pluribus ſæculis jam notæ, incertæ quoque religionis & originis, contemplationi divinarum rerum deditæ. — Hæ jam duæ gentes, numeroſiſſimæ, plura per ſæcula perſtantes, vixere ſine vino, ſine carnibus, ſolis modo vegetabilibus.

Sani etiam vixere longævique vegetabilibus ſolis tot inter ſanctos relati viri, ac feminæ, quos ethnicorum Inperatorum in chriſtianam religionem crudelitas, in intimos pulſerat eremorum receſſus.

Fuere, qui putarint, ſolo gramine vivere hominem poſſe, ipſumque in ſeſe experimentum capere voluerunt (qualis prius etiam adducta fuit inſtantia;) diarrhæa tamen, quo minus pergerent, inpediti. Obſervatum eſt in Belgio fœderato, ubi media forte regionis prata ſunt, quia montes non habent, ſi inter gramen multum trifolii ſit, boves non ita diarrhæa adfici, & longe pulcriores ac obeſiores eſſe, quam ubi ſolum gramen.

His tamen herbis vixiſſe hominem patet ex mira obſervatione, communicata a TULPIO, hominis ſylveſtris, ſive Satyri indici, ex Angola, Americæ regione, delati & dono dati Gubernatori Hollandiæ, Principi Arauſionenſi. Figuram ſemihumanam, ſemibeſtiam videre eſt apud TULPIUM. Hic homo non niſi gramine & fœno vixit & aqua, ut BOERHAAVE, aliique Hollandiæ Scriptores teſtantur. (*)

§. 1034. *Qualis habetur omnis quidem, qui deligitur* 1) *ex ſeminibus frumentaceis, farinoſis, bene maturis &c. Panis*, frequentiſſimum & conſuetiſſimum hominis nutrimentum, quo natura humana quam maxime gaudet; quo palato non adridente, morbi deſignantur;

(*) Addidit HAENIUS in margine codicis: „Hominem eſſe, etiam ex patella in genu cognovere, quam ſoli homini, nulli animali, datam eſſe, creditur paſſim.“ *De* H.

tur; quo in morbis iterum ſapido, brevis ſperatur in ſalutem reſtitutio. De præparatione ejus actum eſt in *principio Inſtitutionum medicarum.*

2) *Ex leguminoſis, tam corticibus tenerioribus, adhuc viridibus, aut maturis;* cruda aut matura arte culinaria mutantur, ut nutriant. (Hic nil addo, quum diatriben huc facientem præ manibus habeam, ubi latius excurrendi erit locus.)

3) *Ex oleribus &c., ſi levi coctione in proprio ſucco moriuntur.* Lex hæc ſæpe in culinis negligitur. Solemus v. g. ſuadere homini, ut manducet cichoreum ſeu endiviam coctam; ut alimentum tale ſimul ſit medicamen concreta ſolvens. At vero in culina ſolent hæ herbæ coqui, & abjecta aqua coctionis cum pauxillo butyro & ſale frixari: certe tunc ſunt pelles inanes, ſaltem ſine ulla vi reſolvente. — Hominibus ægre dormientibus ſuademus, ut coctam lactucam capitatam veſperi comedant. In culina coquunt lactucam, aquam abjiciunt, & cum butyro elixant. Vires narcoticas eſſe in lactucæ caule & nervis, demonſtratum eſt. At vero hoc modo parata omnem illam amiſit virtutem. Unde methodus vere parandi eſt, herbas has mundare, conſcindere, lavare & ubi in patina cribroſa aquam emiſere, in ollam eas conjicere, ſuoque proprio ſucco inmori ſinere: ſi tenera herba tunc ad menſam adfertur, habet eas, quas Medicina inde exſpectat, vires.

(Scopo medico ſatisfieri quidem hoc modo ſatis poterit; verumenimvero, ſi nil pinguedinis, nil omnino juris, & juxta *Haenianam* præparationis formulam ne ſal quidem addatur, inſipidum ſane, & fatuum, &, ni ſcopum medicum nunquam non præ oculis habeas, vix comedendum, uti experimentis circa hæc inſtitutis patuit, exſurget ferculum: præterea adustionis magnum inminebit periculum, niſi

Pharmaciæ legibus inſtructa & exculta *coqua* ſit, aut in balneo maris, ampullæ vitreæ inmiſſa lactuca, digeratur potius, quam excoquatur. —)

4) *Ex fructibus;* ſimiliter. (De his quoque plura alibi adferentur.)

5) *Ex ſucco & corpore animalis ſani, junioris, non nimis pinguis;* unde decipiuntur homines in ſuis ideis de nutrimentis; præferunt jus ex crure & pede vituli, juri parato ex macra parte ſuperiori femoris: præferunt jus annoſi bovis, juri junioris: præferunt jus ex gallo veteri (aut, prout obſtetrices noſtræ paſſim maxime commendant ex gallina veteri, quum pro certo abſurde habeant, ſuccum extractum ex gallina utique melius profuturum puerperæ) juri galli junioris. Ratio, cur præferant, eſt, quod jura, quo gelatinoſiora, eo ipſis fortioris nutrimenti adpareant eſſe.

Contrarium tamen verum eſt. Etenim animal, quod eſt in flore ſuæ reſpectivæ ætatis, plus habet ſuccorum nutrititiorum, quam quod origini proximum, aut interitui. In juniori nimis animali ſunt pleraque aquoſa, mucoſa; unde vires paucæ; in vetuſta ætate vaſa concrevere invicem, tendines facti oſſei (ut inprimis in gallis & gallinis indicis paſſim in menſis videre eſt,) & cum ſenio debilitas crescit: ergo, ſi obportunum nutrimentum quæramus, id non ex veteri animali, ſed ex eodem maturæ ætatis erit petendum.

Alius erga nutrimenta error eſt, quod putent multi, nil magis nutrire, quam gelata, ſive gelatinas, paratas ex animalium carnibus: unde apud Magnates hæc tanti fiunt. Verum coctione diuturna, qua hæc parantur, perit illud fragrantiſſimum nutriens, quod in illa coctione reficit, & exhilarat totas ædes. Hoc itaque primum perit, (& vix non in maxima parte coctionum culinarium perit, decompoſito jam, & deſtructo

ſtructo halitu æthereo, reficiente.) Rediguntur dein evaporatione in gelatinam: unde adhuc perit pars alia. Quæ ſupereſt pars nutritia. ea in illa gelatinoſa hæret.

Ergo præſtat, carnes coquere in *machina Papiniana*, in qua omnis vapor, cæteroqui in aërem dispellendus, retinetur; vel ſaltem in vaſe arcte clauſo, ut pereat quam minimum: id quod tamen contra germanorum conſuetudinem eſt, qua omnia vaſis coquunt apertis. (Excipere hinc Haenius debuiſſet præparationem carnium in proprio ſucco, addito ſolum pingui, & aquæ, aut juris, pauca doſi (gedämpftes, oder gedünſtetes Fleiſch,) ubi vas nunquam non operculo tectum manet; quin & paſta farinacea operculum vaſi ſæpius adnectitur, ne quid vaporum pereat.)

D. Geoffroy junior, in *Act. Acad. Reg. ſcient. Paris.* 1730., publici juris fecit experimenta, quæ circa confectionem gelatinarum ex variis carnibus inſtituerat; invenit in carne vitulina adeſſe materiæ gelatinoſæ majorem partem, quam in bubula, in ovilla majorem, quam in vitulina; in pullo majorem, quam in vitulina carne, bubula & ovilla; in gallo veteri omnium maximam. Sed hæc nihil demonſtrant pro nutritione; quum his tantum patefiat copia gelatinæ, non copia materiæ nutrititiæ: quæ gelatinæ teneris vaſis indomabiles hominem tantum onerant, non nutriunt, (& ſæpenumero in glutinoſo ſpontaneo, acrimonia alkalescente, viscerum atonia &c. plurimum adferre queunt detrimenti.)

Non modo ex carnibus animalium quadrupedum, aut avium, ſed & ex *piscibus* nutrimur. Falſa eſt eorum opinio, qui pisces tantum gluten generare dicunt, non nutrire. Herodotus *l.* 3. de nationi-

bus ſcribit, quæ piscibus paſſim nutrirentur. DIODORUS SICULUS ſcribit, ICHTYOPHAGOS (comeſtores piscium) vitam totam ſine morbis vivere. Dantur tales quoque etiamnum nationes inter Æthiopes & Lappones. (*Hiſtoire générale des voïages* hac occaſione denuo adduci meretur.)

Amphibia, ut ranæ; *inſecta*, ut locuſtæ, quibus vixiſſe S. JOANNES BAPTISTA in *Evangelio* legitur; (*) *Cruſtacea*, ut oſtreæ, mytuli, cancri, teſtudines, &c. &c.

Lac

(*) Circa *locuſtarum* harum naturam plurima ab Eruditis fuerunt disceptata; nec tamen, quid locuſtarum termino hic denotetur, adhucdum ſatis adparet. Copioſa adtulit *Cel.* CALMET, *Commentar. literal. in omnes libros vet. & nov. teſtamenti. Tom. VII. Edit. Aug. Vind.* 1760. *fol.* Monetur ibi inter alia, nonnullos dixiſſe, locuſtas quibus vescebatur JOANNES, non animalia fuiſſe, ſed extremitates herbarum, vel arborum. Teste S. EPIPHANIO EBIONITÆ vocem hanc ex Evangelio ſuo eraſerunt, ne JOANNES carnibus vesci ſolitus fuiſſe crederetur. Qui credunt, BAPTISTAM pro cibo habuiſſe arborum gemmas, ingentem adſeclarum numerum nacti ſunt. Neque res, CALMET ait, omnino fide caret. Sarmatæ, ſeu Germani arborum gemmis alebantur, & aqua manibus hausta, uti adhuc ſolent Encratitæ, inquit *S.* CLEMENS ALEXANDRINUS, *l.* I. *Stromatum.* Primos homines deſcribit OVIDIUS *faſt. l.* 4. herba ſolummodo victitantes, & teneris arborum frondibus.

Et

Lac animalium; feminæ, aſinæ, capræ, vaccæ: eſt lac jam proxima nutritioni materies. Eſt enim nutrimentum ſumtum ab animali, quod per ejus viſcera jam transivit, & inquilinum ipſi fieri cœpit; ita ut, dum in corpus humanum transeat, cumque ejus

---

Et modo carpebant vivaci cespite gramen,
Nunc epulæ tenera fronde cacumen erat.

Plura adferuntur exempla, hominum, ac nationum, hoc obſonii genere victitantium; quæ compendii cauſa praterire liceat.

Brocardus & *Jacobus* de Vitriaco nimis leviter crediderunt, eas, quas Matthæus locuſtas nominat, herbas eſſe ejus nominis, quæ Monachis illius regionis in cibum pararentur. — *Eugenius* Rogerius *l.* 1. *p.* 214. ait, locuſtas hasce pomum eſſe, ſanguineo colore, forma ſiliquæ fabaceæ, ſapore dulci, ceu panis aromatici, adſtringentis naturæ. — Putavere Nonnulli, Baptistæ cibum fuiſſe marinos cancros, quorum græca adpellatio ſimillima eſt græco nomini locuſtarum. Alii agreſtia poma Baptistæ tribuunt. Theophylactus & Euthymius ajunt, Evangelii vocem a nonnullis de *Melagra* herba explicari, ab aliis de nucibus & pomis agreſtibus. Cratebullus, aliique Nonnulli cenſent, illum vesci conſueviſſe iis arborum ſiliquis, quas Itali *carubas*, Galli *carouges* nuncupant; quibus ventrem inplere cum ſuibus optabat filius prodigus.

Quorſum vero, Calmet demum ait, difficiles interpretationes loci maxime perſpicui con-

ejus ſaliva, ſucco gastrico, enterico, pancreatico, bile in lactea intraverit, cito abeat in nutrimentum. Sanum hominem eo poſſe victitare, patet ex hiſtoria hominis ruſtici, pancreatice valentis, & ſolo lacte vaccino pro omni nutrimento utentis, apud *P.* FORESTUM, *Tom. I. lib. 4. obſ. 5. in Scholio.*

Pars maxime nutriens lactis illico avolat (tanto magis, ſi lac, uti plerumque ſolet, antequam adſumatur, ſupra ignem decoquatur): eſt ea, quæ, ſi lac calens ex ubere miſſum probe texeris in vaſe amplo, operculo copioſe adhæret. (Bona venia *Cl.* DE HAEN dixerim, adhærentem illam copioſe operculo

---

conminiſcimur? Locuſtæ cibus ſunt maxime vulgaris, ſimplex, maxime obvius, nullo negotio, aut inpendio parabilis: id vero optime convenit vitæ inſtituto, quod BAPTISTA ſervabat. Locuſtis ille vescebatur, & melle agreſti; cætera ciborum genera ignorabat. Arctus adeo erat cibus, ut illum a Dæmone obſideri dictitarent Judæi, LUC. *XV.* 16. Quum hæc ita ſe habeant, quorſum tot discrimina? Hæc CALMET.

BRUYERINUS, *de re cibaria, l.* 13. *c.* 47. locuſtas, BAPTISTÆ cibum, cicadas fuiſſe, ratus eſt. — Circa hanc quæſtionem videndus etiam *Cel.* HASSELQUIST Reiſe nach Paläſtina ꝛc. qui etiam ſub locuſtis inſecta intelligenda eſſe, latius expoſuit. Plura autem de his adferendi locus erit in antea adductis *Anecdotis rem medicam inluſtrantibus, ex Itineratorum celeberrimorum relationibus excerptis.*)

culo ſubſtantiam magnam partem nonniſi laticem aquoſum eſſe: ut hoc adſerere queam, experimenta adcuratiora, circa hanc rem inſtituta, docuerunt: interim tamen verum eſt, partem *reficientem* volatilibus atomis multum abſolvi.) Hinc infantes plus habent nutrimenti, dum ubera ducunt, quam ſi lacte, prius emulcto, cochleatim nutriantur. P. Forestus, *L.* 4. *obſ.* 10., refert, ſe ipſum vidiſſe Bononiæ hominem 29 annorum, marasmo confectum, a ſuo præceptore Elidæo uſu balnei emollientis, inunctione corporis quotidiana ope olei amygdalini, & decubitu cum ſana, pulcra, juvencula nutrice, cujus lac ex uberibus ducebat, ita reſtitui cœptum, ut præſente Foresto conquereretur de naturæ viribus ita inſurgentibus, ut in Venerem irritari ſe ſentiret: quam ob rem a decubitu cum femina prohibebatur; ſed lac ex uberibus ejus exſugere continuabat, & paullatim convaluit. — Similis hiſtoria apud Capivaccium eſt. (*Inl.* van Swieten in Cæsarea familia manifeſtiſſimo exemplo evicit utilitatem lactis ex uberibus nutricis ſucti. Res notior, quam ut latius hic exponerem.)

Male ergo agunt omnes, qui ad maraſmum curandum jubent, ut æger lac recens mulctum bibat: avolat enim ſic illud tenue, nutriens. At vaccam, vel capram, aut aſinam oportet ad ædes ducere, quam proxime ad ægrum fieri poteſt, tumque, mox ubi lac emulctum eſt, ægro bibendum dare.

Pejus adhuc agunt, qui, ubi infantes lacte vaccino nutriuntur, lac coquunt: parum certe tunc de virtute nutriente ſervat; hæc enim cum parte ſeri avolat, & relicta parte caſeoſa & butyracea lac ſpiſſescit & onerat infantem; nutrit quidem, ſed non ita, ut aliter.

Se-

Serum lactis habet aliquam nutrientis partem in se, quæ sero quasi inhærens manet. Eo per semiannum vixit BOERHAAVE, dum anno 1723. rheumatismo diro laboraret.

(Lacte mero Veteres usi memorantur & herbis
Sponte sua si quas terra ferebat opes.
OVID. *Fastor. l. IV.*

Ex indole nutriente lactis considerata nemini non perspicuum evadit, *Cl.* DOORSCHODT, *Diss. de lacte* ait, quare nonnulli populorum, inprimis autem Helveti, qui lac unice in deliciis ejusque usum frequentissimum habent, in tantam excrescant corporis proceritatem, ut vix ullam Europæorum gentem dignitate corporis habeant superiorem. —) PLINIUS, TACITUS, JUSTINUS, CÆSAR, SALLUSTIUS, memorant, solo lacte multos diu vixisse, & GALENUS, *l.* 5. *de sanitate tuenda*, *c.* 7. mentionem facit viri, qui ultra centum annos vixit, solo lacte nutritus. — In Hollandia & locis septemtrionalibus, in Frisia quoque, multi solo potu lactis, loco cerevisiæ, contenti sunt.

(Nectere hic non oberit, quum nondum in unum lecta repererim, & *Praxis* etiam *medica* inde deducere queat vario sub respectu utilitatem, *tentamina* notatu digna a VIRIS CELEBERRIMIS *circa unionem lactis humani cum præcipuis salibus acidis & alkalinis instituta.* (*)

§. 1. Miscuit *Cel.* BERGIUS, Abhandl. der königl. schwedischen Akademie der Wissenschaften ꝛc. auf das Jahr

(*) Ampliorem multo lactis in universum considerati, cum salibus hisce misti historiam chemicam dedi in medizinisch-physischen Sammlungen 1. B. 1782. Wien, bey Jos. Gerold, §. 1—93.

Jahr 1772. (*) lac nutricis, (quæ, ob anni tempus, recentibus quidem vesci non poterat vegetabilibus, victu tamen ex cibis vegetabilibus & animalibus misto utebatur) ex mammis nunc eductum, tepidum, cum *ſpiritu vitrioli*: nil inde mutatum.

§. 2. Repetiit idem tentamen cum eodem lacte ad ebullitionis gradum calefacto: nec hic ſequuta mutatio; tamen adeo acidum, ut paucæ ſolum guttæ dentes notabiliter redderent hebetes.

§. 3. Cum eodem lacte mistum *oleum vitrioli* nil mutavit.

§. 4. Idem eventus, dum lac hocce ad ebullitionis gradum calens adhiberetur experimento.

§. 5. Repoſuit inſuper *Cel.* Bergius lac humanum per diem, ſeparavit in ſuperficiem emiſſum cremorem; miſcuit dein lac, tum frigidum, tum calidum, cum *ſpiritu vitrioli*; nec hic mutatum quid.

§. 6. *Oleum vitrioli* mistum cum lacte humano frigido durante miscela nil mutavit, in tentaminibus *Cl.* Volte-

(*) Hac occaſione præmonuiſſe non oberit, omnia, quæ ad rem medicam, tum quæ ad Chemiam facientia in Actis hisce continentur, inde excerpta ſeorſim me editurum: quum ſatis ſuperque ſciam, ab ipſo operis hujus pretio rationem eſſe deducendam, cur in manibus juniorum Medicorum non frequens adeo occurrat, quam quidem maxime mereretur. *De W.*

TELEN, *Diſſert. de lacte &c.*: nec, elapſis horis 24. coagulatum lac; in ſummitate ſtratum cremoris, color non mutatus; ſub miscela enatus tepor liquidi, una cum vapore quodam, bullulis aëreis ſtipato.

§. 7. In alio tentamine VOLTELEN decoctioni ſubjecit lac humanum mistum *acore vitrioli*. Minor *ſpiritus vitrioliei* doſis hic denuo nullam excitavit mutationem: addita aliquanto major: nunc ortus in lacte color fuscus, & ſub finem nigrescens (*). Seceſſit tamen ſtratum cremoris: grumuli nonnulli exigui, coagulati, ſub ſtrato venerunt in conſpectum.

§. 8.

(*) Colorem hunc in meis tentaminibus nondum vidi — Cæterum, ut hoc per transennam moneam, notatæ fuerunt ab Auctoribus degradationes variæ eorum in lacte tum humano, tum animantium. Sic adductum lego lac vix non nigrum, fuscum, ſulphureum, croceum, luteum, plumbeum, ex nigro cæruleum, virescens e. ſ. p. Omnia autem hæcce phænomena plerumque præternaturalia, morboſa cenſenda; ſigna & effectus morbi cujusdam in corpore delitescentis. — *Cel.* VIGER retulit obſervationem de lacte roſeo, ex utraque mamma ſtillante, V. *Lettre ſur une couleur de roſe, que prenait, au bout de quelque tems, le lait, qui coulait de la mamelle d'une nouvelle accouchée. Mintes.* 1771. Vidit, elapſo aliquo tempore, idem phænomenon; nunc vero lac roſeum ex dextra ſolum fluxit mamma; nec illico adparuit roſeus color. An non ratio deduci forſan poſſet a globu-

§. 8. *Cel.* Hahn miscuit cum lacte humano eam quantitatem *acidi vitriolici*, ut ſapor enasceretur acidus ac ingratus. Non tamen in coagulum ductum lac, etſi tepidum factum, ac ſub finem omnino decoqueretur. Elapſis horis 24. ſumma petiit ſtratum cremoris; ſerum vix non diaphanum; ad fundum nil coaguli.

§. 9.

---

bulis ſanguineis, lacti præternaturaliter admistis? — Rati fuerunt nonnulli Auctores, ipſum animantis, ex quo lac petitur, colorem facere quid poſſe ad colorem lactis: opinio tamen hæcce falſo nititur prorſum fundamento. *Egregius* Hall, Auctor operis œconomici *a compleat body of husbandry &c.* bene obſervavit, ſententiam vix non in univerſum a ruricolis receptam eſſe, vaccas rubras, præbere lac optimum, nigras autem præcipue aptas eſſe propagationi, quum, ut ajunt, vituli vaccarum nigrarum plerumque pulcriores ſint, ac meliori ſanitate inſtructi, a vaccis rubris prognatis: interim tamen, proſequitur *Cel.* Hall, experientiæ hoc ipſum non deprehenditur conſentaneum, ſed error potius eſt, quem ſibi ipſi formarunt ruricolæ: dudum lac vaccæ rubræ ceu optimum pronuntiatum; vitulus autem vaccæ nigræ in proverbium nonniſi fuit receptum. Cultura rem omnem abſolvit, non color pilorum animalis. Hæc *Cel.* Hall. — Majorem ſane influxum, ut ita dicam, habent alimenta, aut aliæ, tum caſu fortuito adſumtæ, tum conſulto exhibitæ, ſubſtantiæ in lactis *colorem*; nam de hoc ſolum nunc eſt quæſtio. Rubescit, v. c. *rubia tinctorum. Cl.* Young, *Diſs. de lacte &c.* hora octa-

§. 9. Eadem, quæ nunc adduxi, phænomena in alio experimenta obvenerunt etiam *Cel.* VOLTELEN.

§. 10. *Acidum nitri* additum lacti humano, nuno mammis educto, nullam adtulit mutationem, notante *Cl.* BERGIO.

§. 11. In lacte eodem ad ebullitionem calente *acidum hoc ipſum* coagulum excitavit flavum, ſpumescens, mollius. *Cel.* BERGIUS.

---

va vespertina emulgeri curavit vaccam ad ultimam usque, quæ prodiret, guttam; ſequenti die mane ac vesperi factum idem. Lac hocce in naturali ex integro deprehendebatur ſtatu; copía ſolum a libris quinque ad tres deſcendit. Per totum hoc temporis intervallum nullum vaccæ exhibitum fuit pabulum, ſed nec potulenti quidquam. Nunc vero datus potus ex aqua, furfuribus, & unciis ſex *rubiæ tinctorum*, quem avide adſumſit. Poſt horas 12 nil adhuc in lacte mutatum; horis autem elapſis 24. ſaturate rubrum. — Alteri vaccæ per horas 12. negatum pabulum, tum exhibitus potus ſimilis; eadem uti prius lege. Die Lunæ, hora octava vespertina accepit uncias 3. *rubiæ*; die Martis ac Mercurii mane ac vesperi; die Jovis ac Veneris ter, die demum Sabbathi mane eamdem doſin. Dein autem potum hunc non ultra adſumſit. Poſt horas 36. primum adparuit in lacte color ruber; dein ſat intenſus: perſtitit etiam per decurſum unius ſeptimanæ, dum vacca rubiam nullam amplius acceperat. — Ab *opuntia* quoque lac rubro colore tinctum, uti in *Vol. XLIX. Philoſophical Tranſactions* refertur: quin & a *conſerva kermeſina* idem in lacte phænomenon fuit notatum; e. ſ. p.

§. 12. Lac, ad ebullitionis gradum calens, mistum cum *acido nitri*; miscela per quinquiduum repoſita, intacta: natum coagulum cæruleum, ex cæruleo griſeum. Bergius.

§. 13. Miscuit *Cl.* Voltelen lac humanum cum *aqua forti*, miscelam inpoſuit igni: adſcendit ſtratum cremoris denſum, coloris aurantiorum, elapſo aliquo temporis intervallo grumuli flavicantes in ſero diaphano, pallide flavo.

§ 14. *Spiritus ſalis* lac humanum, a corpore calens, non adfecit. Bergius.

§. 15. *Nunc dictum acidum* lac idem, ad ebullitionem calefactum, ſub initium jam ebullitionis coagulavit. Repoſitum per diem lac; tum ablatus cremor, & cum lacte reliquo idem inſtitutum tentamen; ſed nunc idem pariter effectus: coagulum, firmius. Bergius.

§. 16. In lacte humano cum *ſpiritu ſalis* misto, ac per quinquiduum repoſito, albus coaguli color non mutatus. Bergius.

§ 17. In alio tentamine *ſpiritus ſalis* additus lacti humano recenti, nunc ex mammis educto, nulla ſubſequente decoctione: coagulum non fuit enatum; elapſis diebus quinque in ſummitate ſtratum cremoris. Bergius.

§. 18. *Acidum ſalis* lac humanum ex integro coagulavit: color flavicans. Voltelen.

§. 19. Admistum lacti humano, nunc ex mammis mulcto, *oleum tartari per deliquium*, nil, (uti nec in meis propriis experimentis,) exin mutatum. BERGIUS.

§. 20. Idem tentamen repetitum cum lacte humano, ebullitionis gradu calens ab igne remotum flavum erat; versus color sensim in flavo-virentem: cremor nullus, odor uti a caseo recenti. IDEM.

§. 21. Lac humanum ebulliens mistum cum *oleo tartari per deliquium*; repositum per quinquiduum; color exortus denuo flavo-virens. IDEM.

§. 22. Cum *oleo tartari per deliquium* remistum lac humanum, non adfectum. VOLTELEN.

§. 23. Nec adfectum *a solutione cinerum clavellatorum vulgarium*. IDEM.

§. 24. Cum *nunc dictis salibus* (§. 22. 23.) decoctum, factum flavens, sensim magis rubrum, (*) demum fere nigrum, nil caseosi: in superficie stratum cremoris. IDEM.

§. 25.

(*) Dixerat MACQUERUS, colorem rubellum in lacte ab addito *sale alkalino* productum, oriri ab unione salis hujus cum parte pingui, seu butyracea, lactis (*Les alkalis fixes - - - donnent au lait une couleur rousse, tirant sur le rouge; ce qui peut venir, de ce qu'ils attaquent la partie grasse.*) Negari ecquidem non potest actio salis alkalini in par-

§. 25. Adſervavit VOLTELEN miscelam hanc per annum integrum: nati demum grumuli exigui: ſerum hemidiaphanum, fuscum: adfuſo *oleo vitrioli* efferveſcentia magna; fundum petierunt flocculi griſei, craſſiores.

§. 26. *Cel.* HAHN obſervavit eadem phænomena: ſerum ſolum non erat fuscum, ſed ſaturate rubrum, diaphanum.

§. 27. *Lixivium plogiſticatum* in lacte humano frigido nullam produxit metamorphoſin. VOLTELEN.

§. 28. Per decoctionem lac hoc ipſum (§. 27.) redditum flavum, rubrum, demum fuscum; elapſis horis 48. ex integro nigricans; pars caſeoſa tandem descendit ad fundum; medium tenuit ſerum nigrescens; ſumma obduxit pellicula flavo-rubra, tenax. IDEM.

§. 29. *Lixivium ſaponariorum* lac humanum ne quidem accedente calore leniori coagulavit: elapſis ho-

---

partem lactis oleoſam: ultima tamen expoſitionis ratio coloris rubentis, aut rubri inde nondum patet: quum præterea in miscelis per omnia ſimilibus color analogus non extricetur, aut producatur. Crediderim itaque expoſitionem hanc hypotheticam potius eſſe. Fuerunt Phyſiologi, ipſum ſanguinis colorem ex tali unione partium oleoſarum cum alkalinis exponentes: aſt dudum fuerunt refutati. — *Salia alkalina* etiam non ſolum *pingue*, ſeu *oleoſum*, ſed & *mucilaginoſum* partim adgrediuntur principium.

ris 24. vix non totum tamen decompositum : in summo cremor : huic subjectum serum fuscescens. IDEM.

§. 30. *Aqua calcis recens* lacti humano admista; miscela igni inposita ; lac flavescens, nonnihil coagulatum.

§. 31. *Spiritus cornu cervi* lac humanum a corpore tepidum non mutavit. BERGIUS.

§. 32. Nec mutavit lac idem ebulliens. IDEM.

§. 33. Idem phænomenon (§. 31.) a *spiritu salis ammoniaci* admisto lacti. (§. 31.) IDEM.

§. 34. Instillatus *nunc dictus spiritus* lacti (§. 31.); miscela ad ebullitionem calefacta; coagulum nullum; color cinereus. IDEM.

§. 35. Miscela lactis cum *spiritu cornu cervi* ad ebullitionem calefacta, per quinquiduum reposita, inmutata; secessit solum, more solito, stratum cremoris. IDEM.

§. 36. Cum *spiritu salis ammoniaci* repetitum idem (§. 35.) tentamen : color natus griseus ; in summitate cremor. IDEM.

§. 37. *Spiritus salis ammoniaci vulgaris & calcis ope paratus*, lac humanum non adfecerunt ; etsi protractior accessisset digestio ; color mansit lacteus. VOLTELEN.)

Quo & ova referuntur ; maxime albumen : est in ovo duplex albumen. Si putamen (testam) penetres tenui

tenui foramine, atque membranas externas, effluit albumen: ſi prudenter tunc aperias, vides albumen aliud quaſi concluſum manere. Utrumque hoc albumen cedit in nutrimentum pulli a primo conceptu ad diem decimum ſeptimum, decimum octavum usque; tunc eſt conſumtum, & explet pullus fere totum ovum. Vitellus vero pendet juxta inteſtina pulli, quæ inteſtina pendent extra ejus abdomen; hoc utpote nondum clauſo: poſtremis diebus adſumuntur intra corpus inteſtina cum vitello & abdomen pelle (cute) obtegitur. Pullus in lucem editus primis diebus tenerioris rostri, quam ut alimenta multa ſumere poſſit, nutritur illo vitello: ut enim ex albumine ſtriæ albæ, tanquam vaſa (ergo annon vera vaſa?) duxerant albumen, incubatione adtenuatum, in vaſa pulli, ita & in vitello fit.

Ergo albumen ſubtilius eſt nutrimentem, quo ex minimo punctulo crescit pullus: vitellus tantum fit illi nutrimentum, dum jam in lucem venit.

Albumen vero ovi aqua tepida, aut leviter calente, diluendum eſt, quia nimis alias tenax, quam ut ingrediatur vaſa: non id nimis calente fiat aqua, nam coagularetur. Vitellus proxime ſequitur albumen vi nutriente. Videte Harvæum in *Exercit. de generatione animalium*, ut & Malpighium, (& *Inſt.* Hallerum.)

(Analyſin phyſico-chemicam ovi cum omnibus ſuis conſtitutivis partibus conſiderati in peculiari diatribe, operi periodico *Cel.* Baldinger: Neues Magazin für Aerzte, inſerta propoſui.)

§. 1035. *Alimenta dura, ſicca, craſſa, ponderoſa, fæculenta proſunt his, quibus ſunt valida viscera.* Ὡς ὁ πονος καὶ ἡ τροφὴ, inquit Hippocrates. Si duro aratori jura carnium dederis, intra horam præ debi-

litate concidet; nam HIPPOCRATES ait Aph. 2—18. „ Eorum, quæ confertim & celeriter nutriunt, celeres etiam fiunt egestiones.“ Perſpiratione ſola fere totum nutrimentum in valide laborantibus perit intra paucum tempus. Si vero carnem bubulam, ſale maximeque fumo induratam, vel ſimiliter paratum lardum dederis cum pane atro, aptus manebit ſuis laboribus. Habebunt ejus viscera, in quæ diu operentur, & unde continuo nutrimenta educant. Ex obpoſito, ſi dederis talia homini debilia viscera vasaque habenti, onerabis eum, ut febricitet: huic jura carnium, lac, ova, eo, quo mox deſcripſi, modo porrigenda.

Magnus HIPPOCRATES hanc regulam ita poſſidebat, ut quoque vellet, Medicum in morbis etiam acutis ad hæc reſpicere oportere, quia viscera hominum fortium, ubi a morbis reconvalescunt, ſunt adſueta nutrimentis fortioribus; quare non bene vires recuperant a tenuiori alimento. *V. Aph.* 2—50.

§. 1036. *Illis vero, quibus viscera debilia, difficilis digestio, vita quieta, ſedentaria, otioſa, proſunt cibi arte, vel natura, ſimillimi chylo diluto;* unde Eruditi, vitam in muſæo paſſim colentes, ſi mollem diætam aliquando mutaverint in duram, poſt prandium hebescunt, anguntur, ſomnolenti ſunt, per aliquot horas; ſi velint hæc vincere & poſt menſam ſtudia repetere, coacervant ſibi obſtructiones & melancholiam, infarctis visceribus abdominalibus.

§. 1037 *In temperie alkalescente conducunt acescentia; in acescente proſunt alkalescentia;* ſi ſanitas Utrisque adeſt, & inclinatio temperamenti in variam acrimoniam, regulæ diætæ & delectus nutrimentorum petantur ex iis, quæ acrimoniæ præſenti ſunt contraria:

vi-

videbimus materiem utriusque postea in Methodo medendi. (Tenendum simul, non solum quoad alimenta regulam hic datam obtinere, sed & quoad reliqua, diætam concernentia: sic v. g. humorum indole alkalescente laborans non solum alimentis utatur acescentibus, vitetque alkalina, sed & jejunus non diu maneat, & a corporis motu nimio, inprimis tempore æstuoso, abstineat; quum his omnibus peccans vitium foveatur, augeatur.)

§. 1038. *Ex quibus paucis tota ratio delectûs, copiæ, præparationis, alimentorum peti potest; si modo prius cognoveris Usuri viscera, humores, temperiem, ætatem, sexum, vitæ genus, studia.* Unde convincimini, vanitatis omnium regularum diæteticarum, quibus Schola Salernitana, Schola dicta Galenica, definivit bonitatem, aut pravitatem, alimenti. Nihil in genere fere sanum, aut insalubre, ex eduliis omnibus, nisi cognoscantur ejus, qui illa adsumturus est, temperies, viscera, humores, consuetudines, ætas, sexus, vitæ genus.

(*Delectûs*; qui nunquam non adcommodetur Usuri viribus, idiosyncrasiæ, vitæ generi, adsuetudini. Vegetabilibus v. c. diu, aut vix non semper, antea usus pro alimento, facillime male habebit a carnibus; præcipue dum alkalinæ magis sunt indolis, aut in loco ille versetur morbis putridis magis obnoxio, aut corpus multum moveat, e. s. p. Patet hinc sponte, & climatis, & ætatis, & temperamenti rationem plurimam habendam esse, dum victûs diætæque leges aut nunc primum condendæ sunt, aut mutandæ: patet, quodsi, v. c. duo homines ejusdem, quantum quidem fieri queat, per omnia temperamenti, ætatis, sanitatis, vitæ generis, Vindobonæ a multis annis

eodem victu, diætaque uſi, nunc urbem hanc, derelinquant, unusque Novam Zemblam, gelu horridam, petat, alter ardentes Congoan regni arenas, diverſa longe quemvis uti debere diæta, ut ſanitati conſulat, quantum in ſuis ſaltem ſit viribus: majus, patet, in ſanitatis rationem redundaturum fore discrimen, ſi & inſueto antea, & climatis malignitatem augenti vitæ generi dicentur, e. ſ. p.)

(*Copiæ*; de hac mox recurret ſermo.)

(*Præparationis*; adtentionem Medici hæc vario ex capite meretur & exigit; nam non ſolum alimenta plurima, quin accedat præparatio, in uſum alimentarem cedere omnino nequeunt: ſed & præparatio, ut in multis caſibus idoneos primum reddit cibos nutriendo corpori, uti in variis indolem corporum malignam, quin & venenatam domat, ac innoxiam ac ſalubrem reddit; ſic & in non paucis graviora excitat detrimenta, tum omnibus in univerſum ſubjectis, tum ſpecialibus quibusdam, vi fabricæ corporis, craſi humorum, vitæ genere, morboſa peculiari indole &c. exceptionem ab lege generaliori adferentibus — Aromata condimentis inſerviunt paſſim; aſt exſulare debent, aut moderatiſſime ſane adhiberi, dum cibus parandus eſt plethoricotato, epileptico, palmo cordis, menorrhæa, lochiorum fluxu arythmo, excedente, &c. laboranti. Spirituoſi potus vario artificio conpoſiti omnes ſpecies, ad ipſum usque *Punch*, quem multi ab additum citri ſuccum pro refrigerante habent erronee, hisce plus omnino oberit, quam proderit. Macilento acetaria cibique alii, aut multo ſale, aut aceto, aut aromate conditi, aſſati, augent maciem cum acrimonia humorum; plures morbi ciborum præparationi adeo debent ortum, ut plane non queant debellari, quin illa prorſum mutetur.

Be-

Bene hac ex ratione obſervavit *Inl.* MONTESQUIEU, Religioſorum quorumdam ordinum fundatores medico-diæteticas minime conſideraſſe, quum talem præſcripſerint victus rationem, qui ſcopo præfixo potius obſit, quam faveat. — Herniæ, obſervante BOERHAAVIO, multis Monachis ideo unice familiares ſunt, quod plurimum olei abſumant; quo laxiſſima redduntur vaſa, & viscera, quorum integerrima actio requirit plurimum elasticitatis & toni. Variolæ pesti analogam in Grœnlandia ediderunt ſtragem, illuc ex Dania delatæ, ægros tertia die jam Ditis tradiderunt inperio; necratio ulla alia patuit, quam humorum ſumma corruptio & alkalescentia, piscium eſui continuo, pinguedinisque eorum potui debens ortum. —

Inſignem locum, dum de præparatione ciborum ſermo eſt, obtinent vaſa, quibus in culinis &c. utimur, & ex quibus indoles noxia valde ac deleteria in ipſos redundare poteſt cibos ac potus, ænea inprimis, aurichalcea, cuprea, plumbea, ſtannea quoque, niſi puriſſimum receptum fuerit, etſi nullum fors ab arſenico plane inmune ſit, ut ex *Marggrafianis* fluit experimentis. Tot in ſcriptis Medicorum, & Ephemeridibus publicis jam adnotata fuerunt exempla tragica, his ex fontibus nata, ut vel hanc ſolam ob rationem ſupervacuum rear laborem, theſin aliunde certiſſimam latius demonſtrandi. Legenda hic ſuadeo pulcra ac magno labore conpoſita ſcripta, quæ *Cel.* GMELIN circa venenorum hiſtoriam nuper edidit.

Per ſe patet, huc etiam referendas eſſe fraudes illas, graviſſimis pœnis dignas, queis inpoſtores cibos aut potus corrumpunt, inficiunt; uti v. g cucumeres, cupri ope viridi colore tincti; acetum variis, ma-

magis minusve venenatis, ex regno vegetabili aut minerali petitis redditum acrius; inpoſturæ ac mangonia circa vinum ac cereviſiam exerceri ſolita, e. ſ. p.)

§. 1039. *Copia cibi optima cuique, quam ſequitur ſenſus refectionis, non torporis. Tutior ſobrietas, ſed debilibus; exceſſus melior, ſed robuſtis.* Aurea ſane regula, & bene obſervanda. Quid opus eſt, corpus explere, ut ultra excipere recuſet, dum interea homo per horas languet, ac ſenſim ſibi coacervat cruditates? Senſim iis, qui hoc vitio laborant, ſuadetur, velint hoc per partes mutare, donec eo pervenerint, ut a menſa parum torpeant, atque poſt meridiem, pauco poſt paſtum tempore, æque ſint ad agendum ſtudendumque agiles, quam ante prandium.

Ait SANCTORIUS, *Aph.* 3—36.: „Illa cibi quantitas eſt ſaluberrima, dum a cibo corpus ſuis negotiis eadem agilitate vacat, ac ſi eſſet jejunum.“ Sed copia inæqualis maxime eſt in diverſis. Unus duplo indiget, ut ſanus maneat; alter ejus media parte ægrotat; certa menſura non datur, nam *Aph.* 3—37. „Illa cibi copia eſt ingerenda, quam natura poteſt concoquere, digerere, perſpirare;“ & 3—38. „Si v. g. natura poteſt digerere 100 libras edulii & exporrigerentur 99, animal propterea curſu temporis deſtrueretur.“ Sed etiam hoc verum 3—54. „Qui comedit magis, quam oportet, alitur minus, quam oportet.“ Ut vero quis ſciat, quanta copia indigeat, docet *Aph.* 3—57. „Quantum edendum, noveris, ſi pluribus diebus obſervaveris, corpus a ſomno, ſine moleſtia, ad idem pondus reduci.“

Tutior ſobrietas &c.; hæc demum regula, qua lis illa Eruditorum dirimatur; utrum præſtet ſobrietate pec-

peccare, an exceſſu alimenti. Utraque ſententia habuit patronos ſuos, & qui malam ſententiam & amplexi & ſequuti ſunt, poenas luerunt.

(Optime copiam, qua quis utatur, determinat euphoria, refectio, nec advertenda ulla in excretionibus aut ſecretionibus arythmia; *oblectamentum* demum illud gratiſſimum, a magno Boerhaavio pro ſigno ſanitatis perfectæ adſignatum. Cæterum, etſi in genere verum ſit, repletionem omnem nimiam obeſſe, menſura tamen, uti antea monitum, alimentorum ad guttas & grana, *cornariana* methodo, reduci nec apte poteſt, nec (de ſtatu ſano nunc loquor) debet, quum tales pejus longe a leviſſimo quovis, nec ſemper vitando, receſſu adficiantur, qui, ob nimium metum mortis, vix audent iis uti, quibus ſuſtentetur languidæ, hypotheticæ flammula vitæ. Qui cauſas omnes poſſibiles morborum vitare voluerit, non ſolum orbem, ſed & humanitatem omnem, & ſe ipſum vitare debebit; quod quidem *Ætiologiam pathologicam* ſcrutanti vix erit obſcurum. Rerum uſus quotidianus docet, ideo præcipue canones circa hoc negotium generales condi nequaquam poſſe, quod non ſolum diverſiſſimis hominibus diverſiſſimi, ob adſuetudinem, temperiem, vitæ genus, idioſyncraſiam, clima &c. proſint, vel obſint, cibi; ſed & quod iidem, qui nunc *huic* profuerunt, ob ſexcentas rationes, poſt breve tempus eidem fieri queant plurimum nocui. Vix non infinita ſane ſunt, quæ discrimen ingens circa hæc adferant: ad quæ hinc Medico maximoperé eſt reſpiciendum, ut cauſam eruat, cur ſæpe cibus, qui centies non omnino obfuit, nunc eadem, vel minori adhuc, do-

doſi ſumtus, peſſima, aut inſolita plurimum generet ſymptomata. Fungi, v. c., ut unum ſaltem alterumve adferam exemplum, pro diverſitate, cui innaſcuntur ſoli jam lethales exſerunt vires, jam alimentares. — Salmones, ova nunc enixi, ægrotant, pustulis obſidentur, & homines, quibus tunc in cibum cedunt, pariter adficiunt ſpasmis ventriculi, hemicrania, aliisque malis: Hibernos lepræ quadam ſpecie hac ex ratione fuiſſe adfectos, refertur. — Terribilia obſervata fuerunt ſymptomata ab eſu alimentorum in vaſis cupreis &c. decoctorum, aut adſervatorum, quæ cæterum nunquam fuerant ſequuta — Puellam novi, quæ ad incitas fere redigitur, dum, tempore menſtruorum, vel dimidiam phialam lactis haurit, etſi cæteroqui nullas ab ejus uſu malas experiatur ſequelas. — Mille præterea inſtantiis aliis evincitur, quantum discrimen ratione quantitatis variæ alimentorum adferat morborum in corpore præſentia, eorumve abſentia &c.)

§. 1040. *Condimenta autem ex acidis, ſale, aromatibusve, petita, nocent ſanis acrimonia ſua varia &c.* Hic relegenda ſunt, quæ in ÆTIOLOGIA, ubi de *acrimonia alimentorum* varia ſermo erat, habentur expoſita. Omnibus condimentis id efficitur, ut homo plus comedat, quam oportet, & ut ſtimulo illi ſic adſuescat, ut, dum iis carere cogitur, prorſum langueat, demumque eo deveniat, quo ſpirituum ſtrenui potatores, qui ſtimulo continuo adſueti, ſenſim majori indigent, quia ultra a priori non adficiuntur: hinc ſe perdunt ante tempus.

§. 1041.

§. 1041. *Quin & ex iisdem regulis intelligitur bonitas potus; si enim ille requiritur tantum ad emendandam sitim, siccitatem, crassitiem humorum, vel eorum acrimoniam, tum aqua frigida, limpida, levissima, inodora, insulsa, cursu exercitata per flumina pura, est potus optimus homini robusto.*

Aqua, potus universalissimus per totum orbem, sed ubique non æque bona. (De dotibus aquæ bonæ jam antea pariter in Ætiologia actum fuit; unde pauca solum, ab Haenio pro expositione hujus paragraphi adlata, abs accessionibus necto.)

1) *Frigida*; alioqui laxat nimis & suo aëre orbatur. Aër in pura aqua non adparet, sed calefactâ illâ & coctâ in conspectum prodit: quodsi tunc bibatur multa & calida, [nam frigefacta aërem suum, coctione emissum, recuperavit] certe potest nocere, non tantum laxando nimium fibras sanas, sed forte etiam avide adripiendo (aërem.)

2) *Limpida*; ut pelluciditate sua crystallum æmulet.

2) *Levissima*; ut vix habeat secum aliena corpuscula, quæ pondus augeant, commista.

4) *Inodora*; quum odor ipsi nisi ab alieno non accedat: aquæ pluviales dum cum fusa nive in cysternam cadunt, habent odorem ingratum, saporemque quasi crudum, asperum, nisi tunc diutius solito coquantur.

5) *Insulsa*, ut nec salia ulla illi admista deprehendantur, sed ut omni sapore careat.

6) *Cursu exercitata per flumina pura*; ait Virgilius, *Georg.* 3. *v.* 528. &c.

Frondibus & victu pascuntur simplicis herbæ:
Pocula sunt fontes liquidi, atque exercita cursu
Flumina: nec somnos abrumpit cura salubres.

Sed

Sed flumina hæc requiruntur pura; non in quæ ſordes multæ ex magnis civitatibus projiciuntur, ut v. g. Roterodami Moſa eſt, Ultrajecti Rhenus; quæ flumina ſemper a ſordibus totius civitatis, continuo injectis, vidi inpura eſſe.

Puro ergo de flumine, curſu exercitata aqua habet dotes mox expoſitas, eſtque, ut idem VIRGILIUS dixerat, *l. c. v.* 521.

— — — — — — — — — qui per ſaxa volutus
Purior electro, campum petit amnis.

In altiſſimis Styriæ montibus nubes fuſæ dant talem, ut cryſtalli adinſtar ad radicem montium prodeant, & potæ ſumme recreent.

§. 1042. *Si vero potus* &c. Quæ de *vino* & *cereviſia* (*) parandis dici queant, novistis ex Phyſiologiæ Prolegomenis: hinc de hac re non opus eſt, ut agam.

(*) Adferam ſolummodo hic obſervationes quasdam phyſico-chemicas circa *cereviſiæ Vindobonenſis* varias ſpecies a *Cl.* BESNECKER propoſitas in *Diſſ. inaug.* 1736. hic loci edita, inventu nunc ſat difficili.

Analyſi chemicæ fuerunt libræ duæ cereviſiæ *triticeo-albæ*, *hordeaceo-albæ*, *fuscæ*, *aëreæ*, *Martiæ*, ſic vocatæ *Einbock*, & *Hornenſis*: deſtillatio ex veſica facta.

Tri-

Triticeo-alba dedit:

	Drachm.
Spiritus valde debilis, ſtriatim tamen prodeuntis, — — — — —	2.
Phlegmatis, — — — — — —	131.
Extracti dulcis, — — — — —	16.
Summa —	149.

Hordeaceo-alba dedit:

	Drachm.
Spiritus flavescentis, fortiter linguam ferientis, — — — — — —	7.
Phlegmatis dulcescentis gratique, — —	135.
Extracti leniter dulcamari, & empyreuma redolentis; colore & conſistentia mellea, — — — — —	18.
Summa —	160.

Fusca dedit:

	Drachm.
Spiritus debilioris, albi, — — —	17.
Phlegmatis, — — — — — —	132.
Extracti, — — — — — —	20.
Summa —	169.

Aërea dedit:

	Drachm.
Spiritus melioris, — — — — —	8.
Phlegmatis, — — — — — —	139.
Extracti, — — — — — —	20.
Summa —	167.

Martia dedit:

	Drachm.
Spiritus debilioris, — — — — —	15.
Phlegmatis, — — — — — —	128.
Extracti, — — — — — —	19.
Summa —	162.

Einbock dedit:

	Drachm.
Spiritus debilioris, — — — — —	6.
Phlegmatis acescentis, — — — —	130.
Extracti dulcioris & nigri, — — —	21.
Summa —	157.

Hornenſis dedit:

	Drachm.
Spiritus inter cæteros optimi, — —	11.
Phlegmatis aciduli, — — — —	130.
Extracti ſubaciduli, — — — —	7.
Summa —	148.

Scire autem, ſubjungit AUCTOR, oportet, omnes hos ſpiritus tanta phlegmatis quantitate dilutos fuiſſe, ut nullus accendi potuerit.

Proportio etiam, quam extractorum quantitas ſervat ad phlegma, fere demonſtratur areometro, quum demittat:

Cereviſia aërea, — — — —	$2\frac{1}{2}$.
— Einbock, — — —	3.
— Martia, — — — —	$3\frac{1}{2}$.
— fuſca, — ad gradum —	$3\frac{1}{2}$.
— triticeo-alba, — — —	4.
— hordeaceo-alba — —	4.
— hornenſis, — — —	6.

In-

Inſeruit ſimul *Cl.* Besnecker diſſertationi huic examen ſeptem diverſarum *aquarum* Vindobonenſium, ex quibus intra Vindobonenſes lineas cereviſia excoqui ſolet; nempe ex *hoſpitali civico*, ex *ſuburbio ad ſanctum Marcum*, ex *ſuburbio ad divam Margaretham*, ad *turrim* ſic dictam *caninam*, ex *Gumpendorf*, ex *Lichtenthal* & ex *ſuburbio S. Leopoldi*: quod hic ſubnectere placuit. (*)

Aqua ex *hoſpitali civico* demiſit areometrum ad gradum 11; lactescebat ab inſtillato oleo tartari per deliquium nullatenus: — evaporata ex LL. IV. in menſura ſolidæ materiæ reliquit grana 15.: — ejus ſapor erat frigido-amaricans: — ab olei vitrioli nigri adfuſione oriebatur fumus levis: — dum illa rurſus ſolvebatur, reſtiterunt in filtro grana 4.: — ſolutio prior denuo evaporata dedit ſal, quod in plurimis ab aëre in deliquium ſolvebatur, ſimulque ab hac aqua ſuper prunam ſpumavit, & inſtar ſevi diffluxit.

Ex *ſuburbio ad ſanctum Marcum* demiſit areometrum ad gradum 10½.: — lactescebat ab ol. tart. per deliq. leviter: — evaporata ex LL. IV. &c. reliquit grana 14: — hujus ſapor erat amaro-dulcis: — ab ol. vitrioli nigri adfuſione oriebatur fumus nullus: dum illa rurſus ſolvebatur, reſtiterunt in filtro grana 3.: — ſolutio prior denuo evaporata dedit ſal &c. quod ab hac aqua inſtar nitri phlogiſti modica ſua parte ſuper prunas accendebatur, & ſpumavit, uti ex aqua præcedente.

(*) Cujuslibet aquæ menſura una evaporationi data.

Ex *ſuburbio ad divam Margaretham* demiſit areometrum ad gradum 11 : — lactescebat ab ol. tart. deliq. nullatenus : — evaporata ex LL. IV. &c. reliquit grana 15. : — hujus ſapor erat terreo-ſalſus : — ab ol. vitrioli nigri adfuſione oriebatur fumus fortis, ultra mediam horam perdurans : — dum illa rurſus ſolvebatur, reſtiterunt in filtro grana 7. : — ſolutio prior denuo evaporata dedit ſal, &c. quod phænomena exhibuit ut ad S Marcum. —

Ad *turrim* ſic dictam *caninam* demiſit areometrum ad gradum 10½. : — lactescebat ab inſtillato oleo tartari per deliquium nullatenus : — evaporata ex LL. IV. in menſura ſolidæ materiæ reliquit grana 15. : — ejus ſapor erat terreus : — ab ol. vitrioli nigri adfuſione oriebatur fumus nullus ; — dum illa rurſus ſolvebatur, reſtiterunt in filtro grana 5. : — ſolutio prior denuo evaporata dedit ſal &c. quod in igne ſpumavit quidam, ſed in corpus ſpongioſum degeneravit, neque in aëre, ut reliqua, abiit in deliquium.

Ex *Gumpendorf* demiſit areometrum ad gradum 9½. : — lactescebat ab inſtillato ol. tart. per deliq. fortiter : — evaporata ex LL IV. in menſura ſolidæ materiæ reliquit grana 16, : — ejus ſapor erat frigido amaricans : — ab ol. vitrioli nigri adfuſione oriebatur fumus ſat magnus : — dum illa rurſus ſolvebatur, reſtiterunt in filtro grana 3. : — ſolutio prior denuo evaporata dedit ſal &c., quod phænomena exhibuit, ut in noſocomio civico.

Ex *Lichtenthal* demiſit areometrum ad gradum 10½. : — lactescebat ab inſtillato ol. tart. per deliquium leviter : — evaporata ex LL. IV. in

in menſura ſolidæ materiæ reliquit grana 16. : — ejus ſapor erat terreo - ſalſus : — ab olei vitrioli nigri adfuſione oriebatur fumus nullus : — dum illa rurſus ſolvebatur, reſtiterunt in filtro grana 6., cum albo-micantibus quaſi ſquammulis : — ſolutio prior denuo evaporata dedit ſal &c., quod iterum ſeſe geſſit, ut ex Gumpendorf, & ex hoſpitali civico.

Ex *ſuburbio S. Leopoldi* demiſit areometrum ad gradum 10. : — lactescebat ab inſtillato oleo tartari per deliquium nullatenus : — evaporata ex LL. IV. in menſura ſolidæ materiæ reliquit grana 16. : — ejus ſapor erat terreo - ſalſus : — ab olei vitrioli nigri adfuſione oriebatur fumus nullus : — dum illa rurſus ſolvebatur, reſtiterunt in filtro grana 5., cum iisdem ſquammulis, ut prius : — ſolutio prior denuo evaporata dedit ſal, quod phænomena exhibuit, ut ad ſanctum Marcum.

Proportio, quam in infuſione noſtrates aquam inter & malthum obſervare deberent, eſt ſequens (ſaltem anno, quo hæc ſcripta diſſertatio, fuerat) : ad triginta modios malthi recipiuntur aquæ :

	duplicata vinacea (*)	35. Urnæ.
In cereviſia	aërea	40.
	Martia	
	Einbock	
	hordeaceo - alba	45.
	fusca	51.

(*) *Vinacea* dicta, partim quod ad quamvis urnam

Hæc circa *cereviſiam auſtriaco-vindobonenſem.* — In publicum emiſſa anno 1732. *Diſſert. inaug. medica: Vinum auſtriacum, œconomico-medice conſideratum; Auctore Cl. Franc. Anton.* STEINDL DE PLESSENETH. Continentur in ea producta quatuor vinorum auſtriacorum anni 1727.; quorum cujusvis lib 2. deſtillationi ſubjecta: priora duo inter danubienſia, poſteriora inter montana excellunt.

Aſpernenſe dedit:

	Drachm.
Spiritus ardentis debilioris circiter, —	28.
Phlegmatis acrioris, — — —	153.
Extracti pinguis craſſiusculi, & in aëre tenuioris, inſtar mellis: cum grato odore diffluentis, — — —	10.

Polsdorfenſe:

Spiritus ardentis, parum fortioris, —	32.
Phlegmatis, — — — — —	149.
Extracti acidi pinguis, mellis inſtar grate olentis, — — — —	9.

Kri-

---

menſuræ 4. vini cum fermento poſt coctionem ſuscipiantur, partim quod aliunde naturaliter omnes triticeæ cereviſiæ ſaporem habeant dulcem & leniter cum pari odore vinoſum, qui adprime in jusculis exin paratis ſe manifestat. Hæc ſpecies fere exolevit, neque niſi Aulæ juſſu confici ſolebat.

Kritzendorfenſe:

	Drachm.
Spiritus ardentis, — — — —	51.
Phlegmatis acris, — — — —	133.
Extracti, — — — — —	5.

Mauerbachenſe:

Spiritus ardentis, bonæ notæ, — —	49.
Phlegmatis, — — — — —	130.
Extracti, — — — — —	8.

Ex quo calculo patet, ratione majoris quantitatis *ſpiritus* hæc vina ſeſe ita excipere, *Kritzendorfenſe*, *Mauerbachenſe*, *Polsdorfenſe*, *Aſpernenſe*: — ratione *phlegmatis*, *Aſpernenſe*, *Polsdorfenſe*, *Kritzendorfenſe*, *Mauerbachenſe*: — ratione *extracti*, *Aſpernenſe*, *Polsdorfenſe*, *Mauerbachenſe*, *Kritzendorfenſe*.

Inferior, uti Augtor ſimul obſervat, *Auſtria* ſolummodo vino ſuperbit, quumprimis in quadrantibus binis unter dem Wienerwald, und Meinhartsberg: in cæteris duobus quadrantibus, ſi *Greiffenſteinenſe*, *Königſtettenſe* & *Tulbingenſe* exceperis, minoris ſunt momenti; quod perbelle exteri vini mercatores norunt, dum ordinarie, quod optimum coëmunt, ad ſuos deportant, nostratibus incolis *Danubienſe* relinquentes. Commendantur autem potiſſimum illa, quæ in diſtrictu montano, qui a *Bada* civitate ad *Nuſsberg* & inde ultra *Claustro-Neoburgum* extenditur, item in altero colle *citra Danubium*, qui penes *longam-Enzersdorf* ad *Biſamberg*, & multo amplius porrigitur: reliqua, quæ *infra Viennam* verſus *Hun-*

gariam & plurimum loco humiliori crescunt, minorem pro re nata laudem merentur.)

Sed illarum delectus, copia, usus, determinatur per conditiones adsumturi; iterum nihil salubre aut insalubre per se dici potest. Rogat Vos femina, sana quidem, sed temperamenti admodum laxi, utrum ad salubritatem vina sibi cerevisiæque prosint recentes, an antiquæ? Certe recentes habent plus aquæ, minus spirituum; ergo prosunt in corpore laxo ac debili prudenter exhibitæ cerevisiæ meracæ, antiquæ; vina antiqua, meraca. Obstupui sæpe miros effectus *Mummæ brunswicensis*, cerevisiæ 24. florenorum, dum, ex BOERHAAVII consilio, ter de die debilibus ac laxis hominibus suaseram, ut sumerent uncias duas hujus cerevisiæ cum frustulo panis biscocti. Ope panis hujus manet liquor diutius in ventriculo & roborat sensim illum; unde fortior ventriculus etiam chylum meliorem dat, & pergens deinde liquor in sanguinem egregie omnia solida roborat, densatque fluida: vina tokayensia &c. his dicata sunt.

Si vero homo robustus, densus, firmus, vigorosus nos roget, an quotidie non liceat uti generosissimis ac antiquissimis vinis, disuademus id ob causas dictas. Si inquiat, se non ferre alia vina, experiatur; forte plus poterit, quam credat: plerumque enim imaginationi hæc tribuenda; vel incipiat vina sua generosa, quibus se occidet, si pergat; incipiat, inquam, vina illa generosa aqua diluere, donec tandem usu discat ita diluere, ut nocere non possint.

Est quidem verum, quod surdis sæpe narremus fabulam. Hominum enim divitum plurima pars sic se his, tum pretiosis, tum delitiosis inplet, ut, si maturius morte abriperentur, tamen frui his delitiis possent; (ut

per-

perinde illis ſit, etſi citius moriantur, dummodo nunc frui queant delitiis.) Eſtque ſæpe dispoſitio talis cauſa, ut Medicos rideant & ſubſannent monentes, ne ſua ſeſe intemperantia ante tempus perdant. Fateor, haud raro cum ejusmodi hominibus mihi fuiſſe agendum. Sed, ſi monita ſpreverint, nostras ſaltem explevimus partes. Si apertis oculis velint ſe in abyſſum dare præcipites, nostra ſaltem negligentia id tum non contingit.

§. 1043. *Cibi minime pingues, & potus aquæ, firmiſſima reddunt & fortiſſima corpora.* Remiges in mari mediterraneo pane biscocto, vix ſecuri findendo, & aqua fiunt fortiſſimi; ita quidem ut ſi ex vita diſſoluta debiles exſtiterint, dum ad hæc transtra aliquamdiu damnati fuerint, firmiſſimam corporis conpagem nanciscantur. Pinguia multa faciunt indigestiones; rancorem primarum viarum, & languorem; unde mox coctio prima vitiata vitiabit reliquas: præterquam quod dispoſitionem in humoribus ad putridum rancidum, ad ulcera cava, dysepulotica, maligna, gangrænoſa, faciant.

(Relegantur hic, quæ *Tom. II. p.* 254. &c. dicta fuerunt, dum de nimia oleoſitate ciborum, ſolida lubricante, laxante, debilitante, agebatur.)

Familiam in praxi habebat *Cl. Hermannus* Oosterdyk-Scacht, venerandus olim Profeſſor meus, ad phthiſin pulmonalem dispoſitam, & nonnullos in ea revera Phthiſicos. Conſilio cujusdam Matronæ inſtituunt diætam ex ſola avena & fagopyro, in pultem redactis; idque mane, meridie, vesperi. Continuantes hoc diutiſſime omnis ad phthiſin diatheſis periit, corpora ſana, robusta, addito motu, habuere. Ergo cibi minime pingues & aqua, his profuerunt.

(Etſi veriſſima ſint, quæ de noxis ciborum nimis pinguium & oleoſorum monentur, cautius tamen

men agendum Medico juniori, ne peccet, dum obpoſitam commendaturus diætam, novos creet morborum fontes; hominibus, debilitate primarum viarum laborantibus, præſcribendo victum minime pinguem, ſed glutinoſum, paſtaceum, digeſtioni rebellem, cruditates, infarctusque producentem. Sæpius ſane fit, ut remedium malo aut proxime accedat, aut eo majus ſit; inprimis, dum præconcepta, & inflexilis opinio, theoria teres nimium, Medicus minus in arte verſatus rem curant.)

§. 1044. *Corporis motum*, (Excedentis motus peccata dicta T. II. p. 271. &c.) Dixit SANCTORIUS, *Aphor.* 23. *Sect.* 5. Tunc exercitium eſt ſaluberrimum, quando poſt factam primam & ſecundam coctionem corpus reducitur bis in die, ante cibum, ad conſuetum pondus.

Nam §. 9. ait, exercitio corpora leviora fiunt; omnes enim partes, præcipue musculi & ligamenta, motu ab excrementis purgantur; perſpirabile ad exhalationem præparatur, ſpiritus tenuiores fiunt.

Non autem mox a cibo, nam §. 20, ait, exercitium violentum a corpore, cibo, vel crudo ſucco referto, aufert pondus ſenſibilium excrementorum minus ſolito; inſenſibilium fere nihil.

Si non moderate, nocet: ait SANCTORIUS, §. 25., a nimio exercitio fibræ fiunt duræ, unde ſenectus, quæ eſt univerſalis fibrarum durities; hæc, condenſando meatus, calorem ſubfocat; mollities, aperiendo, longævitatem facit.

Diſceptatum eſt: an noceret ſanitati *Meridiatio*, vel prodeſſet? utrum præſtaret quiescere, an moveri?

Cer-

Certe, lenem motum exercere ante pastum, cruditates superstites evacuat, & parat corpus ad bene comedendum. Dico *moderatum*, nam Sanctorius, *Aph.* 5—6. ait: corpora, quæ a nimio exercitio illico cibantur, læduntur; quia 1) ut defessa, 2) ut cibo gravata, minus perspirant.

Plutarchus in *vita* Alexandri *Magni* narrat, Reginam Adam misisse ad Alexandrum delicatos cibos, ut bene comederet; respondisse autem Alexandrum: duos eximios coquos a Præceptore Leonida sibi datos esse: primum optimum coquum esse exercitium bonum, quo antemeridiano tempore corpus exerceret; alterum coquum esse prandium frugalius, quod cœnam præstaret optimam. — Sed qui magno adpetitu ad futurum prandium bihorio ante anhelent, non opus habent eo motu, Hippocrat. *Aphorism.* 2—16. „Ubi fames, non oportet laborare.“

Post prandium autem alia res est. Post mensem stabis, aut passus mille meabis, inquit *schola salernitana* ad Regem Angliæ.

Sanctorius tamen contrarium advertit, *sect.* 4—37. „Hora dormitionis meridianæ a cibo corpore aliquando libram, aliquando selibram excrementorum, occulte perspirabilium, excernere solet;“ & 59. „a cibo somnus, a somno coctio, a coctione utilis perspiratio.“

Boerhaave, qui quoque in statera experimenta fecerat, hancque ob causam sanum rusticum longo tempore nutrierat ad experimenta facienda, narrabat, se experientia nosse, si duorum hominum, bene pastorum, alter otiosus mensæ adsidens maneat, alter dormiverit, eum, qui dormiverit, leviorem esse altero.

Vi-

Videmus animalia pleraque a pastu dormire aliquantillum; somnolentosque plerique sese homines a pastu experiuntur.

Tamen, qui consuetudinem hanc non habet, & bene valet, non inferat sibi vim, ut addiscat. SANCTORIUS denuo ait, *Aph.* 66. *Sect.* 4. „Somnus meridianus insolitus viscera omnia lædit, hebetatque perspirationem.“ Unde egregius ille anglus. *Martinus* LYSTERUS in *Comment.* ad *hunc* SANCTORII *Aphorismum*, ait: „Iis tantum meridiandum est, quibus id vel consuetudo est; vel, quibus hesterna cruditas adhuc perspirationi inpedimento est.“

§. 1045. *Somni tempus, quando corpus sanum torpet;* idem, quando a motu, ab exercitio vel corporis, vel animi, vel utriusque, homo sentit sibi spiritus incipere deesse: antea enim opus non erat. Plerosque consuetum tempus hujus lassitudinis incipientis conmonefacit.

Optima ejus mensura virium agilitas, corpori, dum evigilat, nata. Cur? SANCTORIUS 4—42. „A somno discursus puritas, & corporis agilitas, significant, corpus illa nocte ad minus 3. lib. magna ex parte perspirasse - - - Duplo magis dormiens perspirat vigilante.„

Qui vero nunc pro pigritia lecto inhæret, brevi punitur. Sex, septem, octo horarum somno talis fit perspiratio, & maxime ultimis horis; sed dein minuitur, & cessat: homo fit gravis, torpidus, habet sæpe ea die kephalalgian, quia consuevit corpus omnem materiem perspirabilem paratam evaporare: reliqua indiget motu, ut præparetur, utque perspiret;

ret; defectu motus non præparatur: ergo non perſpirat homo: porro torpet omnis homo non perſpirans.

§. 1046. *Omnia medicamenta*; utinam discerent homines, conſilio Celsi, cavere, ne in prospera valetudine remedia adverſæ adhibendo, prosperam labefactarent. Sunt, qui bis, ter, quater in anno venam ſecare, purgare, vomere conſueſcunt; qui amant medicamenta exhilarantia, quod ſint ſolito depreſſiores animo; qui volunt medicamenta, ut fortiores ſint, ut ſint longævi &c. Certe, ad ſanitatem bonam conſervandam præſtat, illam a bona ſua ſtatione non dejicere.

§. 1047. *Sed purgationes;* ne corpus nimia perſpiratione, aut ſudore, debilitaretur. Hinc in *ſacris* legimus toties, inungi capita hominum & corpora tota. Baco Verulamius habet multas ex Antiquitate collectiones. Sanctorius 5—36. „Qui vult diutiſſime juvenilem faciem conſervare, caveat, ne ſudet, vel nimium præ calore perſpiret.“ Ut enim bona perſpiratio ſanitatem conſervat, ut minor morbos inducit, ita nimia debilitat, immo occidit, ut in nimia & inproviſa lætitia.

Unde V. V. frictiones ad ſanitatem & longævitatem potenter faciebant, dum ad nimias exhalationes præcavendas corpora oleoſis inungebant, quibus cutis aperti nimium pori obſtiparentur. Si vero homo non perſpiraret ſatis, frictiones ſiccas, aut aromaticas adhibebant, ut augeretur perſpiratio.

§. 1048. *Animi adfectus autem &c.* ſtupendæ ſunt obſervationes, quæ circa nimiam lætitiam, mœſtitiam, iram, metum, factæ ſunt. Dum de animi adfecti-

fectibus (ad §. 771.) actum, vidimus omne morborum genus ipſamque mortem ſæpiſſime inde ortam.

SANCTORIUS 7—40. „Corpus marcesceret & otio periret, ſine animi motu: ſed non vice verſa.

7—41. Motus vehemens animi differt a motu vehementi corporis: hic quiete, & ſomno; ille nec quiete, nec ſomno, ceſſat.

7—25. Lætitia moderata inſenſibiliter evacuat ſolum ſuperfluum; inmoderata ſuperfluum & utile.

7—28. Lætitia perſeverans per multos dies, ſomnum inpedit, & vires diſſolvit.

7—39. Magis nocet nimius animi adfectus, quam nimius corporis motus.

7—42. Qui vehementer ludo lucrari cupiunt, non ludant: quia, ſi ſemper vicerint, ob pericharian ducunt noctes inſomnes, & tandem coctorum perſpirabilium exhalationem amittunt.

7—43. Victoria moderata ſalubrior, quam glorioſa.

7—46. In omni ſtudio perennis triſtitia bonam cordis conſtitutionem evertit, & exceſſus lætitiæ ſomnum inpedit: omne enim nimium naturæ inimicum.

Cæterum, uti & ex SANCTORIO patet, cum rebus humanis ita conparatum eſt, ut ſi nulla deſideria, nullæ animi paſſiones adſint, vita non ſit perfecte ſana, perſpiratio non bona, corpora torpeant. Tot exemplis conſtat, homines vixiſſe ſanos, dum multis curis deberent ſibi & familiæ honeſte victum conparare: ubi vero lucrati fuerint tantum, ut, curis & laboribus vacui, a ſuis reditibus in amœno prædio mollem vitam degere poſſent, brevi ægrotant, languent, moriuntur. Qui magnas res conficiundas habent, & multa annorum ſerie, plurima cura & flagranti deſiderio honoris perficiundi operis tandem

rem

rem ad faſtigium duxerint, curis jam vacui, & de ſucceſſu, ac honore perpetuo læti, nonnunquam concidunt, languent, pereunt; niſi habeant lætitiam moderatam & aliunde aliis paſſionibus occupentur.

Alchemiſtarum errabunda & pauper gens, quia ſimplicitate ſumma Regum divitias æquare tandem ſperat, & mœſtitia deperditi laboris ſæpe frangitur, ducit vitam ſæpe longævam. Ait Sanctorius, *Aph.* 7—47. „Nunc hilares, nunc mœſti, nunc iracundi, nunc timidi, perſpirationem magis ſalutarem habent, quam qui unico, licet bono, ſemper gaudeant adfectu.“ — No. 40. autem ait: „corpus marcesceret, & otio periret, ſine animi motu.“ *Sect.* 5—15. „Nimia animi quies magis prohibet perſpirationem, quam corporis.“

Bene hic Verulamius ex multis hiſtoriis collectis, *p.* 532. *oper. omnium*, in *Hiſtor. vit. & mort. §.* 90. „Spes omnium adfectuum utiliſſima eſt, & ad prolongationem vitæ plurimum facit; ſi non nimium ſæpe intercidat, ſed phantaſiam boni intuitu pascat. Itaque, qui finem aliquem, tanquam metam vitæ figunt, & proponunt, & perpetuo & ſenſim in voto ſuo proficiunt, vivaces ut plurimum ſunt: adeo, ut quum ad culmen ſpei ſuæ venerint, nec habeant, quod amplius ſperent, fere animis concidant, nec diu ſuperſtites ſint: ut ſpes videatur tanquam gaudium foliatum; quod in immenſum extenditur, ſicut aurum.“

PROPHYLAXIS.

§. 1049. PRIMA pars Hygieines docuit, quomodo ſanitas præſens conſervetur: hæc ſecunda pars erudit nos, quomodo morbi in temperie, ut in ſemine, latentes, & facile excitandi, præcaveantur.

Præcaventur &c.; videamus quomodo: hic omnino præſubponitur cognitio ſanitatis generalis, & ſingularis; quæ tradita eſt initio ſemeiotices. Cognoscenda eſt ex doctrina pathologica idioſyncraſia, plethora, latens quædam cacochymia, v. g. incipientis ſcorbuti. Præſubponitur cognitio temperamentorum, ſecundum quatuor humores & habitus corporis.

Ex tali cognitione cognosco, quid Cuique ſit timendum ex natura ſuæ temperiei, aut idioſyncraſia. Dum de his initio ſemeiotices egi, plurima jam dixi, unde brevis hic eſſe potero.

§. 1050. *Primaria vero remedia* ..... 1) *abſtinentia;* homo temperamenti ſanguinei in publica feſtivitate egregie epulatus, ſentit ſpontaneas laſſitudines: ergo inpedita illi eſt transſpiratio; hinc auctum pondere ſe percipit: ſi enim conſueverat, tempore ſanitatis inlibatæ, 4. 5. lib. perſpirare, jam vero vix libram; erit omni die 4. 5. lib. gravior pondere, a detento perſpirabili. Si hic homo pergat comedere, cruditatibus replebitur & ſiſtet demum omnem perſpirationem: ait enim SANCTORIUS 3—105. „ Bonæ valetudinis peſtis duplex: corpus ex toto tradere quieti,

&

& comedere ante cibi præcedentis concoctionem." Abſtinentia ergo juvat, ut prius illa cruda coquantur.

2) *Quies;* vidimus ex SANCTORIO, mox a paſtu magnum motum condemnari, quia cruda non ſunt apta perſpirationi. Homo tunc eſt ſe ipſo gravior in ſtatera ſtatica, & ſi ſe moveret valide, non perſpirat pro ea ratione; immo cruda vehuntur ad oscula perſpiratoria, & obſtruunt ea. Jam homo hic, de quo nunc agimus, eſt cruditatibus plenus; motus proinde nocebit, ergo quiescendum.

3) *Potus aquæ calidæ;* non frigidæ; de frigida loquitur SANCTORIUS 3—66. „Aquæ potatio inſenſibilem perſpirationem inpedit, auget tamen ſenſibilem:" nam & per uriam abit, & quibusdam alvum movet. Sed aqua calida laxat ſolida, & juvat perſpirationem, diluendo cruda, ut maturescant. Levis additur ſtimulus theæ, vel coffeæ, vel pauxillulum vini; incitat ſolida, ut melius crudum coquant.

4) *Deinde blandus & aliquamdiu continuatus motus, usque ad initia lenis ſudoris*; Sudor, ut *ſudor*, ſemper malus eſt; niſi per accidens, aut per conſuetudinem; perſpiratio ſemper bona, ſi copia & materie debita. Huic homini, retenta perſpiratione, laſſitudo orta erat. Abstinuit a cibis, ne augeret cruditates, & ne viscera magis obprimeret. Quievit, ne crudos humores moveret, ut naturæ tempus concederet, eos percoquendi. Bibit aquoſa, calida, ut omnia laxarentur, ut materies cruda, craſſa, dilueretur. Levis ſtimulus aquæ calidæ additus, ſimul leviſſime ſolida agitavit in coctionem.

Igitur multis nunc ad bonam perſpirationem paratis, nil melius eſt, quam motum inſtituere, 1) *blandum*, quum fortis & magnus potius ſudoris, quam perſpirationis materiem promoveat; 2) *continuatum*, quia perſpiratione magna opus eſt, quum multum cru-

di coctum & præparatum ſit. Sed quousque continuandum ?

Usque ad initia lenis ſudoris : ſignum tunc eſt, ſatis ſe moviſſe hominem, & nociturum ultra motum, ſudores expellendo ac debilitando

Tamen non credibile, omne crudum fuiſſe coctum ita, ut jam nihil ſuperſit. Statica machina docet, corpus adhuc eſſe ponderoſius ſolito, ipſeque homo percipit, omnem illam ſpontaneam laſſitudinem non abiiſſe penitus. Oportet ergo, ut a motu illo facto nunc abstineat; nam ſudores non curabunt, ſed perſpiratio. Alia ergo via incedendum, ut reliquum perſpirabile, corpus adhuc gravans, eliminetur: hinc

5) *tum poſtea ſomnus largior, corpore bene tecto* ; ait ſiquidem SANCTORIUS 4—1. „ Somnus placidus adeo favet perſpirationi, ut 7 horis 50. unc. cocti perſpirabilis in robustis ſæpe exhalent“ & 4—3. „ Dormiens 7. horarum ſpatio, occulte, ſalubriter, & ſine violentia, perſpirare ſolet duplo magis, quam vigilans.“

Sed debet eſſe ſomnus *placidus*, qui hæc præſtet; nam inrequietus, cum corporis agitatione perpetua, hominem debilitat maxime. Cur ita? Reſpondet SANCTORIUS 4—13. „ Perennis in lecto corporis agitatio magis agitat, quam velox curſus. In motu enim currentis ſolum (aut maxime) musculi infernarum partium corporis, in motu jacentis musculi fere univerſi corporis moventur.“

Sed *corpore bene tecto* ; inquit *Textus* : nam SANCTORIUS 4—12. „ Qui dormiunt pedibus & coxis detectis, noctis ſpatio libra perſpirabilis exhalare prohibetur.“

Nocet etiam ſanis, ſi in æstate nudi dormiant; nam, ut ſubprimant ſudores, etiam ſubprimunt perſpira-

rationem. Sanctorius I—39. „ In æstate si corpus jaceat detectum, prohibetur perspiratio: unde capitis gravitas & corporis confractio. "

Mirandum, quomodo gentes cæterum efferæ barbaræ, observatione sola multa sciverint. Verulamius, *p.* 338. *n.* 27. ait: „ Hyberni sylvestres, dum incipiunt ægrotare, nihil prius faciunt, quam ut lintea e stratis tollant, & in laneis pannis se convolvant. " Nesciunt, quid agant, sed usu id didicerunt. Frictio ex laneis pannis, continuo corpori adplicata, subpressam revocat perspirationem. Unde, qui minus perspirantes sæpe male habent, juvantur indusiis laneis ex *flanella*.

§. 1051. *Neque est aliud &c,* est consilium hoc Sydenhami, toties repetitum in suis operibus, & toties hinc deducentis causam morbi, quod ægri vernali tempore cito nimis æstivas, vel autumno nimis sero hyemales induissent vestes. Prout enim aër se habet, homo etiam vestire se debet; nam vestes habemus, tum ad tegenda verenda, tum ad aëris inclementias præcavendas. Qui ergo ad vestes æstivas induendas tarde, ad hyemales maturius procedit, ille prohibet, ne perspiratio insensibilis ab aëre possit impediri; adeoque mox præcipuam abscindit morborum causam. *V.* Sydenh. *Sect.* 6. *p.* 1.

§. 1052. Exstat in antiquis bibliothecis epistola Dioclis ad Regem Antigonum, studio Philosophiæ & Matheseos clarum, qua Regi diætam præscribit, secundum quatuor varias tempestates anni. In his certe magna ratio obtinet. Videmus ipsum Auctorem naturæ æstatis tempore dare multa legumina, fructusque horræos, qui vix possunt servari in hyemem; quia æstati conducunt, non hyemi. Si qui in hyemem serventur, aut coacta hortulanorum arte producantur, ornamento mensæ magis, quam nutrimento sunt; plus oculo quam sapori (linguæ.)

Hye-

Hyeme frigus conſtringit ſolida, & fluida condenſat; hinc auget robur in homine ſano: ſed ſimul, ſi debite ſe moveat, auget perſpirationem. In ſummo gelu nimis ſe movens homo ſanus, ex nimia transſpiratione cadit in animi deliquium: ergo opus eo tempore eſt alimentis durioribus, ut ventriculi diuturna actione in ingeſta ſemper nova materies accedat ad perſpirandum.

In æſtate vero ſudamus, emolescimus, languemus ſæpe defatigati, eſtque minor laxorum ſolidorum actio in fluida: ergo coctio crudorum tardior, minor; alimenta ergo requiruntur facilis digeſtionis; ut ſunt carnes recentes, molles; olera, legumina, fructus horræi, moderate ſumti, potus blandus, aquoſus, reficiens, non incitans ad ſudores, ſed ad perſpirationem.

Autumno aër frigidus, mutabilior, maxime inpedit perſpirationem. Unde SANCTOR. I—15. „In autumno augetur corporis pondus; quodſi excedat ſalubrem latitudinem, fiunt tertianæ, ſeu aliæ putridæ.“ Media diæta inſtituenda, quæ nec mollis nimis, quia ob calorem inminutum aëris ſolida paullo rigidiora nimis cito facilia digeſtu diſſipant; nec nimis dura, quia nondum ſatis rigida ſolida, ut ea rite percoqaunt. — Vere idem; ſed mutatur regula, ver & autumnus plus minus de æſtate, aut hyeme participant.

Hic nunc, HAENIUS ait, ad ſpecialem alimentorum pertractationem deveniendum foret; ſed menſes abſumeret hæc. Quia ergo tam neceſſaria ſuperſunt tractanda, & paucum tempus anni academici ſupereſt, erit ad alia properandum.